



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

ceteris fidelibus. utriusque sexus litteram cur
culi. ut te toto corde inquirant. et que digne
lanc allequantur. **P**. **S E C R E T A.**

Proptiare dñe supplicationibus nr̄is et ha
laciones quas tibi p̄ncolomitate omniu
pb̄oz. abacum. canonicoz monachoz et

Mm. 43.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

36.Mm.43

NICOLAI
VIGELII
de Dreifa Hef-
forum Iurifcon-
fulti

INSTITVTIONVM IVRIS
Publici, Libri III.

Accessit Rerum & uerborum memo-
rabiliū Index.



Cum gratia & priuilegio.


BASILEAE, EX OFFICIN
na Oporiniana, 1572.

*Augustissima Bibliotheca Caesarea
Vindobonensi.*



AD REVERENDIS-
SIMVM SACRI IMPERII PRIN-
cipem dominum Ioannem Episcopum Mo-
nasteriensem, administratorem Osna-
brugensem & Paderbornensem,
&c. dominum suum cle-
mentissimum,

NICOLAI VIGELII DE
Dreisa Hessorum Iurisconsulti
Prefatio.

 **A** E P E mirari soleo, Prin-
ceps reuerendissime, quòd
cum in cæteris artibus infe-
rioribus publicè non tam
necessarijs ordo præceptio-
num artificiosus, & modus earundem nõ
inconueniens sit adhibitus: in iure ciuili
arte omnium nobilissima ordo legum si-
mul & modus desideretur, in quo omnia
sunt confusa, multa superflua, læpius ite-
rata, & copiosius interdum quàm in legi-
bus par est tradita, vt artis formam propè
nullam habeant. Quibus etiam rebus esse
cũ est, vt ius ciuile, quod alioquin, si Craf-
so & Scæuolę apud Ciceronem credimus,

* 2 per

E P I S T O L A

per se facillimū est, difficillimum cognitu vulgo videatur. Summa legū confusio est, multitudo legum non mediocris. Illa facit vt multi alioquin non indocti, relictis certissimis iuris textibus, incertis doctorū disputationibus inhæreant. Multitudo quoque legum efficit, vt non pauci à iuris studio abhorreant. Est enim, si vel soli textus spectentur, non exigua: si doctorū opiniones legibus connumerentur, prorsus infinita. Nemo enim quisquam vel medio criter in iure versatus ignorat, quantum sit apud interpretes iuris opinionū pelagus, quod indies magis magisq; ita exundat, vt nobilissimam artem totam penè obruat & obscuret, ad eò vt non pauci vel has vna difficultate deterriti ab eadem abhorreant. Quanquam ex opinionibus istis ius frustra petitur. Ex legibus enim, non ex regulis iuris (Paulo Iurisconsulto teste) multo minus ex opinionibus doctorum ius sumendū est. Probabiles tantum sunt, non necessariae, nec nisi maturo iudicio legendæ. Tyrones iuris tutius facerent, si prorsus se ab istis legendis abstinerent, donec ex textuum lectione exactum iudicium sibi comparassent. Ex legibus enim (vt dixi)

xi)

N V N C V P A T O R I A .

xi) non ex doctorum opinionibus ius sumitur. Ex legibus necessaria, ex hisce probabilia tantum argumenta efficiuntur. Leges certę sunt, opiniones incertę: illę finitę sunt. hęc infinitę: illę fontes iuris sunt, hęc riuuli. certius multo de iure solent respondere, qui in legibus bene sunt versati: alij qui ex commentarijs sapiunt, semper hęsitant: quia id, in quo pedem figunt, lubricum est. Pręstat ergo ex textibus iuris sapere, quàm ex opinionibus doctorum contendere. Textus tamen (vt dixi) duobus vicijs laborant, Confusione & multitudine. Ex his illam quoad potui sustuli. Toto enim iure ciuili in certa genera distributo, singulis generib. suas species subieci: descriptiones singulorum exposui, regulis descriptionum iuxta locorum dialecticorum & circumstantiarum ordinem distributis: singulis regulis suas exceptiones, exceptionibus suas replicationes, & sic deinceps ordine adiunxi, quinquaginta libris eo modo confectis, in quibus vniuersum ius ciuile ab Imperatore Iustiniano posteritati relictum digessi, vt si quis ipsos iuris textus meliore ordine legere velit, facultate eius non destituatur. Hoc opere

* 3 abso-

EPISTOLA

absoluto, & legum confusione quodammodo sublata, ad alterum uicium, de quo dixi, corrigendum nunc accedo: ne legum multitudo superuacua discentem remouetur. Est enim res hæc non minus perniciofa, ac prior illa, de qua dixi, confusio: non solum si discentium studia, sed etiam si reipub. utilitatem spectemus. plures siquidem leges multarum litium sæpe sunt occasiones. Præstat certas, definitas & solennes actiones esse, quibus homines inter se disceptent: item definitum esse numerum exceptionum, quibus actiones elidantur: ne in cuiusq; arbitrio sit actiones & exceptiones, prout velit, affingere. Ius finitum esse debet, ut sciri possit, nemoq; iuris ignorantia probabiliter se excusare: multitudo legum ignorantiam inducit probabilem. Quod ad iuris studium attinet, quemadmodum in alijs artibus præstat doctrinam illarum in paucas, easq; selectas regulas contrahere, quam multitudinem præceptorum iuuentutem obruere: ita in iure quoq; civili melius est in legibus cumulandis modum seruare, neq; iuuentutem multitudo vel legum vel opinionum grauare. Solet enim copia immodica plus

impedi-

N V N C V P A T O R I A

impedimenti quàm adiuventi ad discendum & ad exercendum adferre. Ideoq; vt in omni re, ita quoq; in legibus cumulan- dis obseruari debet dictū uetus: Ne quid nimis. Varij sunt & multiplices hominum actus, variæ controuersie, varia hominum sunt negocia, quæ non possunt omnia cer- tis definiiri legibus, quemadmodū Vlpia- nus quoq; ait, Non omnes articulos sigil- latim aut legibus aut senatusconsultis cō- prehendi posse. Multa sunt, de quibus ni- hil generaliter, neque in perpetuum præ- cipi potest, quæ ab ipsis etiam legibus spe- cialiter arbitrio iudicantis definienda cō- mittuntur. Quid? quòd multa sunt legibus non definita, in quibus, si Aristoteli credi- mus, nihil interest, sic an secus fiant, vt neu- tro modo peccetur. Ius ipsum nihilomi- nus potest esse finitum, quamuis casus sint infiniti: possunt certæ & finitæ leges esse, quas in incidētibus hominū negocijs de- cidēdis sequamur. Quòd si quæstio aliqua incidat speciali lege nō definita, respicien- dū erit ad genus eius, quod fortè lege de- finitū erit: quo casu à definitione generis in specie proposita definiēda non erit re- cedendū, nisi euidens æquitas diuersum

* 4 sua

E P I S T O L A

suadeat. Si ne genus quidem speciali lege
 definitum erit: tunc vel Augustum implo-
 randum est remedium, vt Imperator Iu-
 stinianus ait, & Imperiali sanctione replen-
 dum quod iuri deest: vel arbitrio iudicis
 negocium illud permittendum. Sic enim
 Ulpianus: Quia (inquit) nulla specialis pœ-
 na expilatoribus rescriptis principalibus
 imposita est, idcirco causa cognita liberū
 erit arbitrium statuendi ei qui cognoscit.
 ad quod iudicis arbitrium informandum
 certæ iuris regulæ traditæ sunt: sed & hoc
 casu doctorum opiniones iudex sequi po-
 test, nō tamen sequi eas omnino tenetur.
 Est enim (vt dixi) inter leges & regulas iu-
 ris, nec non doctorum opiniones differen-
 tia hæc, quòd ex illis ius sumatur, ex his
 non sumatur. Ideoq; iudici tum à regulis,
 tum ab opinionibus istis, quæ magis pro-
 bables sunt quàm necessariæ, causa cogni-
 ta licet recedere. Non enim quidquid iu-
 dicis potestati permittitur, id subijcitur iu-
 ris necessitati. Neque iudex in causis, quæ
 ex ipsius arbitrio pendent, magis ad subti-
 litatem iuris, quàm quid bona fides, cui
 (vt Ulpianus ait) non congruit de apici-
 cibus iuris disputare, exigat, respicere de-
 bet.

N V N C U P A T O R I A.

bet. Cum ergo leges solæ, quæ finitæ esse possunt, non etiam regulæ iuris, neq; opiniones doctorum, quæ sunt infinitæ, ius faciant ipsum ius (quemadmodum & Neratius Iuriconsultus ait) finitum esse potest, sed & finitum esse debet: ad eò ut quâuis omnes articuli sigillatim legibus comprehendi possent, tamen ob ingentem legum multitudinem, quæ inde secutura esset, non expediret. Interest enim rei publicæ leges numero non esse infinitas, imò ne multas quidem. Multitudo enim legum rempu. magis discutit ac perturbat, quàm perpolit: euenitq; inde, ut leges contemnantur potius, quàm obseruentur. Proinde olim cum ius Romanum magis atque magis diffunderetur, de eo constringendo Principes Romani non semel consultarunt. Hac occasione Saluius Iulianus Prætorum edicta omnia, quæ quidem perpetuæ iurisdictionis essent, collegit, eamq; compositionem Hadrianus Imperator, Senatusque Romanus probauit, atq; confirmauit, ut ex ea deinceps ius diceretur. Quæ compositio edictum perpetuum in iure nuncupatur. Ad quod edictum perpetuum Iuriconsulti suos commentarios adiecerunt.

lecerunt, de quo Imper. Iustinianus con-
 queritur, talibus commentarijs factum
 esse dicens, vt opus moderatè confectum,
 in infinitum detractum, & penè omnis
 Romana sanctio rursus confusa fuerit:
 cumque multæ leges fuerint, tamen ex
 paucis iudicatum esse, magisquæ arbi-
 trario iudicantium, quàm legitima autho-
 ritate pronunciatum. Vnde & egenam
 vocat multitudinem antiquam. Qua re
 motus istam commentariorum multi-
 tudinem restrinxit, legesque ad certum
 redegit modum. Hanc suam composi-
 tionem commentariorum accessionibus
 onerari vetuit: sed frustra, adè vt edi-
 cto eius posthabito; commentarijs ita
 nunc obruta sit, vt ijs magis obscurata
 quàm illustrata videatur, multiquæ ex
 commentarijs istis hodie plus sapiant,
 quàm ex ipsis iuris textibus. Vt autem
 iuuentus in posterum ipsis textibus le-
 gendis magis incumbat, atque ex fon-
 te, quàm ex riuulis iurisprudentiam hau-
 rire malit; quemadmodum antea le-
 gum confusionem qua potui diligen-
 tia sustuli: ita nunc multitudini quo-
 que illarum, quantum possum, mederi
 consti-

N V N C V P A T O R I A .

constitui. Amplus enim videtur legum ab Imperatore Iustiniano relictarum numerus : verùm in ijs multa reperiuntur similia, multa specialia, quæ in genere antea cauta sunt, multa denique pluribus verbis, quàm in legibus par est, exposita. Hæc inutiles tum similitudine legum, tum exemplorũ cumulatione, tum denique verborum abundantia amputata, non remanebit tanta legum moles, quanta nunc esse videtur. Hac ratione observata, quæ in iure ciuili continentur, ordine Digestorum meorum in plerisque retento, breuiter Deo iuuante exponam. Quem meum laborem tum tyronibus iuris vtilem, tum ijs etiam, qui iuris studium ad finem perduxerunt, non ingratum fore spero : illis quidem, quia quid sibi ex iure perdiscendum sit, breuiter & quasi summis labris degustare inde : his verò, quia quæ copiosius & multo labore dedicerunt, hæc breuiter percurrendo in memoriam facile reuocare poterunt.

Quare hoc opus à publico iure orsus, tres conscripsi libros, Institutionum appellatione inscriptos, in quibus omnia, quæ

E P I S T O L A

quæ ad ius publicum pertinent, ex libris iuris desumpta continentur: exceptis paucis quibusdam, quæ quia plus obscuritatis & verbositatis quàm utilitatis habebât, prudens omisi, lectore ad Digesta mea reiecto. Hos tres Institutionum iuris publici libros Celsitudini tuæ, Princeps reuerendissime, dedico. Quàm enim afflicta sit iuris prudentia nostro sæculo, & quàm necessarij sint labores eorum, qui ei suppetias ferre conantur, Celsitudo tua, quæ in summo sacri Imperij iudicio per aliquot annos Præsidem egit, præ cæteris sui ordinis viris facile perspicit. Vanam autem cæteri quoq; Principes & status Imperij, penes quos est iuris constituendi potestas, tam perspicerent, eamque rem exemplo veterum Principum ad suam curam aliquando reuocarent, & vel rem scholasticam in melius reformarent, quo leges meliore ordine iuuentuti traderentur, iurisque exercitia iudicijs magis conformia haberentur: rem iudiciariam breui melius constitutam experiremur. Sed hæc non ad nos, qui priuati sumus, pertinent, quorum est consuetudini tyranno quamuis iniquo & graui obtemperare magis, quàm

N V N C V P A T O R I A

quàm vel in foro vel in scholis innouae
quidquam. Conqueri de istis possumus,
emendare non possumus. Priuatis tamen
meis meditationibus afflictæ iurisprudē-
tiæ, quantum in me est, suppetias ferre nō
desistam. Quem meum conatum Celsitu-
dini tuę, tanquam iuris non imperitæ, cu-
pio probari: quo eius authoritate ab inui-
dia eorum, qui lucem iuris auersan-
tur, quodammodo suble-
uetur.

C A P I

CAPITVM HVIVS operis Elenchus.

LIBRI PRIMI DE LEGI- *-bus, magistratibus, & iudicijs publicis.*

De iure & legibus in genere.	Cap. I.
De iure & legibus in specie.	II.
De magistratibus in genere.	III.
De magistratibus in specie.	III.
De iudicijs publicis in genere.	V.
De actibus publicorum iudiciorum.	VI.
De euentis publicorum iudiciorum.	VII.
De publicis iudicijs in specie.	VIII.

LIBRI SECVNDI DE *privatis iudicijs.*

De personis iudiciorum: & primùm de iudice, ad- fessoribus & ministris iudicis.	Cap. I.
De postulantibus & aduocatis.	II.
De procuratoribus.	III.
De actore & reo: nec non de re litigiosa.	III.
De citatione, citati contumacia & absentia.	V.
De edendo.	VI.
De dilationibus.	VII.
De exceptionibus dilatorijs: & recusatoria iudicis.	VIII.
De cautionibus & satisfactionib. in iudicio hinc in- de præstandis.	IX.
Ratam rem haberi, & de ratihabitione.	X.
Iudicio ficti.	XI.
Iudicatum solui.	XII.
De litis contestatione: deq; iureiurando ob calum- niam dando, & alijs huiusmodi iuramentis.	XIII.
De	

De probationibus.	XIII.
De instrumentis.	XV.
De testibus.	XVI.
De confessis & interrogationibus in iure faciendis.	XVII.
De iureiurando.	XVIII.
De ordine cognitionum & officio iudicis.	XIX.
De relationibus & consultationibus: nec non de sententia formanda & pronuntianda.	XX.
De appellationibus, earumque ad finibus aliquot re medijs.	XXI.
De re iudicata.	XXII.
De actione iudicati.	XXIII.
De executione rei iudicatz: nec non de sumptibus & expensis litis præstandis. item de sportulis iudicum & ministrorum.	XXIII.
De missione in possessionem bonorum rei seruandę causa.	XXV.
De uenditione bonorum debitoris.	XXVI.
De priuilegijs creditorum: seu qui in bonis debitoris potiores habeantur.	XXVII.
De separationibus.	XXVIII.
De extraordinarijs cognitionibus.	XXIX.
De compromissis.	XXX.
De transactionibus.	XXXI.

LIBRI TERTII DE RELI-

quo iure publico.

De clericis & monachis in genere.	Cap. I.
De clericis & monachis in specie.	II.
De rebus Ecclesię.	III.
De actibus ecclesiasticis. Item de hæreticis: nec non de quibusdam ecclesiasticis collegijs.	III.
	De

De iure Imperatoris & fisci.	V.
De iure militari.	VI.
De iure ciuitatum : & primùm de personis earũ tum publicis, tum priuatis.	VII.
De rebus ciuitatum.	VIII.
De actibus ciuitatum.	IX.
De muneribus & honoribus.	X.
De excusationibus & immunitatibus.	XI.
De cursu publico, & munere nauiculario.	XII.

1
INSTITVTIONVM
DE LEGIBVS, MAGISTRA-
ribus, & iudicijs publicis.
Liber primus.

DE IVRE ET LEGIBVS
in genere. CAP. I.



VRIS variae sunt significationes. Nam interdum ius pro lege sumitur: interdum pro sententia & decreto, quamuis iniquo. Interdum pro potestate seu facultate à lege concessa, uel pacto acquisita. Sic iter, actus, uia, ususfructus, ius dicitur: sic actio ius dicitur persequendi in iudicio eius quod sibi debetur. Interdum ius accipitur pro loco, in quo ius dicitur. Interdum sumitur pro necessitudine, cognatione uel adfinitate. Hoc autem loco ius nihil aliud est, quam ars boni & aequi. Ars autem est collectio & ordo praeceptorum ad aliquem finem utilem uitae. Cum autem ius, ars illa boni & aequi, iusticiae praecepta contineat, à iusticia quoque nomen desumpsit: quemadmodum astronomia ab astris, arithmetica à numeris, & aliae artes atque scientiae à re, cuius artes atque scientiae sunt, denominari solent. Praecepta iuris generalissima quidem tria numerantur: Honestè uiuere, alterum non laedere,

I N S T I T U T I O N V M

dere, ius suum cuiq; tribuere : specialia uerò plurima sunt, partim naturalia, partim ciuilia. Nam quot leges sunt, regulæq; iuris, tot sunt iuris præcepta. Cum autem omnes leges ad utilitatem hominum referantur, utilitas uerò ista partim publica sit, partim priuata: euenit inde, ut & ius aliud publicum, aliud priuatum appelletur. Publicum ius definitur, quod ad statum rei Romanæ spectet : priuatum, quod ad singulorum utilitatem pertineat. Publicum ius consistit in legibus, magistratibus, iudicijs tum publicis, tum priuatis, in re ecclesiastica & religionis, Imperatoris, fisci, in re militari, ciuitatum, in muneribus denique & honoribus : in quibus omnibus utilitas publica cernitur. de quibus speciebus singulis ordine in hisce Institutionibus dicemus.

Lex igitur definitur, quòd sit commune præceptum, uirorum prudentum consultum, delictorum quæ spontè uel ignorantia contrahuntur coercitio, communis reipub. sponsio. Differunt autem ius & lex, quemadmodum ars & præceptum : siquidem (ut dixi) leges nihil aliud sunt, quàm iuris præcepta. Quanquam ius interdum pro lege accipi solet per metonymiam, continens scilicet pro contento, seu effectus pro causa : nam ex lege ius sumitur, hoc est, potestas aliquid agendi. Omnem autem legem aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo : estq; legis uirtus Imperare, uetare, permittere.

LIBER PRIMVS.

tere, punire. Cum uerò lex in præteritum quid indulget, in futurum uetat. Totum autem ius consistit aut in adquirendo, aut in conseruando, aut in minuendo: aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cuiusque fiat, aut quemadmodum quis rem suam uel ius suum conseruet, aut quemadmodum alienet aut amittat. Præter hæc legibus accidunt legislatio, legum interpretatio & suppletio, legis ratio & confirmatio, mutatio, cognitio atque scientia, postremò legis obseruatio: de quibus singulis ordine agetur. Quod igitur ad legislationem attinet, sciendum est, quamuis olim legum ferendarum potestas penes populum esset, item ad Senatum, ad Prætores, & ad plebem pertineret; tamen quemadmodum iure antiquissimo penes soles reges erat, ita iure nouissimo ad solos Imperatores deuolutam esse. Leges autem ferendæ sunt de ijs quæ frequenter, non quæ rarò accidunt: nec de præteritis, sed de futuris: quanquam in legibus ferendis caueri potest, ut ad præteritos quoque casus extendantur. Leges insuper non in singulas personas, sed generaliter conseribendæ sunt: quanquam plures extant tum leges tum constitutiones principum in singulas personas conceptæ, quæ tamen generaliter sunt accipiendæ. Illud denique de legislatione notandum est, non aliter ab Imperatore legem promulgandam esse, nisi prius pro cerum sacri palatii & senatus deliberatione habita, communi consensu fuerit appro-

approbata, tunc demum auctoritate principali firmata.

Quoniam autem leges ita scribi non possunt, ut omnes casus, qui quandoq; acciderint, cōprehendantur: sufficit ea quæ plerunq; accidunt, contineri. Et ideo de his quæ primò constituuntur, aut interpretatione aut constitutione Principis certius statuendum est. Et cum in aliquo casu sententia legum manifesta est: is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atq; ita ius dicere debet. Nam quoties lege aliquid unum aut alterum introductum est, bona occasio est & cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, uel interpretatione, uel certa iurisdictione suppleri. Ista autem interpretandi & supplendi, necnon extendendi leges facultas soli Imperatori iure nouo est reseruata: exceptis canonibus ecclesiasticis, in quibus si quid dubitationis emergit, hoc synodo uel concilio sacerdotali definiendum permittitur. Interpretandarum uerò legum hæc potissimum regulæ tradi solent: in primis ut à similibus ad similia (ut dixi) procedatur, & ubi eadem est ratio, ibi idem ius constituatur: quod tamen distinctione non caret. Nam consuetudo contra rationem iuris introducta, ad similes casus produci non debet. Idem dicendum de eo quod propter necessitatem receptum est, & tempori tantum seruit: necnon de priuilegio certis personis indulto. Præterea in reb, dubijs melius est uerbis edicti seruire:

LIBER PRIMVS.

5

seruire: & in ambigua uoce legis ea potius accipienda est significatio, quæ uicio caret, quæq; rei gerendæ aptior est. Sed & benignior sententia est præferenda. Consuetudo quoq; in legibus interpretandis attendēda est: optima enim est legū interpretatio consuetudo. Sed & leges priores, quamuis mutatae & obsoletæ, ad posteriores leges declarandas & interpretandas trahi possunt: quemadmodum contra posteriores leges ad priores pertinent: nisi sint contrariæ. Insuper ea quæ in alicuius fauorem constituta sunt, aduersus eum non sunt interpretanda. Et lex utilis reipub. extendenda & adiuuanda est interpretatione: quæadmodum aliàs quoq; fauores ampliandi sunt, & odia restringenda. beneficium etiam Imperatoris debemus quampleniſsimè interpretari. Postremò uerba legum cum effectu sunt accipienda, ut aliquid operentur. Hæc de regulis interpretandarum legum dicta sunt: sed et plures huiusmodi regulæ proponuntur infra lib. prox. cap. 19.

Quod ad legum rationes attinet, sciendum, non omnium quæ à maioribus constituta sunt, rationē reddi posse: ideoq; rationes eorum quæ constituuntur, inquiri non oportere: alioquin multa ex his quæ certa sunt, subuerterentur. Nam multa iure ciuili cōtra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest. Nec tam propter rationem legum, quàm propter authorita-

4 3

tem

6 INSTITUTIONVM

tem constituentium legibus obtemperandum est; quemadmodum Iulianus quoq; ait, Ipsas leges nulla alia ex causa nos tenere, quàm quòd iudicio populi receptæ sint. Præterea leges facile mutandæ nō sunt, neq; distinguendæ; nisi euidentis utilitas uel æquitas poscat.

Quod ad cognitionem atq; scientiam legum attinet, eius adipiscendæ modus præscribitur ad Imp. Iustiniano talis, ut primò leui ac simplici uia, deinde diligentissima atq; exactissima interpretatione singula tradantur. Scire autem leges, non est uerba earum tenere, sed uim & potestatem. In legum cognitione Iurisprudentia consistit, quæ definitur, quòd sit diuinarum atq; humanarum rerum noticia, iusti atq; iniusti scientia. Iustum autem atq; iniustum leges definiunt. Ergo iurisprudentia est legum scientia, qua præditi Iurisconsulti uocantur, meritò iuris sacerdotes appellandi: iustitiam nanq; colunt, boni & æqui noticiam profitentes, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu poenarum, uerum præmiorum quoq; exhortatione efficere cupientes: ueram philosophiam, non simulatam affectantes. Restat legum obseruatio, in qua iusticia cernitur, quæ definitur, quòd sit constans & perpetua uoluntas ius suum cuiq; tribuendū; cuius contrarium est iniusticia, qua quis aduersus leges committit, idq; duplici ratione contingit: contra legem, & in

Et in fraudem legis. Contra legem facit, qui id facit quod lex prohibet: in fraudem uero legis facit, qui saluis uerbis legis, sententiam eius circumuenit. Fraus enim legi fit, ubi id fit quod fieri noluit, fieri autem non uetuit: et quod distat scriptum à uoluntate, hoc distat fraus ab eo quod contra legem fit. Porro non omne quod contra leges fit, iniustitiæ adscribendum est: quid enim si ab eo lata sit lex, qui eius ferende potestatem non habuit? certè impunè ei non pareretur. nisi fortè is qui legem tullit, errore communi pro legitimo legislatore fuerit habitus. Illud non interest, leges æquæ sint, an iniquæ: nam et error ius facit, et Prætor ius reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit: relatione scilicet facta non ad id quod Prætor ita fecit, sed ad illud quod Prætozem facere conuenit. Planè leges naturali iuri contrariæ impunè possunt negligi: quia ciuilis ratio naturalia iura corrumpere non potest. Sed et à legibus nobis recedere licet, quoties exceptione aliqua defendimur, quæ exceptio et speciali iure subsistat, et causæ propositæ insit, nam in omni iure species generi derogat: dummodò speciali iure uel euidenti æquitate excipiatur: alioquin (ut diximus) in re dubia melius est uerbis edicti seruire. Cessante quoque legis ratione in casu aliquo, plerumque ipsa quoque lex solet cessare, auctoritate scilicet eius qui iurisdictioni præest, interueniente. Item si ius sit non generale, sed speciale uel

§ INSTITUTIONVM

personale, alios, præterquã quorũ ius est, non obligat; & pactis priuatorũ nõ raro ipsis legibus derogatur. Sed etsi causa, de qua queritur, ipsa lege antiquior sit, sub ea contineri nõ potest: nisi fortè nominatum in lege cautum sit, ut & ad præteritos casus extēdatur, casusq; præteritus in iudicium non fuerit deductus eo tēpore, quo lex ferebatur. Præterea lex que nõdũ insinuata est, uel à cuius insinuatione nõdũ duo mē ses præterierunt, neminē constringit. Sed & lex de publicis causis lata ualere prohibetur, nisi præfecto prætorio prius fuerit insinuata. Lex quoq; alia lege uel cõsuetudine posteriore abrogata perdit uim suã: nisi ius naturale sit: hoc enim (ut dictũ est) nulla lege ciuili potest immutari. Sed & mutatio iuris lite pendente superueniens, uel negotio de quo agitur, iam cõmissõ, nihil operatur. Imperator quoq; & Augusta legibus dicuntur esse soluti. Digna tamē uox est maiestate regnantis, legibus alligatũ se Principē profiteri. Postremò iuris ignorãtia lapsis quibusdã subuenitur: ut minoribus uigintiinq; annis, sceminis & alijs, de quibus alius erit dicendi locus. Illud postremò hoc loco notandum, quòd ius finitum esse & possit & debeat: quod tamē de legibus, non de regulis iuris, neque opinionibus iurisconsultorum accipi debet: hæ enim & infinite sunt, & incerte, de quibus Vlpianus dicit, omnē (inquiens) definitionē in iure ciuili periculosam esse: rarum enim esse, ut subuerti non possit.

DE

LIBER PRIMVS.
DE IVRE ET LEGIBVS
in specie. CAP. II.

HActenus de iure et legibus in genere diximus
nunc de iisdem in specie dicendum est. Præ-
terquam autem quod ius aliud publicum est,
aliud priuatum: sunt & aliæ iuris diuisiones. Nam
aliud etiam naturale dicitur, aliud gentium, aliud ci-
uile: itē aliud circa personas uersari, aliud circa res,
aliud deniq; circa actiones. Ius naturale non solis ho-
minibus proprium est, sed omnibus animantibus, etiā
brutis, commune: cuius iuris est, maris & foeminae cō
iunctio, liberorum procreatio & educatio: quod ius
nullo iure ciuili (ut dictū est) potest immutari. Gen-
tium ius soli humano generi, & quidem omni, non
etiam ceteris animantibus commune est: cuius iuris
est, erga deum religio, erga parentes et patriam pie-
tas atq; obsequium, iniuriæ propulsatio, bella, serui-
tus, manumissio & contractus pleriq;. Ius ciuile est
ius proprium cuiusq; ciuitatis uel populi, quod neq;
in totum à naturali uel gentiū iure recedit, neq; per
omnia ei seruit. Itaq; cum aliquid addimus uel detra-
himus iuri communi, ius proprium siue ciuile effici-
mus. Hoc ius mutabile est, iureq; naturali posterius:
quoniam illud cum ipso genere humano rerum natu-
ra prodidit: hoc ius tunc esse cœpit, cum & ciuitates
cōdi, & magistratus creari, & leges scribi cœperūt.

Ius itaq; ciuile ex unaquaq; ciuitate cognominatur: ueluti Atheniensium, Romanorum, etc. Sed quoties non addimus nomen, cuius sit ciuitatis, ius ciuile Romanorum significamus. Est autem ius hoc aliud prætorium, aliud non prætorium: quod posterius retinet nomen generis, & ciuile appellatur. Vnde obligationum & actionum, nec non & exceptionum aliæ ciuiles dicuntur, aliæ prætoriæ. Item ius ciuile aliud scriptum est, aliud non scriptum. Non scriptum dicimus id quod usus adprobauit, aliàs consuetudo appellari solitum. Obtinet autem uim legis, consuetudo: nisi uel lex scripta consuetudine posterior extet contraria, uel per sordes & gentium magistratus sit introducta: uel alterius loci sit, non eius ubi allegatur. Consuetudo tamen urbis Romæ etiam in cæteris Imperij Romani ciuitatibus debet obtinere: quoniã Roma communis patria dicitur. Illud sanè non interest, utrum ratione, an errore consuetudo ab initio sit introducta: nam error quoq; (ut dictum est) ius facit. Huiusmodi tamen consuetudo erronea ad similes casus producenda nõ est, ut supra quoq; diximus. Cũ aut dubitatur, an sit cõsuetudo: causis aliquot iudicialiter actis, & rebus similiter iudicatis ea est probãda. Hæc de iure non scripto seu longa consuetudine dicta sint.

Iuris scripti species sex potissimum numerantur: Lex plebiscitum, senatuscõsultum, principũ placita, magistratuum edicta, & responsa prudentum. Nam

ab

ab initio quidem Urbis Romæ legum ferendarū potestas penes reges tantum erat, ut diximus. Postea uero regibus eiectis, & constitutionibus eorum abrogatis, leges XII Tabularum conscriptæ sunt, atq; à populo approbatæ; quæ ad primam speciem pertinent. Nam lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu (ueluti consule) interrogante cõstituebat. Eodem serè tempore actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus prout uellet institueret, certas solennesq; esse uoluerūt. Postea cum plebs in discordiam cum patribus ueniret, sibi peculiaria iura cõstituit, quæ plebiscita uocantur, quæ tandem pro legibus quoq; communiter placuit obseruari. Est igitur plebiscitum, quod plebs plebeio magistratu (ueluti tribuno) interrogante cõstituebat. Cuius generis species est lex Aquilia. Plebiscita secuta sunt Senatusconsulta: cum enim auctus esset populus Romanus in eum modum, ut difficile esset in unum eum conuocari legis sancienda causa, æquum uisum est Senatum uice populi consuli. Senatusconsultum igitur est, quod Senatus iubet atq; constituit. Cuius species plures sunt, Senatusconsultum Macedonianum, Velleianum, Trebelianum, &c. Eodẽ tempore & magistratus iura reddebant, & ut scirent ciues, quod ius de quaq; re quisque dicturus esset, seq; præmunirent, edicta proponebant, quæ ius honorarium constituerunt. Honorariū dicitur,

dicitur, quod ab honore Prætoris uenerat: aliàs præ-
 torium dictum. Est igitur ius honorarium siue præ-
 torium, quod Prætores introducebant adiuuandi, uel
 supplendi, uel corrigendi iuris ciuilibus gratia propter
 utilitatem publicam. Ideoq; quasi uiua uox est iuris
 ciuilibus. Huius iuris honorarij portio est edictum cu-
 rulum: nam & hi de quibusdam causis edicta propo-
 nebant: ut est edictum de uenditionibus rerum, ex
 quo actio proficiscitur redhibitoria. Nouissimè eue-
 nit, ut esset necesse recipub. per unum consuli. Nam
 Senatus non perinde omnes prouincias probè re-
 gere poterat. Igitur constituto Principe, datum
 est ei ius, ut quod constituisset ratum esset. Vnde
 principum placita & constitutiones pro lege habe-
 ri cœperunt. Legibus autem latis, cœpit (ut naturali-
 ter euenire solet) ut interpretatio desideraret pru-
 dentum auctoritatem; necessariamq; disputationem
 fori. Vnde constitutum est, ut essent qui iura publicè
 interpretarentur, quibus à Cæsare ius respondendi
 datum est, qui Iurisconsulti appellabantur: quorum
 omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem
 obtinebant, ut iudici recedere ab ijs non liceret. Sunt
 igitur responsa prudentum nihil aliud, quàm senten-
 tiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat iu-
 ra interpretari. Sed hæc iuris interpretandi potestas
 soli Imperatori iure nouo reseruata est, ut suprâ di-
 ximus. Vnde iure nouo tam cōditor quàm interpres
 legum

legū solus Imperator existimabitur. Quodcūq; ergo Imperator per epistolā constituit, uel cognoscens decreuit, uel edicto præcepit: legē esse constat. hæc sunt quæ constitutiones appellātur: quarum aliæ quidem generales sunt, quæ proculdubio omnes tenent subiectos, nec ijs derogatur per legem aliquam municipalem: aliæ uerò sunt personales, quæ personam non transgrediuntur, nec ad exemplū trahi possunt, quas priuilegia uocamus. Horum quædā causæ sunt, quædam personæ. Quæ causæ sunt, ad hæredes trāseunt: quæ personæ sunt, non transeunt ad hæredes. Præter hætenus enumeratas iuris scripti species sunt etiam eiusdem generis sacri canones, qui & ipsi ex constitutione Imp. Iustiniani uim legis obtinent. Res iudicata ius quidem facit inter eos, inter quos iudicatum est, sed uim generalis legis non habet: nisi uel Imperator inter aliquos sententiam tulit: uel sæpius in causis similibus similiter sit iudicatum: hinc enim consuetudo introducitur. Hoc loco de rescriptis quoque Principum dicendum est, quæ quamuis non semper faciant ius uniuersale, ei tamē causæ, in qua impetrata sunt, ius facere præsumuntur: nec interest, seruus an liber supplicando rescriptum impetrauerit. Lite tamen pendente ab uno litigatorum rescriptum impetratum, à iudice attendendum non est, quamuis ab Imperatore iudex datus, uel de pleno iudicare iussus sit: nisi diligentia in iudicādo uel quid simile per rescriptum

scriptum præcipiatur, quo forma iudicandi iudicæ non præscribitur. Sed neq; contra sententiam latam rescriptum impetratum ualet, quamuis supplicatio ante sententiam Imperatori fuerit exhibita: nisi forte contra sententiam à præfecto prætorio latam, à qua prouocare non licet, rescriptum fuerit impetratum. Sed nec illud rescriptum ualet, quod precibus, quæ uel falsæ sunt, uel non omnem rei gestæ narrationem continent, impetratum est: quamuis executio eo rescripto mandetur, uel alioquin iusta sit impetrantis causa: nisi si cognitio tantum iudici per illud rescriptum sit delegata. Sed & rescriptum uitiatur ob clausulam hæc, Si preces ueritate nitantur: in eo omissam. Sine die quoq; et cõsule rescripta emissa nullius sunt momenti. Idem dicendum de ijs, quibus quæstoris annotatio subiecta nõ fuerit. Authenticum quoq; rescriptum, non exemplum eius à iudice attendendum: mandatū etiam sine scripto insinuatum uires nullas habet. Idem dicendum, si in causis publicis & uniuersitatum rescriptum impetratum est, negotio in consistorio Imperatoris prius non solenniter tractato. Sed & contra iur. uel utilitatem publicam rescripta elicitæ nullius sunt momenti: nisi forte nemini obsint, & profint impetranti. Idem dicendum est de rescripto, quod damnosum est fisco: item de eo, quo alicui exceptio datur uel denegatur: nisi forte dilatoria, non peremptoria exceptio rescripto alicui detur uel denegatur. Planè

LIBER PRIMVS. 45

is, cui delatoria exceptio rescripto concessa est, idoneè cauere tenetur creditori, die ueniente debitum iri solutum: qua cautione omissa, rescripto non iuuatur. Haftenus exceptiones aduersus rescripta enumeratae sunt, quibus addi possunt ea, quae aduersus leges opponi possunt, quae supra exposuimus. Sanè rescriptum ab uno in communi causa impetratum, alteri quoq; socio prodest. Temporis etiã praescriptio rescriptis obijci nequit. Supplicatio autem ad impetrandum rescriptum ita formari debet, ut ea tantum contineat, de quibus inter partes dubitatur, nec instrumentorũ exempla inserenda, sed uis eorũ exprimenda est. Is uerò, qui falsum precibus inseruit, nõ solum rescripto impetrato non iuuatur, sed etiam falsi poena coerchetur. De rescriptis deniq; et illud notandũ, quòd habeant uim litis cõtestatae ad interrumpendam praescriptionem annalem. Hæc de secunda iuris diuisione, qua ius aliud naturale, aliud gentiũ, aliud ciuile esse diximus, sunt dicta. Quod ad alias iuris diuisiones attinet, earum genera tractabũtur infra suis locis. Haftenus ergo de iure et legibus tam in genere quàm in specie sit dictum.

DE MAGISTRATIBVS IN
genere. CAP. III.

Magistratibus in primis accidit ordinatio.
Ordinandi autem sunt in magistratum uiri
pro-

probata uita, & qui gerendis magistratibus sunt idonei. Ideoq; famosis, notatis, quibusq; ordine uel honore interdictum est, uitaeq; improbate uiris portae dignitatum non patebunt. Si tamen quis ad tempus ordine motus sit, tempore finito in ordinem redire potest: dum modo non mitiorem sententiam acceperit, duriore dignus: uel ad altiorem ordinem, quam quo motus fuit, adspiret. Sed nec is, cui maioribus honoribus interdictum est, minores honores petere prohibetur. Praeterea reos publici alicuius criminis ad novos honores ante causam finitam admitti non oportet: quanquam pristina dignitas illis propter reatum auferenda non est. Planè reus post annum quam delatus est, si causa nondum finita sit, honores petere non prohibetur: nisi per ipsum stetit, quo minus causa intra annum fuerit expedita. Idem dicendum est, si accusator nullus existat, uel is qui accusauit destitit. Filijs quoq; impedimento ad honores esse non debet, si pater in reatu sit alicuius criminis. Serui ab omni dignitate arcentur: item coloni originarij Caesaris. Planè si dominus seruum in dignitate morari patiat, dominio eius simul & iure patronatus priuatur, seruusq; exinde liber & ingenuus efficitur. Libertis quoq; omni honore & dignitate interdicuntur: non tamen filijs libertorum. Iudaeis honores adipisci Imp. Verus & Antoninus permiserant: Imp. tamen Iustinianus tam Iudaeis quam alijs haereticis omni honore

hore interdixit, ut tamen à muneribus, quamuis honori adherentibus, non essent excusati. Porro qui decurio non est; duumviratu uel alijs honoribus fungi non potest. Negociatores quoque & alias artes uilissimas exercentes ab omni honore atq; militia prohibentur. Idem etiam de pauperibus statuitur. Sed & patriæ suæ administratio nulli sine speciali Principis permissu demandanda est. Debitorum quoq; rerumpub. ad honores admitti non debent nisi prius de eo, quod reipub. debent, satisfecerint. Sed eos demum debitores rerumpub. accipere debemus, qui ex administratione reipub. relinquuntur. Ceterum si non ex administratione publica sunt debitores, sed aliunde, non sunt in ea causa, ut honoribus arceantur: nisi forte ex pollicitatione debeant, quæ recusari non potest. Cohortalibus insuper, horumq; liberis in tali conditione susceptis omni dignitate interdicitur. Nemo duplici honore simul frui potest, & honore sustinenti munus imponi non potest: munus tamen sustinenti honor potest deferri. Is quoq; qui alium honorem uel magistratum gessit, tempore finito eum continuare prohibetur: de quo tamen plura dicentur infra lib. 3. cap. 11. Ordo etiam in honoribus & officijs distribuendis seruandus, & gradatim honores ascendendi, atque à minoribus ad maiores procedendum est. Is igitur gradu antecedit, quem stipendia longiora, uel labor prolixior fecerit anteire.

eire. Interdum tamen honores & munera non ordi-
 natione, sed potioribus quibusq; iniungenda sunt:
 puta si is, qui ordine præcedit, non sit idoneus, tunc
 enim sequens magis idoneus ei est præferendus. Idem
 dicendum, si is qui ordine & tempore uincitur, labo-
 rum comparatione superior sit: uel si is qui tempo-
 re prior est, honorem oblatum recuset, aut aliàs id
 quod præstandum est, præstare nolit. His autem o-
 mnibus cessantibus, solo Principis rescripto posterior
 tempore non debet adiuuari. Is autem qui indignus
 est inferiore ordine, indignior est superiore. Sed &
 cum de iudicibus eligendis agitur, iuris periti præ-
 ferendi sunt: imò non nisi iuris peritus ordinandus
 iudex. Minores quoque uiginti quinque annis ad
 rempublicam administrandam uel honores admit-
 tendi non sunt. Annus tamen uicesimus quintus cœ-
 ptus hoc casu pro impleto habetur: hoc enim in
 honoribus fauoris causa constitutum est. Surdus
 quoque & mutus, si in totum non audiant, aut non
 loquantur, ab honoribus ciuilibus, non etiam à mu-
 neribus excusantur. Cæcus retinere quidem acce-
 ptum magistratum potest: adspirare autem ad no-
 uum penitus prohibetur. Fœminæ ab omnibus of-
 ficijs ciuilibus & publicis remotæ sunt: & ideo nec
 iudices esse possunt, nec magistratum gerere. Ha-
 stenus qui & quales in magistratum creandi, uel
 ad honores promouendi sint, expositum est. Plura
tamen

tamen de hac re tractabitur infra lib. 3. cap. 10. ex cap. 11. Porro magistratuum creandorum potestas olim quidem penes populum Romanum fuit : postea uerò solius Imperatoris esse cœpit. Magistratus autem gratis ordinari debent, nihilq; ab ijs pro ordinatione exigendum, præterquam quod codicillorum uel iussionum nomine dandum est. hoc quid & quantum sit, Imp. Iustinianus designauit, quam designationem Digestis meis inserui. Iusiurandum autem in magistratum ordinatus præstabit, quòd nihil pro ea dignitate uel officio dederit, nihil item in magistratu accepturus sit à subditis, præterquam quod legitimum est, constitutis ex publico annonis contentus futurus. Hæc & huiusmodi alia, quæ copiosius in meis Digestis exposita sunt, iurabit. Magistratus insuper ordinatus codicillos ab Imperatore suscipiet, quibus ei ordinatio confirmetur. Sed & librum mandatorum, ex quo quid sui officij sit futurum cognoscat. Quem librum etiam simulac provinciam ingressus fuerit, in metropoli ecclesiasticis, & nobilioribus eius ciuitatis insinuabit, eiusq; exemplum in omnibus ciuitatibus publicè proponet. Celeriter autem ad officium, cuius habenas suscepit, debet proficisci. De ambitu uerò conuictus, siquidem magistratum municipalem uel sacerdotium ambierit, centum aureis cum infamia mulctatur, Si tamen alium eiusdem criminis

b a reum.

reum conuicerit, in integrum restituitur, attamen pecuniam non recipit. In ceteris magistratibus ambitus crimen cessat: cum eorum ordinatio penes solum sit Imperatorem. Porro magistratus in officia hæc sunt: Ne quid ultra annonas & sportularum quantitatem legibus definitam à subditis accipiat: ne subditos ledat: ne quid in prouincia, quam administrat, emat, uendat, uel conducat: nisi fortè uel specialiter hoc ei ab Imperatore fuerit concessum: uel uictus quotidiani gratia quid emerit: uel denique bonæ eius paterna ab alio distraherentur: hæc enim emere non prohibetur. Sed nec donationes in ea prouincia, quam administrat, accipere à subditis potest: nisi Xenij nomine quid offeratur. Neque tamē omnia Xenia, neque omni tēpore, neque ab omnibus accipiet. Sed & esculentum & potulentum dono datum accipere non prohibetur. Item à sobrinis, propiorēue gradu cognatis dona accipere potest, dummodò nō ob turpem causam accipiat. Præterea in ea prouincia quā administrat, edificare non potest, neque uxorem ducere, de quo tamen posteriore in loco nuptiarum aliquid quando plura dicentur. Consistūt insuper officia magistratus in causis subditorum cognoscendis & litibus dirimendis: in mandatis principalibus insinuandis & exequendis: in tributis exigendis & suscipiendis in habitationibus: in processibus: in subditis defendendis, & disciplina publica conseruanda: in ministris

magistris eligendis, de quibus omnibus sigillatim in Digestis meis copiosius tractatur. Finito autem magistratu, is qui eum gessit, ante successoris sui aduentum administrationem non deponet: exercitum, postquam ei in provincia successum est, successori tradet; ipseque discedet, ita tamen ut post depositam administrationem quinquaginta dies in ciuitate aliqua celebriore commoretur, actionesque subditorum, si quos forte laesit, excipiat. Coercentur autem delicta magistratus in primis lege Iulia repetundarum, qua tenentur ij, qui in magistratu, potestate, curatione uel quo alio officio publico positi, pecuniam illicitè acceperunt: puta ob iudicandum uel non iudicandum decernendumue, uel quo magis aut minus quid ex suo officio facerent. Si qui ob denunciandum uel non denunciandum testimonium pecuniam acceperint, eadem lege tenentur. Idem dicendum, si ob militem legendum, mittendumue: ob accusandum, uel non accusandum: ob iudicem arbitrumue dandum, mutandum, iubendumue ut iudicet: uel contra ob non dandum, non mutandum, uel non iubendum ut iudicet, pecunia sit accepta. Item ob hominem in uincula publica coniiciendum, uinciendum, uinciriue iubendum, uel ex uinculis dimittendum: ob hominem condemnandum uel absoluumendum: ob litem aestimandam, iudicium faciendum uel non faciendum. Sed et lege Iulia repetundarum tenetur, qui debitum publicum acceptotulerit; qui

in magistratu constitutus hominem iniquè interfecerit, uel ob interficiendum hominem pecuniam acceperit: qui munus publicè mandatum accepta pecunia ruperit: denique qui aliquid acceperit ob aliquem in magistratum ordinandum. Hæc omnia accusationem ex lege Iulia repetundarum inducunt; etsi non ipsi, qui in magistratu sunt, sed ministri eorum, & qui in eorū sunt cohorte, comitesue iudicium tale quid commississe dicantur. Daturq; ex hac lege & in hæredes actio, intra annum duntaxat à morte eius, qui arguebatur. Sed & aduersus eum, qui turpiter pecuniam dedit, in quadruplum actio competit; quemadmodum & in accipientem. Planè hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur; & plerunq; uel exilio puniuntur, uel etiam durius, prout admisserint. Quid enim, si ob hominem necandum pecuniam acceperint: uel licet non acceperint, calore tamen inducti interfecerint uel innocentem, uel quem punire non debuerant: capite plecti debet, uel certè in insulam deportari, ut pleriq; puniti sunt. Competit autem ex causis supra enumeratis actio tã in administratione posito delinquente, quàm post administrationem depositam. Post depositam tamè administrationem intra annum duntaxat. Lege uerò Iulia repetundarum damnatus testimonium dicere, iudex esse & postulare prohibetur. Alienatio uerò contra hanc legem facta ipso iure non ualct, resq; alienata

lienda usucapi nequit. Præter legem autem Iuliam repetundarum, & alijs legibus ac constitutionibus magistratuum delicta coercentur, quas in Digestis meis ordine enumeravi. Sed & ad delicta magistratus etiam refertur, si iudex litem suam fecerit: quo casu peculiaris prodita est actio, qua litis æstimatione punitur iudex, qui tale quid commississe dicitur. Litem autem suam iudex tunc facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. Dolo malo uidetur facere, si euidentis eius arguatur gratia, uel inimicitia, uel etiam sordes: quo casu ueram æstimationem litis præstare cogitur. Sed etsi per imprudentiam sine dolo malo iudex contra leges pronunciauerit, nihilominus in factum actione tenetur: sed hoc casu, in quantum de ea re æquum religioni iudicatis uisum fuerit, poenam sustinebit. Si filiusfamilias iudex litem suam faciat, in tantam quantitatem tenetur, quæ tunc in peculio fuit, cum sententiam dicebat. Pater sane filij nomine non tenetur. Sed nec hæres iudicis corrupti. Planè iudex, qui perperam iudicauit pecunia corruptus, præter poenam superius expositam, si quidem pedaneus sit, à præside curiæ submouetur, aut in exilium mittitur, aut ad tempus relegatur. Is autem qui iudicem corrumpit, corrupendumue curauit, ex lege Cornelia de falsis tenetur. Hæc de officijs, necnon delictis magistratuum sint dicta. Porro accidunt magistrati Imperium, iurisdictio, dignitas & alia quædam,



INSTITUTIONVM

de quibus nunc dicetur. Imperium autem aut merum est, aut mixtum. Merum imperium est, habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mixtum est imperium, cui etiam iurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. Iurisdictio est etiam iudicis dandi licentia. Iubere cauere prætoria stipulatione, et in possessionem mittere, imperij magis est quam iurisdictio. Ea autem quæ imperij magis sunt quam iurisdictio, magistratus municipalis facere non potest. Hinc illud: Vbicumq; causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur. Est enim causæ cognitio imperij magis, quam iurisdictio: et per libellum expediri non potest. Iurisdictio autem mandari alteri potest: quo casu is cui mandata est iurisdictio, idem iuris habet, quod is qui mandauit: ideoq; iudicem quoq; dare potest. Mandare tamen iurisditionem sibi mandatam, alij non potest: quoniam proprium nihil habet, sed eius qui mandauit, iurisditione utitur. Sed et ea, quæ meri imperij sunt, mandata iurisditione non transferuntur. Itaq; is, cui iurisdictio mandata est, consilium exercere non potest, nec alienationibus rerum minorum decretum interponere, nisi forte Imperator, uel præfectus prætorio iurisditionem præsidis prouinciæ defuncti uel absentis alicui mandauerit. Mixtum autem imperium, quod iurisditioni coheret, ad eum, cui mandata est iurisdictio, pertinet. Quia cui iurisdictio data est, ei quoq; concessa esse

uiden-

videtur, sine quibus iurisdictio explicari nequit: quoniam iurisdictio sine modica coercitione, nulla est. In causa etiã, que spectat ad utilitatẽ reipub. is qui uice præsidis prouincie administrat, p̄t cognoscere. Sed & mandata iurisdictione, cognitio quoque de suspectis tutoribus transit: item ius dandi bonorum possessionem: item missio in possessionem damni infecti, aut uentris, aut legatorum seruandorum causa. Postremò iurisdictiois defendẽde causa peculiaris introducta est actio aduersus eum, qui ius dicenti non obtemperauerit. Is autem ius dicenti obtemperasse nõ uidetur, qui quod extremum est in iurisdictione, non fecit: ueluti, si quis rem mobilem uindicari à se passus non est, sed duci eam uel ferri passus est. Ceterum si & sequentia recusauit, tunc non obtemperasse uidetur. Planè cessat hæc actio, si duumuiro ius dicenti obtemperatum non sit: item, si is qui non obtemperat, iurisdictioi ius dicentis non sit subiectus. Sanè exceptio hæc, qua dicit reus se sine dolo malo fecisse, admittenda non est: cum non possit dolo carere, qui imperio magistratus non obtemperat. Nec etiam distinguitur, utrum reus, an actor ius dicenti nõ obtemperauerit. Sanè si procurator, tutor uel curator ius dicenti non obtemperauerit, ipse punitur, nõ dominus uel pupillus. In heredem etiam non obtemperantis hæc actio non datur: cum sit pœnalis. Ideoq; neq; post annum competit. Non autẽ in id quod interest,

b s sed

sed quanti ea res est, hoc iudicium concluditur. Hec de iurisdictione. Quod autem ad dignitatem attinet, que magistratibus accidit, sciendum est, sacrilegij poena teneri eum, qui dignitatum ordinem non seruaerit, & indebitum sibi locum usurpauerit. Est autē hic dignitatum ordo, ut primo loco habeantur hi, qui in actu positi illustres peregerint administrationes: secundo ueniant uacantes, qui presentes in comitatu illustris insignia dignitatis cingulum meruerint. Tertium uerò ordinem obtinent, quibus absentibus cingulum illustris mittitur dignitatis. Quartum honoratiores, qui presentes ab Imperatore sine cingulo codicillos tantum honorarię dignitatis adepti sunt. Quintum, quibus absentibus similiter sine cingulo mittuntur illustris insignia dignitatis. Sed administratores quidem, & comites rei priuatę omnibus uacantibus honorarijs anteponi debent. Vacantes autem post administratores uenientes non omnes omnibus iam honorarijs preponendi, sed ij uacantes illis honorarijs, qui similem adepti sunt dignitatem, ut prefectus pretorio, non questorius prefectorio preponatur: pariq; modo questorius questorio non uacans. Comes thesaurorum, uel comes rei priuatę honorario questori uel magistro officiorum preferatur. Et inter administratores illi etiam numerantur, quibus illustribus in sacro consistorio cunctis aliquid ordinarię dignitatis commissum est peragendum. Verbi gratia, si

uacanti

vacanti magistro militum belli cura committatur. Præterea in uno eodemq; genere dignitatis prior esse debet is, qui prior meruit dignitatem. Planè si quis prior consul posteriori consuli eidemq; patricio post habitus, patriciatum postea consequatur, uinci eum oportet qui prior meruit patriciatum, postquam iste honore patriciæ dignitatis decoratus est. Est igitur sedes prior antè prouectis, locus conspectior, discernendi loquendiq; facultas antiquior, cui est splendor adepti magistratus uetustior. Sed et in uno eodemq; genere dignitatis uiri fœminis præferuntur: imò uir præfectorius fœminæ quamuis consulari præfertur: quia maior dignitas est in sexu uirili. Plures huius loci regulas speciales uide in libris Digestorum meorum. Planè liberi quoq; eorum, qui in aliqua sunt dignitate, claritatem generis retinent, adeò ut quamuis parètes dignitatem amiserint, liberis tamen quæsita dignitas auferenda non sit: nec distinguitur, utrum naturales sint liberi, an adoptiui: in potestate, an emâcipati: exceptis adoptiuis rursus emancipatis. Sed etsi alij inferioris ordinis in adoptione dati sint, dignitatem tamen patris naturalis retinent. Nec etiam obstat, licet post mortem patris, uel antequam pater eam dignitatem nactus est, sint nati. Sed et nepotes aui dignitatem retinent, dummodò ex filiis, nõ filiabus sint nati. Planè filia ex clarissimo patre nata nubens inferioris ordinis uiro, dignitatem paternam amittit,

amittit, & assumit conditionem mariti. Sed & nati, postquam pater dignitatem amiserat, pristina dignitate patris non fruuntur; nisi antequam pater dignitatem amitteret, fuerint concepti. Quemadmodum autem liberi dignitate parentum: ita quoque uxores dignitate maritorum suorum fruuntur: nisi soluto matrimonio alij inferioris ordinis nupserint: tunc enim pristinam dignitatem amittunt, & sequuntur conditionem posterioris mariti. Interdum tamen ex indulgentia principis prioris mariti dignitatem retinent. Porro dignitas amittitur etiam, si is qui in dignitate positus est, furtis sceleribusque se maculauerit, si factus sit periurus, si sine comœatu uel ultra abfuerit. Planè si missionem ab officio impetrauit, uel ad maiorem dignitatem peruenerit: prioris dignitatis priuilegia non amittit. Hæc de dignitatibus. Postremò sunt & alia magistratus iura. Nam superioribus ab inferioris gradus hominibus reuerentia debetur, & ab ijs qui illorum iurisdictioni subiecti sunt, obsequium: nec iniuria, qui in magistratu positi sunt, affici debent. Habent & immunitates, aliaque priuilegia circa sportulas et litis expensas, circa satisfactiones, circa tormenta, &c. de quibus infra suis locis dicetur. Hæc de magistratibus in genere dicta sunt. Antequam autem de iisdem in specie dicam: Species magistratuum Romanorum, & quo ordine quisque magistratus introductus sit, breuiter enumerabo. Itaque ab initio urbis Ro

LIBER PRIMVS.

ne reges omnem potestatem habebant. ab ijs secundum locum obtinebant tribuni celerum, qui equitibus præerant. Regibus postea eiectis consules bini suffecti sunt, penes quos summum ius uti esset, lege rogatum est. Hisce ad census agendos nõ sufficientibus, censores constituti sunt. Deinde cum crebra orirentur bella, interdum re exigente placuit maioris potestatis magistratum constitui, quem dictaturam uocabant. His autem dictatoribus magistri equitum iungebantur, quomodo regibus tribuni celerum. Post hæc facta est secessio plebis à patribus: unde plebs sibi peculiarem magistratum creauit, quem tribunos plebis appellabant: item alium, qui ædibus præesset, in quibus omnia scita plebs deferebat: unde ædiles dicti. Hinc qui arario populi præessent, questores ærarij sunt creati: item alij, qui capitalibus rebus præessent, questores parricidij nominati. Postea iubente populo omnes magistratus se abdicarunt, & Decemviri constituti sunt: quibus tandem ob iniusticiam suam partim in carcere necatis, partim in exilium actis, rursus respub. suum statum recepit. Post hos tribuni militum partim ex plebe, partim ex patribus consulari potestate creati sunt uario numero. Tandem etiam ex plebe consules creari cœperunt: & ut aliquo pluris patres haberentur, placuit duos ex patribus constitui, qui ædiles curules appellabantur. Cumq; consules auocarentur bellis finitimis: ius in ciuitate

I N S T I T U T I O N V M
ciuitate reddendi caussa Prætor creatur urbanus
primùm, deinde etiam peregrinus. Hinc cum esset ne
cessarius magistratus qui hæc præffet, Centumui-
litibus iudicandis constituti sunt. Constituti sunt eo-
dem tempore & quatuor uiri, qui curam uicrum a-
gerent, & triumuiroi monetales æris, argenti, auri fla-
tores: & triumuiroi capitales: item quinq; uiri no-
cturni. Captis deinde prouincijs, prætores prouincia-
les constituti sunt. Quibus Cornelius Sylla quatuor
prætores adiecit defendendarum legum caussa, quas
ipse tulisset: puta de falso, de parricidio, de sicarijs et
de iniurijs. Hinc Iulius Cæsar adiecit duos Prætores
& duos ædiles, qui frumento præffent, Cereales di-
ctos. Ita duodecim Prætores, & sex ædiles sunt creati.
Diuus deinde Augustus sedecim Prætores constituit.
Diuus Claudius duos Prætores adiecit fideicommissa-
rios. Quoties autem Prætores proficiscebantur, unus
relinquebatur, qui in ciuitate diceret. Is uocabatur
Præfectus urbi. Hi sunt (referente Pöponio) magistra-
tus Romani. Quanquã præter hos & alij quidam in
iure describuntur, ut ex capite prox. patebit. Post ma-
gistratus Iurisconsultos quoque celebriores idem
Pomponius enumerat, quorum catalogum ex Di-
gestis meis petere licet. nunc de magi-
stratibus in specie agen-
dum est.

DE

LIBER PRIMVS.
DE MAGISTRATIBVS
in specie. CAP. IIII.

31

INter magistratus autē Imperij Romani primum locum obtinet Imperator : in quem lege regia omnis populi potestas translata est. Qui dicitur legibus esse solutus, mundiꝫ dominus, scilicet quoad iurisdictionē & Imperium, non quoad dominium rerū que sunt singulorū. Rebusꝫ Imperatoris eadē priuilegia, que & fisci rebus, competunt. Quod & de rebus uxoris eius siue Auguste cauetur. Hęc de Imperatore. Plura de eo dicentur infra, ubi rursus de iure Imperatoris & fisci agetur. De statua autem & imagine Imperatoris nōnulla legibus cauta sunt, que ex Digestis meis cognoscere licet. De senatoribus & cōsularibus illud notandū, quod senatores accipiendū sunt, qui à patricijs & consularibus usque ad omnes viros illustres descendunt : quia hi soli in senatu dicere sententiam possunt. Senatores autem, licet in urbe domicilium habere uideantur, tamen & ibi, unde oriundi sunt, habere domicilium intelliguntur. Consulares feminas dicimus consularium uxores, non etiā matres. De consulibus, quorum (ut dixi) duo creabantur, illud maxime in iure cauetur, ut modus sit expensarum, que occasione consulatus profundebantur. de qua re licet uidere Digesta mea. Præfecti prætorio proximum ab Imperatore locum obtinent. Nam ut Dictatores sibi adiungebant magistros militum principalis cure militiæ gratiā : ita Imperatores, qui quasi

quasi perpetui Dictatores sunt, ad similitudinem magistrorum militum praefectos praetorio sibi eligebat, data eis pleniore licentia ad disciplinae publicae emendationem. ab his enim appellari non poterat, & ferendi leges potestatem habebant. iudices remouere & alios surrogare illis erat permissum. rescRIPTA quoque de oneribus iniunctis ad praefectum praetorio prius mittebantur. Praefecti urbi qui fuerint, & propter quam rationem sint constituti, supra ostensum est. Ad horum iurisdictionem pertinebant omnia crimina, non solum in urbe, sed intra Italiam quoque, non tamen ultra centesimum miliarium admissa. Sed nec militum crimina ad praefectum urbi pertinebant. Cura quoque seruorum pertinebat ad praefectum urbi, si durius a dominis tractarentur, uel ad obscenitatem compellerentur, uel ancillae prostituerentur. Contra quoque, si dominus de seruo suo conquirebatur, praefecti urbi notio erat. item, si patronus de liberto. item, si tutores uel curatores male in tutela uel cura uersari dicebantur, ad notionem praefecti pertinebat. item, si interdicto Unde ui, item Quod ui aut clam, agebatur. item, ut numularij suum facerent officium, praefecti urbi erat curare. Similiter adiri ab argentarijs & aduersus eos poterat & in pecuniarijs causis. item cura carnis & annonae ad praefectum urbi pertinebat, item quietis publicae & disciplinae spectaculorum. Et si qui
illicitum

LIBER PRIMVS. 33

illicitum collegium coijſſe dicebantur, apud præfeſtum urbi accuſabantur. Pertinebant autem ad iuriſdictionem præfeſti urbi omnia corporatorum genera, uniuerſiq; ciues ac populares: at prouinciales è prouincijs ſuis auocare non poterant, quamuis in urbe crimè aliquod admiſiſſent. Habebat aut præfeſtus urbi ius relegandi & deportandi in inſulam, quã Imperator adſignauerat. Et urbe, & qualibet alia ſolitarum regionum, item negociatione, profeſſione, aduocationibus & foro tam ad tẽpus, quàm in perpetuum interdicerè præfeſtus poterat: item ſpectaculis: & ſi quem relegabat ab Italia, ſubmouere eum etiam à prouincia ſua poterat.

De quæſtoribus hæc maximè in iure habentur. Primum quidem, quòd origo creandi quæſtoris antiquiſſima ſit, & ante omnes penè magiſtratus: dicti autem quæſtores ſunt à quærendo ſeu inquirendo, quaſi inquiſitores. Erant autem uaria quæſtorum genera: alij enim ærarij erant quæſtores, alij parricidij ſeu capitalium rerum: alij qui Candidati principis dicebantur, qui epistolæ eius in ſenatu legebãt. Creabantur autem quæſtores tam patricij quàm plebei: eratq; hic magiſtratus ingreſſus & quaſi primordium gerendorum honorum, ſententiæq; in ſenatu dicendæ. Sine ſubſcriptione & expreſſo conſenſu Imperatoris, ordinatio quæſtorum nullius erat momenti. Nihil ab ijs pro ordinatione dabatur, eratq; ſalarium

rium eorum annuum decem librarum auri, adsefforis eorum centum solidorum, apparitorum trecentorum triginta solidorū. Solebant autem questores sortiri prouincias, exceptis ijs quos candidatos principis appellatos dixi. & cura minoris laterculi ad questores pertinebat. Imperator quoque Iustinianus nouū genus questorum constituit, qui de peregrinis inquirerent, & eos qui sine causa in urbe morarentur, eijcerent, & mendicantes ualidos coercerent. Ad hos etiam pertinebant causse iniuriarum occasione consuetudinum ortæ, item falsi causa: illisq; maxime fuit iniunctum, ne quid uel ipsi uel ipsorum apparitores à subditis acciperent. Hæc de questoribus.

De prætoribus urbanis supra dictum est. Erant autem & prætores singularum prouinciarum, penes quos tam armorum quàm legum potestas erat. Dicti autem sunt prætores, quòd cæteris omnibus præirēt, & præponerentur. Vnde & ea loca, in quibus publice magistratus uel ius reddere, uel habitare solebant, Prætoria dicebantur. Quanquam autem (ut supra ostensum est) octodecim Prætores olim in urbe Roma fuerint: tamen Constantinopoli ex constitutione Impp. Valent. & Martiani non nisi tres prætores creabantur, non extranei, sed incole eius urbis, adeò ut nec clarissimi quidem uel spectabiles uiri ex prouincijs ad præturam urbis uocarentur. Ad prætorum autem iurisdictionem pertinebant caussarū cognitiones.

ignitiones, & in quibus decretum interponebatur. Unde Paulus: Vbicunq; caussa cognitio est (ait) ibi Prætor desideratur. Erat demum hic magistratus annualis. Prætorum deniq; in urbe non erat unum genus: alius urbanus dicebatur, alius peregrinus, alius fideicommissarius, & c. quemadmodum patet ex ijs, quæ supra de origine magistratus exposuimus. Hisce Imperator Iustinianus adiecit Prætores plebeios, quos ueteres Romani præfectos uigilum; Græci nocturnum præfectos appellauerāt. Quorum officium Imperator Iustinianus peculiari constitutione de plebeis prætoribus inscripta describit. Quæ autem præfecti uigilum iura fuerint antiqua, hic exponam. Eius origo fuit sub Augusto Imp. Nam apud uetustiores incendijs arcendis triumuiro præerant, qui ab eo, quòd excubias agebant, nocturni dicebantur. Interueniebant nonnunquam ædiles & tribuni plebis. Erat autem familia publica circa portas & muros disposita, quæ inde, si opus esset, euocabatur. Fuerunt et priuatae familie, quæ incendia uel mercede, uel gratia extinguerent. Deinde diuus Augustus maluit perse huic rei consuli, pluribus uno die incendijs exortis. Nam salutem reipub. tueri nulli magis credit conuenire, nec alium sufficere ei rei, quàm Cæsarem. Itaq; septē cohortes opportunis locis cōstituit, ut binas regiones urbis unaquæq; cohors tueretur: prepositis eis tribunis, & super oēs spectabili uiro,

qui praefectus uigilum appellatur. Hic per totam noctem uigilare tenebatur, & oberrare calceatus cum hamis & dolabris, ut curam adhiberet: omnes inquilinos admonere, ne per negligentiam aliquam incendij casus oriretur: praeterea ut aquam unusquisque in coenaculo haberet. Cognoscebat autem praefectus uigilum de incendiarijs, effractoribus, furibus, raptoribus & receptoribus: nisi si qua tam atrox tamque famosa esset persona, ut praefecto urbi remittenda sit. Sed & de capitalibus causis, ut puta si quis dolo incendium fecisse diceretur, nihil sua auctoritate statuere poterat: uerum si quid huiusmodi euenerat, praefecto urbi referre tenebatur, ut de memoratis causis celsiore sententia iudicaretur. Fustibus uel flagellis castigabat eos, qui negligentius ignes habuissent, aut seuera interlocutione comminatus fustium castigationem remittebat. Post praefectum uigilum de aedilibus dicendum. Hi curam gerebant per urbem publicorum itinerum, ut complanarentur: ne uel flumina damnum darent aedibus, & ut ponticuli essent quocumque loco opus fuisset. Curam item habebant, ut si priuati parietes, qui in publicam uiam feruntur, ruinam minarentur, aedium domini eos, ut oportet, demolirentur, ac repararent: quod nisi fecissent, ius multandi eos habebant. Procurabant etiam, ne quis publica itinera perfoderet, aut aggeribus congestis obrueret, ne uel quid in publico itinere exaedificaret.

Præterea

Præterea ut ante suas quisq; ædes publicas uias repararet, repurgaretq; aquagia, quæ sub dio sunt, ita quid dē ut ne quid impedimento esset, quo minus iretur ageretur. Procurabant insuper, ne quid ante officinas propositum esset: præterquam si fullo uestimenta ab excoctione ad aurā recrearet, uel faber rotas exponeret: ut tamen ita collocarent ne impedimento essent ducēdo uehiculo. Sed neq; rixari in itineribus, neq; stercora proijcere, neque morticina, aut pelles iactare permittebant. Hæc de officio ædiliū. Nunc de proconsule dicendum.

Hic plenissimam iurisdictionem in prouincijs habebat, omniumq; partes qui Romæ quasi magistratus uel extra ordinem ius dicebant, ad ipsum pertinebant. Et ideo maius imperium in ea prouincia habebat omnibus post principem: nec quidquā erat in prouincia, quod non per ipsum expediretur: nisi forte fiscalis pecuniaria caussa esset: hæc enim ad procuratorē Principis respiciebat. Proconsularia etiam insignia Proconsul habebat statim atq; urbem egressus esset, & iurisdictionem exercere poterat, non tamen contentiosam, antequam prouinciā esset ingressus, sed uoluntariam: ut & manumitti apud eum possent tam liberi quàm serui, & adoptiones fieri. Poterat quoq; proconsul iurisdictionem suam legato mandare, dummodò prouinciā esset ingressus. Si tamen antea mandatā postea ingressus ratā habuerit, cōualescebat.

lescebat. Sed et si necessariā morā proconsul in itinere patiebatur, legato qui maturissimè in prouincias peruenturus erat, poterat mandare nondū ingressus. Ea tamē, quæ sunt meri imperij, proconsul nec extra nec intra prouinciā mandare poterat. Sicut autē mandare iurisdictionē, uel non mandare, in arbitrio erat proconsulis: ita adimere mandatā iurisdictionē ei licebat, non tamen inconsulto principe. Antequā autē fines prouinciæ sibi decretæ proconsul ingressus erat, edictū de aduentu suo mittebat, continens cōmendationem aliquam sui, si qua ei familiaritas esset cum prouincialibus, uel coniunctio: & maximè excusans, ne publicè uel priuatim ei occurrerent: esse enim conueniens, ut unusquisq; in sua cum patria excipiat. Rectè autem et ordine faciebat, si edictum decessori suo misisset, & significasset, qua die fines esset ingressurus: plerunq; enim incerta & inopinata turbāt prouinciales, & actus impediunt. Hunc morem edicti mittendi Imp. Iustin. uidetur sustulisse, dum quadam constitutione ita inquit: illud omnibus prædictum uolumus, ut quem quisq; magistratum suscepit, eum & tueatur: neq; facti eius magistratus successores, cum longius adhuc à prouinciæ finibus absunt, edicta (ut uocant) de aduentu suo mittant. Porro prouinciam ingressus illud etiam obseruare tenebatur, ut per eam partem prouinciam ingrederetur, per quā ingredi moris erat: item obseruare tenebatur, in quā

primum

*primam ciuitatem uel ueniret uel adplicaret. Magni
 enim faciunt prouinciales, seruari sibi consuetudinē,
 & huiusmodi prærogatiuas. Cum uerò in aliquã ce-
 lebrem, uel prouinciæ caput peruenisset, pati teneba-
 tur cõmendari sibi ciuitatē, laudesq; suas non graua-
 tē audire: & serias secundum mores & consuetudi-
 nem, quæ retrò obtinuit, dare. Aedes etiam sacras, &
 opera publica circumire inspiciendi gratia, an facta
 recta essent, & quæ essent, uel an aliqua refectione in-
 digerent, et si qua cœpta essent, ut consummarentur,
 prout uires eius reipublicæ permittebant, curabat:
 curatoresq; operum diligentes præponere, ministe-
 ria quoq; militaria, si opus erat, ad curatores adiu-
 uandos dare tenebatur. Obseruare & illud procon-
 sulem oportebat, ne in hospitij præbendis oneraret
 prouinciam. Neq; statores suos habere poterat, sed iu-
 re eorum milites ministerio in prouincijs fungebantur.
 Proficisci autem proconsulem melius erat sine u-
 xore, sed & cum uxore poterat. Quod tamen uxor
 deliquisset, ab ipso proconsule ratio & uindicta exi-
 gebatur. Ad xenia proconsuli oblata quod attinet,
 iuebatur obseruare prouerbum hoc: Neque om-
 nia, neque quouis tempore, neque ab omnibus.
 Nam ualde inhumanum est, à nemine accipere: sed
 passim, uilissimum est: & per omnia, auarissimum.
 Præterea proconsul non nisi sex fascibus utebatur.
 Ordo quoque postulantium à proconsule obseruari*

iubebatur: ne fortè dum honori postulantium locus daretur, uel improbitati cedretur, mediocres desideria sua nõ proferrèt: q̄a aut omnino nõ adhibuerint, aut minus frequètes, neq; in aliqua dignitate positos aduocatos sibi prospexerint. Sed & circa aduocatos audiendos patientè proconsulè esse oportebat, cum ingenio tamè, ne contèptibilis uideretur. nec ideo dissimulare, si quos caussarũ cõcinnatores uel redèptores deprehenderet. Eos quoq; solos pati postulare, quib. per edictũ eius postulare permittebatur. Aduocatos quoq; petètibus tenebatur indulgere, plurimũ que sceminis uel pupillis, uel aliàs debilibus, uel his q̄ suæ mentis nõ sunt, si quis eis peteret: uel si nemo esset qui peteret, ultrò eis dare debebat. Sed et si quis per potentiã aduersarij nõ inuenire se aduocatũ diceret, equè oportebat ei aduocatũ dare. Cæterum opprimi aliquè per aduersarij sui potentiã nõ oportet. hoc enim ad inuidiã eius, qui prouinciæ præest, spectat, si quis tã potenter se gerat, ut oēs metuãt aduersus eũ aduocationẽ suscipere. Ea quoq; in quib. caussæ cognitio cõsistit, & decretũ interponendũ erat, proconsul ipse inquirere & audire tenebatur: neq; per libellũ huiusmodi negocia expediri possunt. De plano quoq; expedire poterat hæc: ut obsequiũ parètib. & patronis, liberisq; patronorũ exhiberi iuberet: cõminari etiã et terrere filiũ à patre oblatũ, qui nõ (ut oportet) cõuersari diceretur. Poterat de plano similiter

& h.

& libertum non obsequentem emendare aut uerbis
 aut fustium castigatione. In summa, omnia præsidum
 officia communia obseruanda quoq; erant à procon-
 sule, & usque in aduentum successoris sui omnia a-
 gere eum oportebat: nec legatum suum ante se di-
 mittere poterat. Portam uerò Romæ ingressus im-
 perium deponebat. Hæc de proconsule ipso: nunc
 de proconsulis legato dicendum. Hic iurisdictio-
 nem à proconsule habebat mandatam, ipse nullam
 propriam habens. Merum itaq; imperium & ani-
 maduersionem non habebat. Ideoq; apud legatum
 Proconsulis nemo manumittere poterat, nec adopta-
 re: nec etiam apud eum erat legis actio. Dandi tamen
 iudicis ius habebat, & tutores dare poterat. Causas
 etiam criminales, quemadmodum & ciuiles, audire
 poterat: sed cum esset sententia in ijs contra reos fe-
 renda, eos ad proconsulem trans mittebat. Item lega-
 tos non oportebat Principem consulere, sed procon-
 sulem suum, & is ad consultationem legatorum re-
 spondebat.

De præside prouinciæ hæc maximè in iure habè-
 tur. Primum quidem, quòd præsidis nomen genera-
 le sit, eo quòd & proconsules & legati Cæsaris, &
 omnes prouincias regentes (licet senatores essent)
 præsidēs appellabantur. Proconsulis appellatio spe-
 cialis. Omnia autem prouincialia desiciæria, quæ Ro-
 mæ uarios iudices habent, ad officium præsidū per-
 tinent.

tinent. Et in homines sue prouinciae Praeses imperium
 habet, dum in prouincia est. nam si excesserit, priua-
 tus est. Habet interdum imperium & aduersus extra
 neos homines, si quid in aliū manu cōmiserint. Nā et
 in mandatis Principum est, ut curet is, qui prouinciae
 praest, malis hominibus purgare prouinciam: nec di-
 stinguitur unde sint. In officiales praefectorum cur-
 sum publicum laniantes, & praua contra utilita-
 tem publicam molientes, uindicandi praeses habet po-
 testatem, ita ut praefectos de eorum culpa faciat cer-
 tiores. Sed & alij, quamuis militia decorati & pro-
 prijs iudicibus deputati, tributorum & criminum
 occasione iurisdictioni praesidis subijciuntur, nec in
 istis causis ad praesidem uocati sibi praescriptione
 uti possunt. Nam Praeses prouinciae in ea cui praes-
 est prouincia maius omnibus post principem im-
 perium habet: iusq; gladij illi competit, & in metal-
 lum dandi potestas ei est permissa. Si tamen pro-
 uincia excesserit, priuatus est, ut diximus: non au-
 tem abdicando, imperium amittit. Sanè praesidis
 officia haec sunt. In primis quidem, ut curet ut pa-
 cata atque quieta prouincia sit, quam regit: quod
 non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis ho-
 minibus prouincia careat, eosq; conquirat. Nam
 & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquire-
 re debet, & prout quisque deliquerit, in eum ani-
 maduertere, receptoresq; eorum coercere, sine qui-
 bus

In latro diutius latere non potest. Præterea æquita-
 tem subditis cōseruare debet, & neq; lucri neq; alicuius
 affectionis causa in alteram partē cōcedere. Ob-
 seruandum est & illud, ut in adeundo facilem se præ-
 beat, ita tamen ut cōtemni se non patiatur. Vnde mā-
 datis adiicitur, ne præsides prouinciarum in ulterio-
 rem familiaritatē prouinciales admittant. Nā ex cō-
 uersatione equali cōtemptio dignitatis nascitur. Sed
 & in cognoscendo neq; excandescere aduersus eos,
 quos malos putat, neq; precib. calamitosorū illachry-
 mari oportet: id enim nō est cōstantis et recti iudicis,
 cuius animi motum uultus detegit, & summam ita
 ius reddere debet, ut authoritatē dignitatis ingenio
 suo augeat. Porro tributorum quoq; exactio, & ne
 fiscus aliquid detrimenti accipiat, ad curam Præsidis
 in prouincia, cui præest, pertinet: item ut disciplina
 publica custodiatur, & subditi cōseruentur illæst.
 Suo quoq; periculo Præsces controuersijs tam ciuili-
 bus quàm criminalibus per sententiā suam finem im-
 ponet: et ne humiliores à potentiorib. opprimantur,
 providebit: & ne illicita ministeria uel sub specie tri-
 butorū illicitæ exactiones subditis extorqueantur, cu-
 rabit. Sed neq; licita negociatione aliquos prohiberi,
 neq; prohibita exerceri, neq; innocentib. pœnas irro-
 gari, providebit. Illud quoq; obseruandū est Præsidi,
 ne fines prouinciæ suæ excedat: nisi uoti soluēdi caus-
 sādū tamē abnoctare ei nō liceat. item ne Romā sine
 iussu

44 I N S T I T U T I O N V M
iussu Principis proficiatur. Hæc de officio præsi-
dis. Quanquam & plura alia eiusmodi officia ex a-
lijs diuersis locis annotare licet. Sunt itẽ præter hæc
& alia officia specialia præsidum certarum prouin-
ciarum: utputa proconsulis Asiæ, præfecti prætorio-
rum Africæ, proconsulis Cappadociæ, &c. Quæ ta-
men iura, quia localia sunt, hic prudens omitto. Sed
& de uicarijs, adiutoribus, apparitoribus & mini-
stris magistratuum ac iudicum tam in genere quàm
in specie non pauca in iure habentur, plus difficulta-
tis & obscuritatis quàm utilitatis continentia. Ideoq;
istis recensendis lectorem non remorabor. Si quis ta-
men curiosus ea requirat, ex Digestis meis petere po-
test. De magistratibus ergo tam in genere quàm in
specie hætenus sit dictum.

DE IUDICIIS PVBLCIS IN
genere. C A P. V.

Sequitur ut dicamus de iudicijs, quæ partim pu-
blica sunt, partim priuata. Publica dicta sunt,
quòd cuius ex populo executio eorum plerũq;
detur. Quæ rursus duplicia sunt: quedam enim ca-
pitalia sunt, quedam non capitalia. Capitalia dici-
mus, quæ ultimo supplicio adficiunt homines, uel etiã
aque & ignis interdictione, uel deportatione, uel
metallico. Cætera si quam insaniam irrogant cum
damno pecuniario, hæc publica quidem sunt, non ta-
men

men capitalia . Non tamen omnia iudicia, in quibus crimen uertitur, publica sunt : sed ea tantum, quæ ex legibus iudiciorum publicorum ueniunt . ut est lex Iulia Maiestatis , Iulia adulterij , Cornelia de sicarijs & ueneficis, Pompeia parricidij, Iulia peculatus, Cornelia de testamētis, Iulia de ui publica, Iulia de ui priuata, Iulia ambitus , Iulia repetundarum, Iulia de annonæ, Fauia de plagiarijs . Porro publica iudicia neq; per actiones ordinantur , nec omnino quidquam simile habent cum iudicijs priuatis , magnaq; diuersitas eorum est & in instituendo, & in exercēdo . Ordo enim exercendorum publicorum iudiciorum capitalium in usu esse desijt , durante tamen poena legum : cū extra ordinem crimina probantur . Competunt autem hæc iudicia publica cuiuis accusare uolenti, ut diximus . Quod ut regulariter uerum est, ita suas habet exceptiones . Nam mulieres ad accusandum non admittuntur . nisi suam suorumue iniuriam persequantur : quamuis ex lege Iulia de adulterijs mulier accusare non possit , licet de matrimonio suo uiolato queri uelit . Sed & in questionibus læsæ maiestatis etiam mulieres audiuntur . Item mulierem propter publicam utilitatem, ad annonam pertinentem, audiri à Præfecto annonæ deserētem, diuus Hadrianus & Antoninus rescripserunt . item & in lege Cornelia testamentaria mulieribus publicam accusationem Senatus concessit . Pupillus quoq; publico iudi-

iudicio accusare prohibetur: nisi patris uel auisui mortem exequi, uel de testamento patris agere consilio tutorum uelit: his enim casibus ad accusandum admittitur. Similiter seruus ab accusationibus repellitur: præterquã si uel ex lege Iulia maiestatis, uel ex lege Iulia de annonâ accuset. Nonnulli etiam prohibentur accusare propter paupertatē: ut sunt qui minus quàm quinquaginta aureos habēt. Alij etiã propter sacramentũ accusare prohibētur: ut milites quĩ stipendium merentur. De lesa tamen maiestate & annonâ milites quoq; audiuntur: sed & si suam suorumue iniuriam persequuntur. Alij prohibentur accusare propter magistratum, potestatemue, in quã agentes sine fraude in ius euocari non possunt. Alij propter delictum proprium, ut insanes: quæ tamen exceptio easdem recipit replicationes, quas superior proxima de militibus. Calumnia quoque notatis ius accusandi ademptum est. Idem dicendum de ijs, qui ob accusandum uel non accusandum aliquando pecuniam acceperint. Sed & is, qui duos reos simul delatos habet, tertium accusare prohibetur, nisi suã suorumue iniuriam persequatur: qualis est is, qui mariti iure adulterij crimē intendit. Is quoq; qui cum bestijs pugnauit, uel rem ludicram, siue lenocinium exercet, publico iudicio accusare prohibetur. Sed nec familiarem uel cognatum uel seruus dominum, aut libertus patronum accusans audiendus est: nisi

nisi ciuilitè, non criminalitè agatur, uel ex lege Italia maiestatis accusatio instituatur, uel de amona: uel seruus queratur testamenti tabulas, in quibus sibi liberus sit relicta, à domino supprimi: uel deniq; liber tus patronū iure mariti adulterij accuset. Planè domi nus seruum & pater filium accusare nō prohibetur. Procurator insuper dominum, cuius negocia gessit, accusare nō potest: nec reus criminis eum, à quo reus factus uel accusatus est, accusare permittitur: nisi fortè prior accusatio finita sit, & reus absolutus uel saltem damnatus ciuitatem & libertatem reti nuerit: uel maius crimen in posteriore iudicio obji ciatur accusatori: uel reus suam suorumue iniuriam persequatur, uel causam filio deferre uelit: uel uxor à marito adulterij accusata, lenocinij crimen illi ob iiciat: hoc enim casu maritus quoque accusator po test damnari. Sed et reus pendente priore accusatio ne, inscribere in crimen futurae accusationis nō pro hibetur. Is quoque qui antea in alia accusatione ad uersus eundem calumniatus est, ab accusatione re pellitur. Similiter & is, qui antea ab instituta accusa tione destitit: quamuis reus pacto non obtemperauit: nisi fortè ab Imperatore denuò accusandi pote statem impetrauerit. Destitisse autem is uidetur, qui animū accusationis implendæ prorsus deseruit, nō di stulit negociū. Postremò plures de eodē crimine eundē accusare uolentes nō admittuntur: nisi fortè de diuersis crimi-

criminibus ex eodem facto ortis: uel alius post alium
 accuset, priore ab accusatione remoto. Ex his, quibus
 accusatio competat uel non competat, patet. Aduer-
 sus alium autem, quam qui crimen commisit, accusa-
 tio institui non potest: nisi forte mandatu alterius
 crimē sit perpetratum: nam hoc casu uterq; tenetur,
 tam is qui mandauit, quam is qui turpe mandatum
 suscepit. Heres sanē non tenetur, nisi quod inter-
 dum bona eius qui crimen commisit, quamuis de-
 functi, publicentur: de qua re infra suo loco dicetur.
 Per procuratorem etiam neq; accusatio neq; defen-
 sio in criminalibus permittitur, adeo ut nec pupillus
 uel minor uiginti quinque annis per tutorem uel cu-
 ratorem suum accusare uolens audiatur. Sed tutor
 uel curator suo, non pupilli uel adolescentis nomine
 accusare debet. In illustri quoq; dignitate positi per
 se, non per procuratores accusare debent: excepta ini-
 uiarum actione criminali, quam ueteres inter pri-
 uata iudicia connumerant: hanc enim illustres uiri,
 horumq; uxores ac liberi per procuratorē tam in-
 stituere quam excipere possunt. Patronus quoq; li-
 bertum ut ingratum per procuratorem accusare, et
 libertus per procuratorem respondere potest. Sed
 et exceptio proposita ab initio omissa, conclusa iam
 disputatione frustra opponitur. Causam sanē ab-
 sentie tam accusatoris quam rei cōuenti per procu-
 ratorem reddi posse, non dubitatur. Sed et pro reis
 lati

latitantibus quilibet iudicium suscipiens audiendus est. Et seruus accusatus per procuratorē defendi potest. Mulier quoq; rea per procuratorem iure quidē nouo defendi potest: quāuis secus erat iure antiquo. Porro iudicia publica ibi exercenda sunt, ubi crimē est cōmissum: nam ibi quisq; puniendus est, ubi deliquisse arguatur, uel ubi deprehenditur. Sed & in criminali negotio rei forum ac domiciliū accusator sequi debet. Planē decuriones & principales ciuitatū, qui capitale qd admiserūt, sententiā Imperatoris expectent. Magistratus etiā suos officiales punire possunt. Praesides sanē prouinciarū, nō stationarij in criminalib. causis sunt adcundi. Ciuiliū quoq; caussariū iudices de criminalib. non cognoscunt: nisi forte mortuo reo de publicatione bonorum, uel de eo quod ad heredem peruenerit, cōtendatur. Nam in quacunq; causa criminis extincti debet is cognoscere, cuius de pecuniaria re est cognitio. In causis autē publici iudicij interdū & de plano proceditur: utputā si leue crimen obijciatur, uel quæstiones habēde sint, & custodiæ audiendæ. Sed & libellus accusatorius de plano dari potest. Porro iudicia publica ultra bienniū proroganda & extendenda nō sunt, possuntq; feriatis quoq; diebus custodiæ audiri. Quadraginta tamē diebus, qui auspicio ceremoniarum paschale tempus anticipat, omnis cognitio inhihetur criminaliū quæstionum. Accusationibus autem publicis regulariter

qui

10 INSTITUTIONVM

quidem nō nisi uiginti annorum obstat prescriptio. Ex quibus autem causis publica sunt iudicia, ex his non sumus prohibendi, quo minus et priuato iudicio agamus: nisi principaliter de ea re agatur, quæ publicam habet executionem. In notorijs uerò & quæ per officium denunciantur, solennitas iudicij necessaria non est. Hæc de personis & temporibus publicorum iudiciorum, nec non de adfinibus dicta sunt remedijs. Nunc de causis publicorum iudiciorum generalioribus dicendum est, & istarum caussarum exceptionibus. Puniuntur autem aut facta, ut furta, cedesq;: aut dicta, ut conuicia & infide aduocationes: aut scripta, ut falsa, & famosi libelli: aut consilia, ut coniurationes, & latronum conscientia, quosq; alios suadendo iuuisse sceleris est instar. Hæc quidem generalis caussarum criminalium distributio est: harum autem species sunt plurimæ, quæ infra suo loco enumerabuntur. Sanè cogitationis pœnam nemo patitur. Planè dicta quatuor genera Claudius Saturninus ait consideranda esse septem modis: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu. Nam hæc & aliæ similes sunt circumstatiæ tam factorum quàm dictorum, aliarumq; caussarum ex quibus exceptiones aduersus istiusmodi caussas accusationum sumi solent: quas exceptiones, præsertim generaliores, nunc enumerabimus. Harum prima hæc est: Si quid sine dolo malo

se

factū sit. nam maleficia uoluntas & propositum delinquentis distinguunt. Proinde qui emendationis aut correctionis animo quid fecit, excusatur: dummodo corrigendi ius habuerit, & modum in corrigendo non excefferit. Is tamen qui abortionis aut amatorium poculum dedit, licet eo proposito, ut hominem interficeret, nō dederit: tamen si mulier aut homo eo facto perierit, ordinaria pœna tenetur. Planè exceptio proposita pertinet non tam ad eximendum reū damnatione, quàm ad damnationem minuendam. Quamuis enim dolo malo reus careat, tamen si culpa ei imputari possit, punitur quidem, sed leuius. Sic per uinum aut per lasciuiam lapsis, capitalis pœna remittenda est, & militia mutatio irroganda. Præterea excusatur quoq; is qui mandatu alterius, cui parere necesse habuit, crimen commisit: ut puta mandatu domini, patris, uel magistratus: dummodo atrocium crimen non sit. Interdum quoq; etas eius qui crimen commisit, excusationem meretur: puta si pupillus sit: dummodo doli capax non sit. Sed & doli capax & pubes interdum excusationem meretur, non ut in totum absoluat, sed ut pœna mitigetur. In seruis plerunque pœna augetur, tantum abest ut propter seruitutem mereantur excusationem. Ii quoque qui in magistratu sunt, uel rei publice causa absunt, accusari non debent: sed accusatio ad finem magistratus, uel cum reipublice causa

d 2 abesse

abesse desierint, differenda. Hæc sanè exceptio, quæ quis dicit propositum non habuisse euentum, recipi non debet: dummodò in actum fuerit deductum: nam solius cogitationis poenam nemo patitur. Præterea mortuo eo, qui crimen commisit, crimē extinguitur, nec accusatio aduersus eius hæredes institui potest: nisi crimen perduellionis sit commissum: uel sententia uiuo reo lata. hoc enim posteriore casu, quamuis pendente appellatione reus mortuus fuerit, nihilominus iudicium propter publicationem bonorum durat: nisi fortè publicationis bonorum in sententia mētio nulla sit facta: uel reus sine hærede decesserit: uel reus tantum requirendus adnotatus, non capitaliter damnatus, intra annum mortuus sit. Sed & post mortem rei crimen eiusq; accusatio durat, si accusator à reo defuncto dicatur corruptus. Item si alij socij criminis dicantur: hi prætensa morte alterius, qui eodem crimine reus dicebatur, accusationem non effugiunt. Hæc de morte rei conuenti. Sed et liberatur reus, qui conspirationem sociorum ruptis uinculis & effracto carcere aufugere moliētū detexit. Planè qui alium eiusdem criminis socium nominauit uel prodidit, hoc solo non liberatur. Mortuo quoq; accusatore, uel ex alia caussa accusare impedito, criminis fit abolitio: nisi fortè alius postea eundem reum de eodem crimine accusare uelit. huic enim abolitionis exceptio non obstat: dummodò intra triginta dies

utiles

*utiles reum repetierit. Sed etsi iudicium coeptum
 intra tempus uel à lege uel à iudice statutum finitum
 non sit: accusator postea repellitur. alius tamen de no
 no accusare uolens audiendus est. Præterea reus an
 tea de eodem crimine semel accusatus & absolutus,
 exceptione rei iudicatæ rursus accusatus defenditur:
 nisi absente accusatore & caussa nondum cognita
 in priore iudicio fuerit absolutus: uel prior accusa
 tor præuaticatus fuerit, & à reo corruptus: uel po
 sterior accusator suam iniuriam persequatur, igna
 rus accusationem ab alio antea fuisse institutam: uel
 antea ciuilitè actum sit, uel de alio crimine ex eo
 dem facto orto. Planè quamuis ex alia lege antea sit
 actum, exceptio proposita nihilominus reo prodest.
 Sed & eximitur reus damnatione, abolitione inter
 ueniente: nisi fortè alius quàm qui abolitionem im
 petrauit, reum repetere uelit: uel alia obstent, quæ
 infra de abolitionibus enumerabuntur. Quæ tamen
 omnia cessant, si post triginta dies ab abolitione e
 lapsos reum quis uelit repetere: nisi fortè uel accu
 sandi facultas non fuerit, uel alia abolitione præ
 scriptio sit interrupta, uel generali abolitione facta
 accusatio, de qua queritur, eo tempore non fuerit in
 iudicium deducta, uel denique seruus eius fuerit, &
 in uinculis esse iussus: in hisce enim casibus propo
 sita triginta dierum præscriptio cessat. Hactenus
 exceptiones aduersus causas publicorum iudicio*

rum generaliores enumeratae sunt. Quarum tamen omnium, & si quae sunt similes, replicationes generales haec sunt: Si reus ruptis uinculis & effracto carcere euadere fuerit conatus: si accusatorem corrumpit: si seipsum interficere uoluit: si denique repetito reo ante abolitionem praescriptiones non fuerint oppositae. hisce enim casibus exceptionibus haecenus enumeratis adiuuari non debet. Quamuis autem populus reum uelit damnari, uel reus requirendus sit adnotatus, istis exceptionibus non derogabitur. Planè quod dictum est, si reus accusatorem corrumpit, exceptionibus supradictis, quò magis absoluat, adiuuari non debere: distinctionem recipit. Nam in capitalibus criminibus, quae poenam mortis continent, decretum est, non nocere ei qui aduersarium corruerit: ignoscendum enim ei, qui sanguinem suum qualitercunque redemptum uoluerit, quod tamen fallit in crimine adulterij & latrocinij. Sed & in falsi crimine reo licet cum accusatore transigere. Quamuis autem is qui accusatorem corrumpit, pro conuicto habeatur: tamen eo ante sententiam latam mortuo, heredi eius non prauiudicatur, nisi crimen fuerit probatum. Haec de causis, causarumque exceptionibus publicorum iudiciorum generalioribus.

De poenis.

Nunc quid ueniat in iudicia publica, seu de poenis differendum est. Poenas ob maleficia solui, magna ratio

tio

*io suadet. Est autem poena noxae uindicta: fraus
 & ipsa noxa dicitur, & quasi poenae quaedam pre-
 paratio. Inter poenam uero & multam hoc inter-
 est, quod inter genus & speciem. Nam poena gene-
 rale nomen, est omnium delictorum coercitio: mul-
 ta specialis peccati, cuius animaduersio pecuniaria
 est. Poena non tantum pecuniaria, uerum capitis quo-
 que & existimationis irrogari solet. Poenarum au-
 tem diuisio haec est, quod aliae capitales sint, aliae non
 capitales. Capitalium poenarum ferè isti gradus
 sunt: Summum supplicium, ut ad furcam damna-
 tio, uiui crematio: item capitis amputatio. Deinde
 proxima morti poena metalli coercitio, deinde in
 insulam deportatio. Ceterae poenae ad existimatio-
 nem, non ad capitis periculum pertinent: ueluti re-
 legatio ad tempus uel in perpetuum, uel in insulam, uel
 cum in opus publicum quis datur ad tempus, uel cum
 fustium ictui subijcitur. Haec de prima poenarum diui-
 sione. Diuiduntur & alio modo poenae, scilicet quod
 aut uitam adimant, aut seruitutem adiungant, aut ci-
 uitatem auferant, aut exilium, aut coercionem cor-
 poris contineant: ueluti fustium admonitio, flagel-
 lorum castigatio, uinculorum uerberatio: aut damnum cum
 infamia, aut dignitatis alicuius depositionem, aut alicu-
 ius actus prohibitionem. Ex hisce priora tria genera
 capitalis poenae species sunt, reliqua non capitalia. Sa-
 ne ad mortem damnati simul libertatem & ciuitatem perdunt.*

Sed & in metallū uel in opus metalli damnati, serui
 pœnæ efficiuntur: nisi ad tempus, nō in perpetuū dam-
 nati sunt. item serui efficiuntur ij, in quos animadu-
 er- ti iubetur, quæ ad bestias dantur. Inter eos autem
 qui in metallum, & eos qui in opus metalli damnan-
 tur, differentia in uinculis tantum est: quod qui in me-
 tallū dantur, grauiorib. uinculis premuntur: qui in o-
 pus metalli, leuioribus: quodq; refugæ ex opere me-
 talli in metallū damnatur, ex metallo grauius coercē-
 tur. In calcariam quoq; uel sulfurariā damnari solēt:
 sed hæ pœnæ metalli magis sunt. Solam aut ciuitatē
 auferūt, retenta libertate, pœna operis publici, & in
 insulā deportatio: quib. pœnis dānati ea quæ iuris ci-
 uilis sunt, amittūt: quæ uerò sunt iuris gentiū, retinēt.
 In ludum quoq; uenatoriū damnari solent iuniores:
 qua pœna damnati serui pœnæ efficiuntur. Planè pro
 coercitione delicti uel pistori- bus, uel cuicunq; alteri
 corpori (cū alterius sit corporis) uel curiæ addici ne-
 mo debet. In casu tamē quis, ut negocietur, damnari
 potest. Sed & nemo, ut de saxo præcipitetur, uel mē-
 brum ei amputetur, pōt dānari. Planè si delicti qua-
 litas amputationē membri exigat: una duntaxat ma-
 nus amputanda. Præterea pœna in facie scribi non
 debet, & questionis habendæ caussa nemo dānandus
 est. Carcer quoq; ad continendos homines, non ad pu-
 niendos haberi debet: neq; perpetuis uinculis quis est
 damnandus: nisi forte seruus sit. Potest autem alicui
 pœnæ

*pæne nomine aliquo actu interdici : puta aduocationibus, uel ne certis personis adsit, uel apud certos iudices : quo casu apud inferiores iudices postulare prohibitus non uidetur : ut puta apud legatum uel procuratorem præsidis, cum apud ipsum præsidem postulare alicui esset interdictum. Si tamen apud legatum prohibitus fuerit postulare, nec quidem apud Præsidem relicta illi est postulandi facultas. Nonnunquam non aduocationibus cui interdicitur, sed foropius est autem foro, quam aduocationibus interdiceret. siquidem huic omnino forensibus negocijs accomodare se non permittitur. Solet autem ita uel iuris studiosis interdici, uel aduocatis, uel tabellionibus siue pragmaticis. Solet et ita interdici, ne instrumenta omnino forment, neue libellos concipiant, uel testationes consignent. Solet et sic, ne eo loci sedeant, quo in publico instrumenta deponuntur, archiuo forte, uel grammatophylacio. Solet et sic, ut testamenta ne ordinent, uel scribant, uel signent. Erit et illa pœna, ne quis negocijs publicis interueniat : hic enim priuatis interesse poterit, publicis prohibetur : ut solent quibus sententia præcipitur *in Annotis de*. Sunt autem et alie pœnæ: puta si negociatione quis abstinere iubeatur, uel ad conductionem eorum qua publicè locantur accedere, ut ad uestigalia publica. Interdici autem negociatione plerunque uel negociationibus solet. Planè præses ultra administrationis*

d § sue

sue tempus interdiceret alicui arte sua uti non potest. Solet præterea interdici quibusdam, ne intra patriæ territorium uel muros morentur: ne excedant patriam, uel in uicis quibusdam morentur. Sed et potest quis damnari, ne de domo sua procedat. Solet decurionibus ordine interdici uel ad tempus, uel in perpetuum. Item potest alicui pœna iniungi, ne honores adipiscatur; nec ea res facit, ut decurio esse destinat, cum fieri possit, ut quis decurio quidem sit, ad honores autem non admittatur. nam et senator quis esse potest, et tamen honores non petere. Potest alicui et uno honore interdici, sic tamen, ut si cui honore uno interdictum sit, non tantum eum honorem petere non possit, uerum nec eos quidem, qui eo honore maiores sunt; est enim perquam ridiculum, eum qui minoribus pœnæ causa prohibitus sit, ad maiores adspirare. Maioribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur. Sed muneribus si quis pœnæ causa fuerit prohibitus, nihil ualebit sententia; neque enim immunitatem pœna tribuere debet. Ergo etsi honoribus quis in pœnam fuerit prohibitus, poterit dici (si honores illi habuerint missam muneris grauem impensam) eam infamiam illi ad hoc non profuturam. Sed honore quidem illum arceri dicendum est, cæterum impendia debere præstare.

*Hactenus pœnæ species uariæ sunt enumeratæ: et
nunc*

tunc dicendum esset, quæ poena cuique sit irroganda: sed prius de relegatione & deportatione quædam specialia præcedentibus sunt adiicienda. Sanè quibus uel relegandi uel deportandi ius competat, quiq; relegandi uel deportandi sint, infra suis locis dicetur. hic reliqua relegationis & deportationis iura proponuntur. His igitur qui relegantur, dies excedendi à Præsidibus dari & potest & solet. Relegatum planè libellum dare posse principi, etiam diui fratres rescripserunt. Omnia autem sua iura relegati retinent, puta ciuitatem, patriam potestatem, bona, ius testandi, &c. tantum enim locum, è quo relegati sunt, ingredi, & locum in quem relegantur, egredi eis non licet. Quòd si legi relegationis non obtemperauerint: tunc in tempus quidem legato, in perpetuum relegationis: in insulam relegato, deportationis: in insulam deportato, poena capitis irrogatur: nisi fortè Imperator comitatum remeatum uel illi dederit. Relegatorum autem duo sunt genera: sunt quidam qui in insulam relegantur, & sunt qui simpliciter, ut prouincijs eis interdicator, non etiam insula adsignetur. Interdicere autem quis ea prouincia potest, quam regit, alia non potest: nisi fortè uel patria sit ipsius damnati, uel in ea domicilium habeat. tunc enim, quamuis ei prouinciæ relegans non præsit, interdiceret tamen ea reo potest: quamuis

quamuis ea cui præest, ei non interdixerit. nam hæc tacitè ei interdictum uidetur. Is tamen qui originis prouinciæ præest, non est nactus ius interdicendi ea prouincia, quam incolit is qui relegatur. Planè quibusdam præsidibus, ut multis prouincijs interdicere possint, indultum est: ut Præsidibus Syriarum & Daciarum. Porro cui interdictum est ea prouincia, in qua crimen commisit, etiam ea quam incolit, & ex qua originem ducit, se debet abstinere: & cui patria interdictum est, etiam urbe abstinere debet. Si tamen alicui urbe fuerit interdictum, patria sua interdictio non uidetur. Si uerò alia ciuitate interdictum ei sit, etiam patria sua, itemq; urbe interdictum uidetur. Ceterum præsides non possunt damnare in aliam insulam, quàm in ea prouincia, cui præsunt, sitam. Et sicut relegare in insulam quisquam, quæ non est sub se, non potest: ita neque in prouinciã quidem relegandi habet ius, quæ non est sub se. Item in parte certa prouinciæ moraturum relegare potest, ut fortè non excedat ciuitatem aliquam, uel regionem aliquam non egrediatur. sed & in eas partes prouinciæ, quæ sunt desertiores, præsides solent relegare. Porro species relegationis est deportatio: quæ nihil aliud est, quàm relegatio in insulam in perpetuum facta. Deportatus autem ciuitatem amittit: nisi is deportauerit, cui deportandi ius non est. Sed nec manumittere deportatus potest: eiusq; statua detrahenda: matrimonium

trimonium tamen deportatione non soluitur.

Nunc quæ poena cuique sit irroganda, uidendum est: neque enim omnes eadem poena adfici possunt, sed ex personarum conditione & rerum qualitate diligenter poenæ sunt estimandæ: ne quid aut durius aut remissius constituatur, quàm caussa postulabit. neq; aut seueritatis, aut clementiæ gratia adfectanda est: sed perpenso iudicio, prout quæq; res postulat, statuendum est. In primis igitur decuriones in metallum damnari non possunt, nec in opus metalli, nec furcæ subijci, uel uiui exuri: nec capite puniri possunt, nec in opus publicum dari, nec fustibus cædi. Sanè propter capitalia crimina deportandi uel relegandi sunt: nisi quis parentem occidisset, uel maiestatis reus esset. his enim casibus capite puniuntur. Parentes quoque & liberi decurionum in eadem caussa sunt: id est, eodem priuilegio circa poenas utuntur, quo ipsi decuriones. Liberos autem non tantum filios accipere debemus, uerum omnes liberos: nec distinguitur, utrum ante uel post decurionatum adeptum suscepti sint. Planè si parens decurio esse desierit, susceptus postea ex eo filius, quasi plebetus editus ita erit plectendus. Sed & is qui suo admissio decurionis filij honorem amisit, non potest in poenis euitandis decurionis filij honorem uindicare. Præterea quædam delicta pagano aut nullam, aut leuiorem poenam irrogant: militi uerò grauiorem: ita tamen, ut si nales ar

tem

6. INSTITUTIONVM

tem ludicram fecerit, uel in seruitutem se uenire passus sit, capite puniendum Menander scribat. Sanè pœne militum huiusmodi sunt: Castigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, ignominiosa missio: nam in metallum, aut in opus metalli non dabuntur, nec torquentur: neque ad bestias, uel in furcam damnabuntur: nisi ad hostes transfugerint. Veteranorum quoque priuilegium inter cætera etiam in delictis habet prærogatiuam, ut separentur à cæteris in pœnis. nec ad bestias utique ueteranus datur, nec fustibus ceditur. Sed & ueteranis & liberis ueteranorum idem honor habetur, qui & decurionibus. Igitur nec in metallum damnabantur, nec in opus publicum, uel ad bestias, nec fustibus cæduntur. Quod autem de liberis ueteranorum dicitur, intelligendum est ad primum duntaxat gradum. Porrò maiores nostri in omni supplicio seuerius seruos quàm liberos, famosos quàm integræ samæ homines punierunt. In seruorum autem persona ita obseruatur, ut exemplo humiliorum puniantur. Sed ex quibus causis liber fustibus ceditur, ex his seruus flagellis cædi, & domino reddi iubetur: & ex quibus liber fustibus cæsus in opus publicum damnatur, ex his seruus sub pœna uinculorum ad eius temporis spaciū flagellis cæsus domino reddi iubetur: nam seruus in opus publicum perpetuum, ac multò magis temporarium non datur: nisi

*sibi forte sub poena uinculorum domino reddi ius-
 su, à domino non recipiatur, nec uenundari possit.
 tunc enim in opus publicum, & quidem perpetuum,
 dari iubetur. Seruos autem in metallum, uel in opus
 metalli, item in ludum uenatorium dari solere, nulla
 dubitatio est. Poena uerò pecuniaria uel relegatio-
 ne serui non puniuntur. Statuliberum quasi iam li-
 berum puniendum, Imperator Pius rescripsit. Is au-
 tem cuius conditio tempore ferendæ sententiæ mu-
 tata est, eam poenam sustinebit, quam persona eius
 tempore quo deliquit ferebat. Item qui ex causa in
 metallum damnati sunt, & post hoc deliquerint, in
 eos tanquam metallicos constitui debet: quamuis
 nondum in eum locum perducti fuerint, in quo ope-
 rari debent. nam statim ut sententia de his dicta est,
 conditionem suam permutant. si quoque qui poenam
 pecuniariam egentes deludunt, coercionem extra-
 ordinariam patiuntur. Præterea non omnes fusti-
 bus cædi solent, sed hi duntaxat qui liberi sunt, &
 quidem tenuiores homines: honestiores uerò fusti-
 bus non subijciuntur. Omnes autem qui fustibus cæ-
 di prohibentur, eandem habere honoris reueren-
 tiam debent, quam decuriones habent. Est enim incon-
 stans dicere, cum quem principales constitutiones fu-
 stibus subijci prohibuerunt, in metallum dari posse. Igni
 cremantur plerunq; serui, qui salutem dominorum suorum
 insidiatum erunt: nonnunquam etiam liberi plebeij, &
 humiles*

humiles persone. In ministerium metallicorum formæ
 ne in perpetuum uel ad tempus damnari solent: simi-
 li modo & in salinas. in carcerem trudi uel custodijs
 uirorum committi non debent. Ad bestias damnati si
 eius roboris uel artificij sint, ut dignè populo Roma-
 no exhiberi possint, Princeps eo nomine consuli de-
 bet. Porro in puniendis criminibus persona duplici-
 ter consideratur: eius scilicet qui fecit, & eius qui
 passus est. de priore hactenus dictum est. Quod ad po-
 steriorum attinet, ex iisdem facinoribus aliter etiam pu-
 nitur, qui quidquam in dominum parentemue ausus
 est, quam qui in extraneum: in magistratum, quam
 in priuatum. In huius rei consideratione etatis quo-
 que ratio habetur. item, omnia admissa in patronum,
 patroni uel filium, patrem, propinquum, maritum, u-
 xorem, ceterasq; necessitudines, grauius uindicanda
 sunt, quam in extraneos. Refert & in delictis, præser-
 tim grauioribus, consultò aliquid admittatur, an ca-
 su. Et sanè in omnibus criminibus distinctio hæc pœ-
 nam aut iustam eligere debet, aut temperamentum
 admittere. de qua re supra quoque inter exceptiones
 aduersus accusationum causas dictum est. Modus
 quoque & qualitas facti nunc duriores, nunc leuior-
 em pœnam exigit. Sic furta manifesta à nec mani-
 festis discernuntur, rixæ à grassaturis, expilationes
 à furtis, à uolentia petulantia. Et in leuioribus caus-
 sis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in gra-
 uioribus

uioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo tem-
 peramento benignitatis subsequi. Quantitas quo-
 que rei, differentiam pœnæ facit. Nam qui unum
 suum subriperit, ut fur coercebitur: qui gregem, ut
 abigeus. Et qui intra oppidum incenderit, capite
 puniuntur: qui casam, aut uillam, aliquo lenius. Lo-
 cus etiam delicti auget uel minuit pœnam. Nam lo-
 cus facit, ut idem uel furtum uel sacrilegium sit, &
 capite luendum, uel minore supplicio. Et euenit, ut
 eadem scelera in quibusdam prouincijs grauius ple-
 ctantur: ut in Africa, messium incisores: in Mista, ui-
 tium: ubi metalla sunt, adulteratores monetæ. Tem-
 pus quoque discernit emansorem à fugitiuo, & ef-
 fractorem uel furem diurnum à nocturno. Sed & sæ-
 reus antè aliquoties in eodem delicto apprehensus
 est, & tractatus clementius: augenda est pœna. Pla-
 nè nunquam crescit ex post facto præteriti delicti æ-
 stimatio. Nonnunquam autem euenit, ut aliquorum
 maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties ni-
 mium multis personis grassantibus exemplo est o-
 pus. Si uerò diutino tempore aliquis in reatu fuerit,
 aliquatenus pœna eius subleuanda erit. Planè si cri-
 men pœnam legibus habet definitam, iudex eam se-
 qui debet, nec augere, nec minuere, nisi aliqua præ-
 dictarum rationū obstabit. Sed & in peculatus cri-
 mine item concussionis, furti uel alterius, quod scue-
 rius coerceri conuenit, licebit iudici in multa irro-
 ganda

ganda modum à legibus præscriptum excedere. Et quoque qui extra ordinem de crimine, cuius nulla certa pœna à legibus definita est, cognoscit, quantum uult sententiam ferre licet, uel grauiorem uel leuiorem: ita tamen, ut in utroque modo rationem non excedat, nec affectibus indulgeat. Si idem crimen diuersis legibus & pœnis coerceatur: siquidem alia pœna generali lege, alia speciali sit definita: non utraque, sed specialis in illa criminis specie irroganda est. In ambiguis autem legibus uel causis dubijs pœnæ molliendæ sunt potius quàm exasperandæ. Reus uerò in iudicium uocatus, si intra anni spaciū non comparuerit, postea apprehensus seueriori sententiæ subiugabitur. Præter hæc, æstimatio pœnæ irrogandæ interdum sumitur etiam ex persona ipsius iudicis: neque enim omnis iudex omnem pœnam potest irrogare. Nam magistratibus municipalibus ultimum supplicium ab aliquo sumere non licet. modica autem castigatio in eis non est deneganda. neque præsidēs deportandi ius habent, nisi Princeps sententiam eorum confirmauerit. Præfectus tamen urbi deportandi ius habet. Ius sanè relegandi & Præsidēs habent: dum modò in insulam suæ prouinciæ relegent. de qua re dictum copiosius supra in relegationis iure. Sed & in metallum damnandi ius tam Præfectis urbi, quàm præsidibus prouinciarum competit. Ius etiam
 confi-

LIBER PRIMVS. 67

confiscandi seu bona damnati publicandi inferioribus iudicibus sine iussu principis denegatur. Ius quoque multæ dicendæ his solum datur, quibus publicum iudicium est, nisi fortè et alijs specialiter sit permissum. Viris quoque spectabilibus comitibus scholarum uerberandi degradandiue senatores ac ducennarios licentia denegatur: nam ad præfectum urbi hoc ius pertinet. Procurator sanè Caesaris poenæ constituendæ ius non habet. Hactenus de poenis.

DE ACTIBVS PVBLICORVM IUDICIORVM.

CAP. VI.

IN publicis iudicijs generaliter quidem describendis restant adhuc actus seu adiuncta et euentus publicorum iudiciorum. Actus autem isti alij sunt accusatoris, alij rei conuenti, alij denique iudicis. Accusatoris est inscribere in crimen, et cauere de accusatione usque ad finem persequenda. Nam ne faciliè quis profiliat ad accusationem, in crimen subscribere actor debet, ut sciat multam sibi accusationem non futuram. Mulier tamen, quæ suam suorum uel iniuriam persequitur, in crimen subscribere non tenetur. Sed et iure antiquo maritus uxorem de adulterio accusans, hoc onere inscribendi releuabatur. Iure tamen nouo hoc est mutatum. Libellorum aut inscriptionis conceptio talis est: Apud illam

Pratorem uel Proconsulem Lucius Titius professus est, se Mæuiam lege Iulia adulterij ream deferre, quòd dicat eam cum Caio Seio in ciuitate illa, domo illius, mense illo, consulibus illis, adulterium commisisse. Vtique enim & locus designandus est, in quo adulterium commissum est, & persona cum qua admissum dicitur, & mensis: hoc enim lege Iulia publicorum cauetur, & generaliter præcipitur omnibus qui reum aliquem deferunt. Neque autem diem, neque horam inuitus comprehendet. Sed etsi aliud crimen obijciat: ueluti quòd domum suam præbuit, ut stuprum materfamiliàs pateretur, quòd adulterum deprehensum dimiserit, quòd precium pro comperto stupro acceperit, & si quid simile: id ipsum libello comprehendendum erit. Item subscribere debet is qui dat libellos, se professum esse: uel alius pro eo, si literas nesciat. Antequam autem quæstio habeatur, & si ex longinquo reus acciendus sit, antequam reus citetur, inscriptio ab accusatore fieri debet. Et si reus accusatorem suum uicissim accusare uelit: etiam pendente priore accusatione in crimen inscribere potest. Quòd si libelli inscriptionum legitime ordinati non fuerint: rei nomen aboletur, & ex integro repetendi reum potestas fiet. Potest tamen accusator, si tempora largiantur, errorem circa inscriptionem emendare. Præter hæc quæ de inscriptionibus & cautione ab accusatore præstanda diximus, etiam custo-

diæ

die similitudinem accusator (habita tamen dignitatis existimatione) patietur. Circa reum potissimum hi actus obseruantur. In primis, ut reus absens requirendus adnotetur, quo copiam sui præstet. adnotatio autem ita fit, ut intra annum bona requirendi rei obfignentur, ut si responderit & se purgauerit, integram rem suam habeat: si neq; responderit, neq; qui se defendat habuerit, tunc post annum bona in fiscum cogantur. Hæc autem adnotatio fieri non debet, nisi accusator prius in crimen inscripserit, & crimen capitale sit. Adnotatione autem facta, adnotati edictis euocandi sunt: sed & literæ ad magistratus, ubi consistunt, mittendæ, ut per eos possit innotescere, requirendos eos esse adnotatos: & ex hoc annus computatur ad se purgandos. Quod si intra annum redierint, & se purgauerint, uel satis obtulerint: bona fisco uindicanda non sunt. Planè post annum reuersè defendendi se potestatem retinent, sed bona non recuperant: nisi iustas absentiae causas habuerint, easq; per alium proposuerint absentes. Sed etsi absentes intra annum mortui fuerint, criminis causa expirat, & bona ad hæredes transmittuntur. Sed & poena indulgentia principis remissa, & ita adnotatione abolita: fiscus bona uindicare non potest. Idem dicendum, si intra uiginti annos fiscus bona adnotati non occupauerit. Sanè adnotationis huius ad fine remedium est, ut is in cuius prouincia crimen commissum

est, scribat ei in cuius prouincia reus degit, ad eum adprehendendum & transmittendum. Sed & receptores, sine quibus reus diu latere non potest, eadem qua ipse reus pœna legibus puniuntur: nisi fortè cognatum uel ad finem receperint & occultauerint. hoc enim casu pœna ijs pro arbitrio iudicis mitigatur. Rei autem adprehensi custodiendi sunt: nisi iudicio sisti satisfident. hoc enim casu custodia releuandi sunt: quod tamen ita uerum est, si non post longum temporis spacium satisfactionem offerant: uel nisi tam graue scelus admisisse eos constet, ut neq; fideiussoribus, neq; militibus committi debeant. Planè si reus uel absolutus sit, uel conuictus: custodia diuturna macerari non debet. Sed & si pœnam reus luit, tempusq; pœnæ finitum sit, incarcerationi amplius non debet. Custodia aut̄ reorum & obseruatio ad Commentariensem pertinet, cuius periculo reus aufugit. Ideoq; homini abiecto & uili reum custodiendum non comitet: nec facile tyroni custodia credēda: nec uni solū, sed duobus ad minimum: qui si negligentia amiserint, pro modo culpæ uel castigantur, uel militiam mutāt. De custodia autem reorum Proconsul æstimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, uel fideiussoribus committenda, uel etiam sibi. Hoc autem uel pro criminis quod obijcitur qualitate, uel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, uel pro innocentia personæ, uel pro dignitate

late

LIBER PRIMVS.

*itate eius qui accusatur, facere solet. Planè in carcerè
 uel uincula publica nemo conijciendus, priusquam
 conuincatur: nisi fortè seruus sit, qui à domino non
 defendatur. Sed & priuati carceris custodia etiam in
 conuictis à legibus prohibetur. Sed nec mulier rea,
 quãuis conuicta, in carcerè est conijcienda: ut & su-
 præ dictum est. Sin aut qualitas poenæ hoc exigat, ut
 mares & fœminæ carceribus includi debeant: diuer-
 sa claustrorum tutamina habere iubentur. Intra tri-
 cesimum uerò diem Commentariensis iubetur semel
 ingerere numerum personarum, uarietatem delicto-
 rum, clausorum ordinem, etatemq; uinctorum. & Iu-
 dices diebus dominicis productos reos de custodia
 carcerali uidere debent, & interrogare, ne ijs huma-
 nitatis clausis per corruptos carcerum custodes nege-
 tur, utq; uictum habeant providere. Quòd si uictum
 uel stratum inferri quis iudicato non patiat: utilis
 in eum poenalis actio danda est, uel (ut quidam pu-
 tant) iniuriarum cum eo agi poterit. Carceri præ-
 positus, si precio corruptus sine uinculis agere custo-
 diam, uel ferrum uel uenenum in carcerem inferri
 passus est; officio iudicis puniendus est. Si nescit, ob
 negligentiam remouendus est officio. Quòd si cu-
 stodia euaserit: Commentariensis uel eius officium
 eadem poena punitur, qua obnoxius docebitur fuis-
 se qui aufugit. Sed & qui in uincula coniectum
 emisit, lege Iulia maiestatis sit reus. Sed et custos, q*

custodiam deseruit, capite punitur. Hi etiam qui effracto carcere uel conspiratione cum cæteris facta euaserunt, capite puniuntur. Si tamen per negligentiam custodum euaserint, lenius puniendi. Quod si custodia se interfecerit, uel præcipitauerit: militis culpæ adscribitur, & castigabitur. Quod si ipse custos custodiam interfecerit, uel fame necauerit: homicidij reus est. Porro recepta custodia faciliè & sine caussa dimittenda non est; nec antè exhibenda in iudicio, nisi de eius exhibitione iudex pronunciauerit. Qui autem exhibendi postulati sunt, propter aliam causam alterius criminis, quod antè admissum est, rei nõ recipiuntur: nisi ex hoc tēporalis actio in periculum cadat. In reatu uerò constitutus bona sua administrare potest, eiq; debitor rectè soluit: nisi in fuga sit, & requirendus adnotatus: uel repetundarum aut maiestatis sit reus. Hæc de actibus publicorum iudiciorum circa reum contingentibus ante dictam quidem sententiam. Nã reo damnato uel absoluto, quid iuris sit, infrà dicetur. Nũc de actib. et officijs iudicis dicendũ.

Cogniturum itaque de criminibus oportet ante diem palam facere, custodias se auditorum: ne hi qui defendendi sunt, subitis accusatorum criminibus opprimantur: quamuis defensionem quocunq; tempore postulante reo negari nõ oportet, adeò ut propterea & differantur & proferantur custodie. Sed & custodias auditorum tam clarissimos uiros, quam

patro-

patronos caussarum (si omnes in ciuitate prouincie quam regit, agunt) adhibere oportet: & seriatim diebus custodias audiri posse, rescriptum est: ut innoxij dimittantur, & nocentes, qui duriore animaduersione indigent, differantur. Non solum etiam pro tribunali, sed etiam de plano custodie audiri possunt atq; damnari. Sententia uero à iudice præcipienda non est, & ad rescriptum principis sententia per dies triginta inhibenda. In reos tamen manifesta probatione conuictos sententia differenda non est: ne illis facultas pateat supplicandi, uel quibusdam malignis artibus poenam euitandi. Absens autem & indefensus damnari non debet: sed tantum requirendus adnotandus est, de quo supra dictum. Aduersus contumacem tamen, qui neq; denunciationibus, neq; editis Præsidis obtemperasset, etiã in absentem pronunciari oportet secundum morem priuatorum iudiciorum: dummodo sententia relegationem non excedat: nam si quid grauius irrogandum sit, puta in metallum uel capitis poena, non est absenti, quamuis contumaci, irroganda. In accusatorem autem absentem nunquam grauius statuendum, quam Turpilliani Senatusconsulti poena irrogatur. In eos etiã qui spadones fecerint, quamuis absentes, ex lege Cornelia sententia ferri potest. Sed & in apparitores perfidos, item adulteram, si posteaquam crimen contra eam inchoatum est, prouinciam excessit, etiam absentem

e § inter

inter reos recipi posse, explorati iuris est. Quòd si de pluribus criminibus accusationes aduersus eundem institutæ fuerint: non licebit iudici separatim de uno crimine sententiã proferre, priusquã plenissima examinatio sup altero quoq; crimine facta sit. In ferenda etiã sententia illud obseruare iudex debet, ne ex suspècionib. uel præsumptionib. quẽquam damnet, sed ex apertissimis documentis, uel indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus, ut uix etiã ipse reus ea quæ commiserit, negare sufficiat. Ideoq; nec ex eius qui de se confessus est, indicio alius damnari debet: nec acclamationibus populi uel in damnãdo uel in absolueno credendũ: sed neq; emendicatis suffragijs decretorũ, aut relationib. à publicis personis destinãdis, neq; epistolis eorũ qui quasi dãnatos ad Præfidẽ seu iudicẽ remiserint, neq; Curiosis, Stationarijs uel alijs ministris, qui crimina iudici nunciãt. Sed et si Imperator puniri reum iusserit: tamen per dies trẽginta sententia suspendenda est, ut suprã quoq; dictũ.

De questio
nibus &
tormentis.

Porro in inquirenda ueritate questiones quoq; at que tormenta adhiberi solent: si scilicet alle probationes euidenter desunt. Nec tamen adhiberi tormenta debent, si nullis alijs argumentis reus urgeatur: ne que enim à tormentis incipiẽdum, sed ad ea tunc demũ ueniri oportet, cũ suspectus est reus, & alijs argumentis ita urgetur, ut sola confessio deesse uideatur. Que aut argumenta ad torturã sufficiant: magis ex arbi-

arbitrio iudicis pendet, quàm legū authoritate defini-
 ri potest. Sanè unicus testis, quamuis aliquā faciat
 presumptionē, tamē ad torturā inducendam non suf-
 ficat. Sed nec in re pecuniaria facillè quæstio habenda
 est: nisi ueritas aliter quàm per tormēta inueniri nō
 possit. nec ad tormēta ueniendū, priusquā accusator
 in crimen subscripserit, et de pretio serui torquen-
 di domino sit cautum. Reus autem semel tortus, et
 euidentioribus argumentis oppressus, repeti in quæ-
 stionem potest, maximè si in tormenta animum cor-
 pusq; obduruerit. Porro non passim quiuis pro quo-
 uis uel contra quemuis torquendus est. Sanè de ser-
 uis regulariter quidem haberi quæstio potest, tã de
 proprio q̄ de alieno facto. Si tamē seruus se liberū dē-
 cat, prius de libertate cognoscendum est. Sed et is cui
 fideicommissaria libertas, non ut seruus torquendus est,
 licet mors testatoris uindicanda sit. Si tamen aliorum
 quæstionib. oneretur, uel de hæreditate aut rebus hæ-
 reditarijs inter hæredes sit controuersia, uel quæstio
 adulterij moueatur, uel deniq; cōditio libertatis de-
 fecerit: etiam statuliber ut seruus torqueri potest. Sed
 nec seruus pro domino torquendus est, quamuis do-
 minus eius esse desierit. Si tamē uniuerſitatis seruus
 sit, pro singulis ciuibus, uel q̄ eius uniuerſitatis sunt,
 potest torqueri. Similiter nec cōtra dominum seruus
 torquendus est, quamuis dominus eius esse desierit,
 nisi fortè per damnationē dominus eius esse desierit.

Quo-

Quoties tamen dominus serui negatur, prius de domino cognoscendum. Planè eum qui cognitionis susceptæ tempore alienus fuit, licet postea rei sit effectus: torqueri in caput eius posse, rescriptū est. Quāuis autem pro parte dominus sit, tamen contra eum seruus torquendus non est: nisi in caussa alterius domini contra alterum quæstio sit habenda. Sed & seruus municipum uel alterius corporis in ciuium capita potest torqueri. Adeò autem seruus in caput domini torquendus non est, ut etiam offerente seruum domino, uel aduersario precium serui deponente, torqueri non debeat. In caussa tamen læsæ maiestatis, & adulterij, seruus in dominum potest torqueri: non tamen in incesti crimine, nisi per adulterium incestum dicatur commissum. Sed & si uxor marito, uel contra maritus uxori insidias struxisse dicatur, uel eum eamue occidere uoluisse, item in caussa fraudati census, & in plagij crimine seruus in caput domini sui torquetur. In pecuniarijs etiam caussis uidentur, cæteris probationibus deficientibus, quòd seruus contra dominum interrogari possit. Quamuis autem seruus de se, non de domino tortus sit, & contra dominum aliquid confessus sit: domino id obesse non debet. Si tamen alijs probationibus factum contra dominum sit probatum, probatio ex eo infirmari nõ debet, quòd seruus contra dominum sit tortus. Non solum autem non contra dominum, sed nec contra bo
næ

ne fidei possessorem: neq; contra eum qui seruum in iudicio defendit, seruus torqueri debet: neq; seruus hereditarius contra heredem futurum: nisi forte de ipsa hereditate sit controuersia. Sed nec contra patrem uel filium domini seruus torquendus est: nec cōtra tutores uel matrem domini: nisi tutelæ agatur. Seruus sanè mariti in caput uxoris torqueri nō prohibetur. Hæc de seruis. Liber autem homo regulariter quidem torquendus non est, quamuis de status eius dubitetur: nisi uel ideo manumissus sit, ne torqueretur: uel obscurus sit, et in dicēdo testimonio uel respondendo suspectus. Testis tamen, nisi facto interfuerit, torquendus non est. Idem dicendum, si in testimonio dicendo non uacillet, neq; suspectus sit: uel si minor sit quatuordecim annis: uel de se sit crimen confessus: hic enim de alio ne interrogari quidē debet. Idem etiam dicendum de deportato. Milites quoque & militum ac ueteranorum filij torquendi non sunt: item uiri eminentes & clarissimi, horumq; liberi: item decuriones, et decurionum liberi. Decurio tamen de instrumento, quod cum tabellio esset conscripsit, & falsum dicitur, torqueri potest: sed & si ob magiam uel similes artes sit accusatus. Possunt autem torqueri & clerici: presbyteri non possunt. Sed & mulier torqueri non prohibetur. Ad questiones autem non sunt prouocandi, quos accusator de domo sua produxerit: ut est libertus uel seruus accusatoris.

fatoris. Præterea inimicorum questioni fides haberi
 non debet: quia faciliè mentiuntur. nec tamè sub præ-
 textu inimicitiarum detrahenda erit fides questio-
 ni, sed causa cognita aut habenda fides, aut non habè-
 da. Sed nec libertum torqueri in patroni caput, con-
 stitutum est, nec quidem fratrem in fratris: & in sum-
 ma, in quem quis inuitus testimonium dicere non co-
 gitur, in eum nec torqueri debet. Planè omnes omni-
 no in maiestatis crimine (quod ad personas principũ
 attinet) si ad testimonium prouocentur, cum res exi-
 get, torquentur. Quinimò in crimine maiestatis, ni-
 si manifestis indicijs crimen probetur, tam accusator
 quàm reus & instigator torqueri debet: quamuis &
 aliàs ipse reus torqueri possit, ut in muliere rea rescri-
 ptum est. Hactenus, ex quibus causis, itè qui, pro qui-
 bus, & aduersus quos torquendi sint, dictum est. nũc,
 qui querere per tormenta, quibus presentibus, quã-
 do & quomodo possint ac debeant, nec nõ quid post
 habitam questionem iuris sit, dicendum. Questionẽ
 ergo habere debet ipse iudex, siquidẽ cum magistra-
 tu est: sin autem sine magistratu est, assumere sibi de-
 bet loci defensorem, item alios uiros clarissimos &
 caussarum patronos in ea ciuitate degentes: interdũ
 & accusatorem & socios. Statim autem exhibitio-
 reo questio habenda est: & uel feriatis diebus habe-
 ri potest. Vnius uerò facinoris plurimi rei ita audiẽ-
 di sunt, ut ab eo primũ incipiatur, qui timidior est,

del tenere atatis uidetur, à quo facillimè posse ueris
 fieri iudex crediderit, uel à suspectissimo quoq; Tor-
 menta autem adhibenda sunt, non quanta accusator
 postulat, sed ut moderatæ rationis temperamēta de-
 siderant. Quod quidem iudicem arbitrari oportet.
 Non autem debet specialiter interrogare, an Lucius
 Titius homicidium fecerit: sed generaliter, quis id fe-
 cerit. alterum enim magis suggerentis quàm requirē-
 tis uidetur. Sanè quæstioni fides non semper, nec ta-
 men nunquam habenda est. Etenim res est fragilis
 & periculosa, & quæ ueritatem fallat. Nam pleriq;
 patientia siue duritia tormentorum ita tormenta
 contemnunt, ut exprimi ab eis ueritas nullo modo
 possit: alij tanta sunt impatientia, ut quoduis mentiri
 quàm pati tormenta uelint. Et ita fit, ut etiam uario
 modo fateantur, & non tantum se, uerim etiam alios
 criminantur. Plurimum tamen in excutienda uerita-
 te etiam uox ipsa, & cognitionis subtilis diligentia
 adfert. nam & ex sermone, & ex eo, qua quis constā-
 tia, qua trepidatione quid diceret, uel cuius existima-
 tionis quisq; in ciuitate sua est, quædam ad illumina-
 dam ueritatem in lucem emergunt. Postremò, seruis
 tortis & crimine absolutis, duplum præcij domino ab
 accusatore præstandum est. Secus tamen, si seruus nō
 contra se, sed alium sit tortus: hoc enim casu non
 nisi simplum domino præstat.

20 INSTITVTIONVM
DE EVENTIS PVBLICO-
rum iudiciorum.

CAP. VII.

Restant euentus & consequentia publicorum iudiciorum: quorum alia quidem sunt reo absoluto, alia reo damnato, alia deniq; reo restituto & pœna liberato. Reo absoluto, accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subiicitur. Aut enim calumniati sunt, aut prœuaricati, aut tergiuersati. Eadem autem pœna calumniator puniendus est, qua reus punitus esset, si fuisset damnatus: idq; lege Rhemnia. Calumniari autē est, falsa crimina intendere. Non tamen utiq; qui non probat quod intendit, protinus calumniari uidetur, nec is quidem qui incōsulto calore ad accusandum processit: sed qui nullā aliam accusandi causam habuit, quam ut calumniaretur. quod quidem in arbitrio ipsius iudicis consistit. Nam iustus error & inconsulta temeritas ueniam merentur. Ideoq; minori uiginti q; annis, si iuuenili facilitate ductus, uel etiam feruore ætatis accensus, ad accusationem profiliit, nō facile calumniæ pœna irrogabitur. Calumniæ autem causa puniuntur etiam qui in fraudem alicuius librum, uel testimonium, aliūdue quid conquisiuisse, uel conscripsisse, uel in iudicium protulisse dicuntur. Sanē calumniatoris defensio nulla est, si dicat se alic-

no nomine & alterius mandatu accusationem suscepisse. Non tamen tutores uel curatores, qui officio est periculo res pupillorum uel adolescentum administrant, facile sententia notantur, nisi euident eorū calumnia iudicanti apparebit. Sed & parentes liberorum necem sine calumniæ timore uindicant: quemadmodum contra quoque calumniæ poena in paternæ mortis accusatione cessat. Sed & extraneus hæres, qui suspicionem, quam de morte sua habuisse defunctus cauit, exequitur, hoc nomine à calumnia excusatus est: cum inter uoluntariam accusationem, et officij necessitatem hæredis, multum intersit. Pater tamen de adulterio filiae sine periculo calumniæ agere non potest: quemadmodum & qui iure mariti accusant, calumniæ periculum non euitant. In priuatis autem & in extraordinarijs criminibus omnes calumniiosi non supradicta poena, sed extra ordinem pro qualitate admisi puniuntur. Planè abolitio neque publica neque priuata interueniens calumniatori ad poenam euitandam prodest. Idem dicendum, etsi accusator serui, accusati nomine duplum domino prestiterit. Si tamen de causa accusationis pronunciatum fit, nulla calumniæ mentione facta: postea frustra calumniam accusatoris puniri desideratur. Si autem pronunciauit iudex hoc modo, Calumniatus es: quamuis nihil de poena subiecerit, tamen legis potestas aduersus eum exercebitur. Porro non so-

f

lunt

INSTITUTIONVM

lūm delator punitur, si non probauerit: sed & mandator, quem exhibere debet delator.

Alterum crimen accusatorum est, prauaricatio. Est autem prauaricari, uera crimina abscondere. Dicitur enim prauaricator, quasi uaricator, qui diuersam partem adiuuat prodita causa sua. Quod nomen Labeo à uaria certatione tractum ait. Nam qui prauaricatur, ex utraq; parte constitit, quinimò ex altera. Sed & prauaricatorem ita definiunt, qui colludit cum reo, & translaticie munere accusandi defungitur: quòd proprias quidem probationes dissimulet, falsas uerò rei excusationes admittat. Iudicium autem prauaricationis aliud publicum, aliud moribus inditum est. Nam si reus accusatori publico iudicio ideo prescribat, quòd dicat se eodem crimine ab alio accusatum & absolutum: cauetur lege Iulia publicorum iudiciorū, ut non prius accusetur, quàm de prioris accusatoris prauaricatione constiterit, & pronūciatum fuerit. Huius ergo prauaricationis pronūciatio publici iudicij intelligitur. Quòd si aduocato prauaricationis crimen intendatur, publicum iudicium non est: nec interest, publico an priuato iudicio prauaricatus dicatur. Sciendum autem est, quòd hodie ijs qui prauaricati sunt, poena iniungitur extraordinaria: & in criminibus quæ extra ordinem obijciuntur, prauaricatores eadem poena adficiuntur, qua tenerentur, si ipsi in legem commississent, que

Qua reus per præuarcationem est absolutus. Is uerè præuarcator propriè dicitur, qui publico iudicio accusauerit. Is etiam de cuius calumnia agi prohibetur, præuarcator in causa publici iudicij pronunciatus, infamis erit. Aduocatus autem non propriè præuarcator dicitur: extra ordinem tamen solet puniri. Quòd si in hoc iudicio accusator præuarcationem non probauerit: & calumnia notabitur, & rebus iudicatis, à quibus non est prouocatum, stabitur. Sin uerò reus præuarcationis fuerit damnatus: infamis fit, & ex lege non accusat, reusque prior repeti potest.

Tertium accusatorum crimen est, tergiuersatio. Est autem tergiuersari, in uniuersum ab accusatione desistere. Quod iudicium priuatum est, non publicum. Hoc autem tenetur non solum qui destitit, sed & qui cum reo de compositione criminis locutus est, uel intra præfinitum tempus reum suum non peregerit, uel ultimo die adesse neglexerit. Planè destitisse is uidetur, non qui destulit, sed qui liti renunciauit in totum. Desistere enim est, de negotio abstinere, quod calumniandi animo instituerat. Si quis tamen cognita rei ueritate suum negotium deseruit, nolens in lite improba perseuerare, quam calumnie causa non instituerat, is destitisse non uidetur.

f. 2. Sed

Sed & si propter mortem rei accusator desisterit, non potest hoc iudicio conueniri: quia morte rei iudicium soluitur: nisi tale crimen fuit, cuius actio & aduersus heredes durat: ueluti maiestatis, & repetundarum: uel nisi antequam reus decesserit, accusator desistit. Planè mortuo accusatore hereditibus eius desistere permissum est. Sed nec tutor mortuo pupillo, cuius nomine accusationem instituerat, eam adimplere cogendus est. Idem dicendum, si delator uolens à lite desistere, mandatorum sibi subtractum queratur: nisi initio accusationis mandatoris mentionem nullam fecerit. Idem etiam dicendum, si accusator & alium reum habeat: non enim oportet compelli accusatorem plures reos facere. Sed etsi aliqua alia prescriptione accusator ab accusatione remoueri possit, impunè desistit: utputa si mulier sit, quæ suam suorumue iniuriam non persequatur: si minor accusauerit: si temporis prescriptione accusator submoueatur. Planè in cæteris prescriptionibus, præterquam specialiter iam enumeratis, abolitione opus est. Sed & mulier suam suorumue iniuriam persequens, impunè desistit in falsi quidem crimine: in cæteris contradicitur. Absens quoque ex iustis rationibus accusator protergersatore non habetur. Sed & qui intra statutum tempus accusationem persequi non potuerunt, uarijs præsidum occupationibus, uel etiam ciuillium

alium officiorum necessitatibus districti, in poenam tergiuersationis non incidunt. Sed nec ij in poenam incidunt, qui non à publico, sed priuato iudicio desistunt: quanquam officio iudicis culpa horum coerceretur. Vnde qui à suspecti tutoris accusatione desistit, poena desertionis non tenetur. Idem dicendum de eo qui ab hoc iudicio desertionis desistit. Planè non distinguitur, utrum ab ordinario, an extraordinario iudicio, dummodò publico, destiterit: non utroq; casu tenetur. Sed et nuntiatores, qui per notoria indicia produnt, notorijs suis adistere iubentur. Is tamen qui libello principi dato, falsum se obiecturum minatus est, si non obiecisset, et ita causa nondum in iudicium deducta desistit, non tenetur. Idem etiam dicendum, si post latam sententiam desistit: nisi forte reus condemnatus prouocauit. Sed nec ij, de quorum calumnia agi non permittitur, si destiterint, in poenam incidunt. Non prodest autem ei qui semel desistit, si postea rursus accusare sit paratus. Sed qui permissu Imperatoris accusatione desistit, impunitus est. Sed et abolitione interueniente licet impunè desistere. Abolitio autem aut publicè fit ob diem insignem, uel ob publicam gratulationem, uel ob rem prosperè gestam, aut priuatim accusatore postulante. Tertio genere lege fit abolitio, mortuo accusatore, uel ex iusta causa impedito, quo minus accusare possit. Planè publica abolitio-

De abolitionibus.

ne non abolentur crimina læsæ maiestatis, sacrilegij, peculatus, adulterij uel stupri, raptus, falsi, & aliquot alia, quæ in Digestis enumerantur. In hisce ergo accusator desistens proposita exceptione non defenditur: nisi fortè priuata abolitio interuenerit. Sed & qui per deceptionem, uel pecunijs à reo corruptus ad postulandam abolitionem uenit, non adiuuatur: quemadmodum nec reo huiusmodi abolitio prodest. Idem dicendum, si falsam causam allegando abolitionem accusator impetrauit. Sed & fallaciter incusantibus accusationis abolitio non dabitur. Idem dicendum, si inuito aduersario abolitio petatur: nisi fortè reus consentire nolens, nullam iniuriam corporalem adhuc passus fuerit. hoc enim casu etiam inuito reo abolitio dari potest dummodò intra triginta dies, postquam reus custodia traditus est, abolitio petatur. Sed & nec testibus qui torti sunt dissentientibus abolitio dabitur. Nec seruis accusatis abolitio publica prodest. Sed & si plura crimina idem eidem intulerit, singulorum abolitionem debet petere: alioquin prout quid omiserit, eius nomine desertionis poenam patietur. Præterea abolitio presentibus partibus, causâ cognita, non à principe, sed à competente iudice postulari debet: item pro tribunali, non de plano: nec iudex hanc cognitionem alteri demandare potest. Planè hi qui suas suorumue iniurias persequuntur,



Et cognatos suos in accusationem deduxerunt, omnimodò abolitionem petere nō prohibentur, quamuis non omnia supradicta obseruauerint. Sine abolitione tamen petita et impetrata nemo desertionis poenam euitat: nisi fortè uel mulier accusauerit, uel minor uiginti quinq; annis: uel propter publicā abolitionē, aut eam quæ lege fit, crimen expirauerit. Porro deserta accusatione incidit in poenam desertionis is quoq; qui accusatorem submisit, aut instigauit, aut mandauit ei et instruxit eum ad accusationē capitalem, dando probationes uel allegando excusationes: Fideiussor tamen accusatoris non ultra quantitatem, quam sponndit, tenetur. Competit autem ex hac causa accusatio non apud procuratorem Cesaris, sed apud prouincie præsidem. Estq; poena tergiuersationis seu desertionis ex S. C. Turpilliano quinq; librarum auri. Interdum tamē grauius punitur accusator extra ordinem, uel ex constitutionibus principalibus, puta quarta bonorum parte, uel exilio. Et fit infamis ex hac causa damnatus, et amplius agere uel accusare prohibetur. Sed et ipsi reo, à quo pecuniam accepit ut desisteret, in quadruplī actione in factum tenetur. Hec de euentis iudiciorum publicorum reo absoluto. Damnato autem reo sequitur sententiæ executio, bonorum publicatio et infamia. Nam sententia lata et reo damnato, sententia est exequenda; nisi uel is dam-

De executione sententiæ reo damnato.

f 4 nauit,

nauit, cui ius damnandi non fuit: uel à sententia sit
 prouocatum. Nam cum accipimus damnatum, qui
 non prouocauit. Ceterum si prouocet, nondum ui-
 detur damnatus: nisi forte ultra manifestas pro-
 bationes etiam ipsius damnati confessio accesserit:
 huius enim appellatio admittenda non est; nisi mul-
 ta, non poena capitalis in eum sit dicta: uel non spon-
 te, sed tormentis coactus confessus sit. Sed nec is qui
 uim fecerit, unde occasione data homo sit interem-
 ptus, sententiam qua damnatus est, per appellatio-
 nem suspendere potest. Idem dicendum etiam de eo
 qui ob raptus crimen damnatus est, uel si aliàs pu-
 blicè interfit damnatum statim puniri. Sanè non di-
 stinguitur, utrum damnatus ipse, an alius pro eo,
 quamuis inuito, prouocauerit. Vtroque enim ca-
 su sententia est suspendenda. Sed et sententiae per ap-
 pellationis iudicem rescissae executio inhibenda est.
 Secus tamen, si ipse iudex qui sententiam tulit,
 eam mutauerit uel reuocauerit: hoc enim non licet.
 Planè si reus de se mentitus sit, uel cum non ha-
 beret probationum instrumenta, quae postea re-
 pererit, poena adflictus sit: poena eius minui po-
 test, uel in integrum restitutio concedi. Sed id
 quantaxat à Principibus fieri potest. Item si mul-
 ta indicta ex facultatibus damnati redigi non pos-
 sit, remittitur. Porro quamuis statim dānato reo exe-
 cutio sententiae sequi debeat: tamen id distinguitur.

Si

Si enim Princeps ream suo rescripto damnauerit: pos-
na per triginta dies differtur. Reo quoq; damnato pe-
senti spacium ad componendas res suas, dandum est,
non tamen minus triginta dierum. Sed & si dominus
& seruo damnato rationes exigat, ad eas reddendas di-
lacionem poene aliquam impetrare debet. Praegnan-
tis quoq; mulieris consumenda damnata poena differ-
tur, quoad pariat. Sed & si ex damnato in alios que-
stio sit habenda, poena eius differenda est. Si tamen
damnatus dicat, se habere quod Principi referat, pro-
pter hoc poena differri non debet. Porro si poena in
sententia expressa non sit, legis poena irroganda est:
si autem alia lege alia poena statuatur, mitior lex e-
rit sequenda. Et sine praefinito tempore in metallum
dato imperitia dantis, decennij tempora praefinita ui-
dentur. Seruus tamen sub poena uinculorum sine tem-
poris praefinitione domino reddi iussus, perpetuo uin-
ctus esse debet. Ibi autem poena exequenda est, ubi cri-
men commissum: ut exemplo latronis legibus cauetur,
Praeterea ad mortem damnatus gladio interfici de-
bet, non securi, uel telo, uel fusti, uel laqueo, uel uene-
no, uel uerberibus, uel uirgis, uel tormentis, uel quo
alio modo. Executione autem facta, corpora animad-
uerforum quibuscumq; petentibus ad sepulturam dan-
da sunt: nonnunquam tamen non permittitur ut se-
peliantur, maxime maiestatis causa damnatorum.
Eorum quoq; corpora, qui exurendi damnantur, pe-
f s ti pos-

si possunt: scilicet ut ossa & cineres collecta sepultu-
re tradi possint. Non autem aliter corpora sepeliun-
tur, quàm si fuerit petatum & permissum. Porro re-
legatus uel deportatus, uel in metallum aut in opus
publicum ad tempus uel in perpetuum damnatus, si
dictæ legi non obtemperat, grauius punitur: de quo
suprà suo loco dictum. Nemo aut potest commeatum
remeatum ue dare exuli, nisi Imperator ex aliqua
caussa. Sed & ex prouincia in prouinciam transduci
damnatos sine permissu Principis non licet.

**De publi-
catione bo-
norum.**

Porro supplicij damnatione iure quidem antiquo
bona publicantur, cum aut uita adimitur, aut ciuitas;
aut seruilis conditio irrogatur. Relegatorum itaque
bona non publicantur, nisi sententia specialiter adem-
pta fuerint. Sed & neque serui neque filij familiæ
bona, quamuis capitaliter damnati, publicantur: ne-
que decurionis. Sed & neque eius qui liberos super-
stites habet, bona fisco uindicantur in solidum, uerim
pro dimidia tantum parte, reliqua dimidia liberis
relicta. Imò si plures liberos damnatus habuerit,
nihil ex bonis eius publicatur. Liberis autem ita
demum bona damnati permittuntur, si iustis nuptijs
nati sunt, sed etsi adoptiui sunt, dummodò non frau-
dis causa facta sit adoptio. Liberis autem eius cui
pars dimidia duntaxat bonorum ablata est, partes
non dantur. Sed & maiestatis crimine damnati libe-
ris nihil reseruatur: præterquã si quid ei tanquã pa-
trone

LIBER PRIMVS.

99

*patrono in bonis libertorum debebatur: hoc enim liberis dānati conseruatur. De bonis quoq; matris deportate filijs nihil debetur. Sed & solis ijs qui in potestate damnati permanserūt, bona reseruātur: nisi emanipati ea quæ à damnato acceperunt ex causa donationis uel dotis, conferre parati sint: tunc enim ex æquo & illi bona damnati accipiunt. Præterea ex his quæ per flagitium damnatus adquisiuit, liberis nihil debetur: ueluti si cognatum suum interim curauerit, & eius hereditatem adiit, uel bonorum possessionē accepit. Hæc de bonis damnati liberos habentis sint dicta. Sin autem damnatus liberos nullos habuerit, parentes tamen: hi usq; ad tertium gradum bona damnati obtinent, fisco excluso. Sed & uxor damnati res suas, item dotem & ante nuptias donationem ex bonis eius saluam habet. Quod si uxor indotata fuerit, tamen legitima portio ei ex bonis damnati debetur. Patrono quoque damnati liberti sua legitima salua relinquenda. Planè quamuis damnatus, cuius bona publicata sunt, postea indulgentia principis pœna fuerit liberatus: tamen bona non recuperat, de quo infrà dicentur plura. Nondum autem damnatus, quamuis in reatu mortuus sit, bona ad heredes suos transmittit. Nam non ut quis in carcerem ductus est, spoliari cum oportet, sed post condemnationem; nisi fortè reus læsæ maiestatis mortuus sit ante condemnationem, uel re-
tundarum*

INSTITUTIONVM

tendarum reus. Sed et si post condemnationem reus
 mortuus sit, pendente tamen appellatione, non publi-
 cantur bona: nisi in sententia specialiter publicatio
 bonorū sit cōprehēsa. Et si eo tēpore decesserit reus,
 quo Imperatori de pœna eius scriptum est, bona ad
 heredes suos transmittit. Si tamen reus accusatorem
 corripit, pro confesso habetur: ideoq; quamuis ante
 sententiam mortuus sit, bona eius publicātur, de qua
 tamē re uide latius supra ca. 5. inter replicationes ge-
 nerales. Sed et si reus malè sibi conscius mortem ante
 sententiam sibi consciuit, uel saltem consciscere uo-
 luit: bona eius fisco uindicanur: si modò uiuus fuit
 accusatus, uel in scelere deprehensus, & eius crimi-
 nis reus, ex quo publicatio bonorum sequi solet. Si
 tamen heredes innocentiam eius qui mortem sibi cō-
 sciuit, ostendere parati sunt, publicatio bonorum in-
 hibetur. Porrò nulli iudicum, exceptis ijs qui in sum-
 ma potestate positi sunt, licet sine permissu Impera-
 toris omnia rei bona proscribere. Bonis autem publi-
 catis, diligenter de ijs inquirendum, & Imperatori
 referendum est. Inter ea autem non numeratur, si
 quid ex ijs reus ante sententiam alijs bona fide dona-
 uit, uel alio modo alienauit. Sed & nec ea quæ post
 publicationem reus adquisiuit, ad fiscum pertinent,
 nisi fuerit deportatus. Aes quoque alienum ex bonis
 deducendum est: at saltem actiones creditoribus ad-
 uersus fiscum saluæ sunt. Pannicularia autem spicula-
 toribus

toribus conceduntur. Hæc quidem de publicationis bonorum iure antiquo. Iure sanè nouo bona damnati publicari prohibentur : nisi damnatus neq; liberos, neq; parentes, neq; uxorem habuerit, uel ex crimine lese maiestatis damnatus sit: in his enim duobus duntaxat casibus ius antiquum hodie obtinet. Hæc de publicatione bonorum. nunc de infamia dicendum.

Infamia autem multis ex causis alicui irrogatur. primum quidè, si quis publico iudicio sit damnatus: item si ob calumniam uel præuarcationem in publico iudicio factam : nec distinguitur, utrum quis suo, an alieno nomine publico iudicio accusans fuerit calumniatus. ita demum autem calumniator infamia notatur, si fuerit calumnie causa damnatus : neq; enim sufficit calumniatum. quod et de præuarcatore et alijs similibus dicendum. Sed et qui furti, uel bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo et fraude suo nomine damnatus pactus uel erit, infamia notatur. Furti autem accipe, siue manifesti sit, siue nec manifesti. Planè qui ideo furti fuerit condemnatus, quòd res furtiua apud eum ignorantem fuerit reperta: infamis non sit. Iniuriarum autem etiam ex personæ serui damnatus infamia notatur. Cessat tamen ignominia in conditionibus, quamuis ex famosis causis pendeant. Quod autem dictum est, Pactus uel erit : pactum sic accipimus, si cum pretio quantocunq; pactus est: alioquin et qui precibus impetrauit, ne secum ageretur, erit

De infamis.

erit notatus, nec erit ueniam ulla ratio: quod est inhiu-
manum. Sed & qui iussu Prætoris precio dato pa-
ctus est, non notatur: & qui iurciurando sibi dela-
to, iurauit se non deliquisse. Idem dicendū de eo quo-
que qui pactus est in actionibus, quæ ex contractu
proficiscuntur, licet famose sint, & damnati noten-
tur. Quoniam ex his causis nō tam turpis est pactio,
quàm superioribus. Præterea expilatæ hereditatis et
stellionatus crimine dānatus fit infamis. ex militari
tamen delicto damnatus nō notatur infamia. Ignomi-
niæ tamen causa dimissus, sed & exauthoratus, ut
insignia militaria deponeret: fit infamis. item, qui
pro socio, tutele, mandati, depositi, suo nomine,
non contrario iudicio damnatus erit, infamia no-
tatur. pactus tamen ex his causis, infamis non fit, ut
dictum est. Notatur item infamia, qui artis ludicræ,
pronunciandi ue causa in scenam prodierit: nisi pro
positum non habuerit euentum, uel minor ætate
fuerit. Artem autem ludicram exercere non di-
cuntur athlete, Thumelici, Xystici, agitadores, de-
signatores, & alij qui uel aquam equis spargunt,
uel sacris certaminibus deseruiunt. Præterea qui
lenocinium fecerit, infamia notatur: item mulier,
que intra tempus luctus nuptias iterauerit: simi-
liter & pater in cuius est potestate mulier, & is
qui eam ducit uxorem, nec non pater eius, in cuius
potestate est is, qui eam uxorem duxerit: si modo
quis

quis sciens maritum intra annum defunctum, talem uxorem duxit, uel filium suum ducere, aut eam filiam suam nuptias iterare passus est. Ignorantia enim excusatur, non iuris, sed facti: nec refert, certior postea factus matrimonium habuerit ratum, nec ne. Solet tamen à Principe impetrari, ut intra legitimum tempus mulieri nubere liceat: quo facto, cessat infamia. Sed & quæ uirum eluget, intra id tempus sponsam fuisse non nocet. Et si autem talis sit maritus, quem more maiorum lugeri non oportet: non poterit tamen mulier nuptum intra legitimum tempus collocari. Non solent autem lugeri hostes uel perduellionis damnati, nec suspendiosi, neque qui manus sibi intulerint, non tædio uitæ, sed mala conscientia. Mulier tamen quæ intra legitimum tempus partum edidit, uel statim potest se nuptum collocare. Sed & excusatur, qui iussu eius in cuius potestate erat, duxerit, quamuis postea sui iuris factus eam retinuerit. & ipse qui passus est ducere, notatur. Non autem ut mariti, ita & sponsi luctus est. Sed nec uxores uiri lugere compelluntur: & mariti, non etiam parentum uel liberorum luctus impedimento est nuptijs: nec qui parentes uel liberos non eluxit, notatur infamia. Præterea qui suo nomine, non iussu eius in cuius potestate est, eius uel nomine quem quam uel in potestate habet, bina sponsalia

sponsalia binas'ue nuptias eodem tempore constitu-
 tas habuerit: infamia notatur. Si autem alieno, non
 eius quem in potestate habet, nomine constituerit: nō
 notatur. Quod autem dicitur, Eodem tempore: non
 initium sponsaliorum eodem tempore factorum acci-
 piendum, sed si in idem tempus concurrant. Item, si
 alteri sponsa, alteri nupta sit, eque punitur. Cum au-
 tem factum notetur, etiamsi cum ea quis faciat nu-
 ptias uel sponsalia constituat, quam uxorem ducere
 non potest, uel fas non est: erit notatus. Notatur insi-
 per, quæ per calumniam uentris nomine in possessio-
 nem missa est, dum se adseuerat prægnantem, cum
 prægnans non esset, uel ex alio concepisset. Debit
 enim coerceri, quæ Prætores decipit. Sed ea nota-
 tur, quæ cum suæ potestatis esset, hoc fecit. Quod si
 in patris fuerit potestate, pater notatur, qui calum-
 niæ causa passus est filiam in possessionem uentris no-
 mine mitti. Ea tamen quæ falsa existimatione dece-
 pta est, non potest uideri per calumniam fuisse in
 possessione. Sed nec alia notatur, quàm de qua pronū-
 ciatum est, calumniæ causa eam fuisse in possessionē
 missam. idq; erit et in patre seruandum. Porro quā-
 uis ex causa falsi infamia irrogetur, non tamen idem
 dicendum est, si alicuius testis testimonium in iudicio
 fuerit reprobatum. Sed et neque furti, neque ui bo-
 norum raptorum, neq; peculatus damnatus intelligi
 potest, qui cum plus debiti nomine tributorum exe-
 gisset,

gisset, in duplum condemnatus est. ideoq; infamis nō fit. Sed & nemo infamis fit ob id, quod bonis paternis abstinuerit: nec is quidem qui bonis cessit, licet bona ex ea causa uenierint. Ea etiā quæ pater testamento suo filios increpans scripsit, infames filios quidem iure non faciunt: sed apud bonos & graues opinionem eius qui patri displicuit, onerant. Improbū autem foenus exercentibus, & usuras usurarum illicite exigentibus, infamiae macula irroganda est. Item mulier quæ palam corpore quæstum facit, infamia notatur. Palam autem quæstum facere dicimus non tantum eam, quæ in lupanario se prostituit: uerum etiā, si qua (ut solet) in taberna, caupona, uel aliās pudori suo non parcat. Sed & palam sic accipimus, passim, hoc est sine delectu: non si qua adulteris uel stupratoribus se committit, sed quæ uicem prostitute sustinet. Item quæ cum uno & altero se pecunia accepta commiscuit, non uidetur palam corpore quæstum facere. Ideoq; hæc infamis quidem nō est, probrosa tamen est. Et si autem sine quæstu palam se prostituuerit mulier, nihilominus infamia notatur: nec etiā ignoscendam est ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam uitam agit. Sed & non solum ea quæ facit, uerim ea quoque quæ fecit & facere desijt, lege notatur: neque enim aboletur turpitude, quæ postea intermissa est. Imp. tamen Seuerus rescriptis, non obfuisse mulieris famæ quæstum eius in seruitute

uitute factum. Porrò ictus fustium infamiam non importat, sed causa propter quam id pati meruit, si ea fuit, quæ infamiam damnato irrogaret. In cæteris quoq; generibus poenarum eadem forma statuta est. Ideoq; infamiae detrimentum minimè adfertur ob id solùm, quòd in carcerem quis coniectus est, uel uincula iussu legitimi iudicis alicui iniecta. Sanè si quis requirendus adnotatus non uenerit, siquidem in criminali causa: præter publicationem bonorum etiam infamia notatur. Secus in causis pecuniarijs, in quibus edictum contra latentem propositum existimationem eius non lædit. Neminem uerò sequitur infamia ob non defensa negocia publica patriæ suæ. Sed nec multa damnum fame irrogat. Hactenus causæ ex quibus infamia quis notatur, enumeratæ sunt. quarum tamen exceptiones generales hæc sunt: prima quidem, quòd si sententia condemnatoria non præcesserit, infamia ex istis causis non sequatur, ut supra exemplo calumniatoris & mulieris uentris nomine in possessionem per calumniam missæ, est ostensum. Sed hæc exceptio non est perpetua, ut ex multis supra propositis conijcere licet. Nam is qui de furto, ui bonorum raptorum, iniuriarum, & de dolo malo non solùm damnatus, sed & pactus tantùm est, infamia notatur, ut supra dictum est. Ita etiam mulier in adulterio deprehensa, quæuis damnata non sit, infamia notatur. Sed & damnatus

Ex causis supradictis si prouocauerit, p̄dente appellatione nōdum inter famosos habetur. Sed nec is quidem, qui non suo, sed alieno nomine fuerit condemnatus. Et ideo nec procurator, uel defensor, uel curator, uel tutor, uel h̄eres furti, uel ex alia simili specie condemnatus infamia notabuntur. Idem dicendum, si seruus, cuius nomine noxale iudicium dominus acceperat, deinde eundem liberum et h̄ereditatem instituerat, ex eodem iudicio damnatus sit. nam hic famosus non est: quia non suo nomine condemnatur, quippe cum initiō lis in eum contestata non sit. Sed nec is qui non per se, sed per procuratorem famosum iudicium sustinuit, uerbis legis habetur infamis: licet re ipsa et opinione hominum non effugiat infamiae notam. Ex compromisso quoq; arbiter infamiam non facit: quia non per omnia sententia est. Sed et multum interest, causa cognita aliquid à iudice pronūciatū sit, an quaedam extrinsecus sint elocuta: nam ex his infamia nō irrogatur. Pœna quoq; grauior ultra legem imposita existimationē conseruat: ut puta si cum qui parte bonorū mulctari debuit, Præsides relegauerit: dicendum erit, duriorē sententiā cū eo transactū de existimatione eius, idcircoq; nō esse infamē. Quod tamē aliter se habet, si pœna pecunia grauior sit irrogata, q̄ lex statuit: hoc enim casu existimatio condēnato nō cōseruatur. Econtrā quoq; si cū seuerior sententiā dici debuisset, iudex certis rationibus motus mitiorē sententiā di-

xit: inter infames cōdemnatus nō habetur. Planè si in
 dex certā in sententia pœnā nō adiecit, sed tantum de
 crimine pronūciauit, illud scilicet à reo factū esse: ex
 eo reus infamiā non euitat. Si uerò ad tempus pœna
 statuta sit: puta relegatus, uel ordine ad tempus mo-
 tus reus est: finito tempore pœnæ non prorogabitur
 infamia. Ad tempus tamen in opus publicum damna-
 ti, pristinum quidem statum retinent, sed damno infæ-
 miæ post impletum tempus subijciuntur. Indulgentia
 quoq; seu remissio pœnæ à Principe facta infamiam
 criminis non tollit, sed pœnæ gratiam facit. Si quis ta-
 men famoso iudicio condemnatus, per in integrum
 restitutionem fuerit absolutus, hic infamia eximitur.
 Hactenus causæ infamiæ cum suis exceptionibus pro-
 pōsitæ sunt. Porrò crimen uel pœna paterna nullam
 maculam filio infligere potest: nam ibi pœna est, ubi
 & noxia est: propinquos, notos, familiares, procul
 à calumnia leges submouent, quos reos sceleris socie-
 tas non facit: nec enim adfinitas uel amicitia nefariū
 crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant autho-
 res, nec ulterius progrediatur metus, quàm reperia-
 tur delictum. Hæc de infamia. Restant euentus
 & consequentia publicorum iudiciorum, reo resti-
 tuto & pœna liberato. Liberatur autem reus pœ-
 na ex his potissimū causis: si in metallum dam-
 natus operi faciendo sit inutilis effectus: si cum ad
 tempus pœna constituta esset, tempus illud sit finitū:
 si deniq;

De pœnæ
 remissio-
 ne.

si deniq; Imperator indulgentia sua poenam remiserit. Interest tamen publicè, poenas non facillè remitti: ne ad maleficia temerè quisq; profiliat. Solus autem Imperator, non alius, poenæ remittendæ ius habet, & rei damnati in integrum restituendi. Est autem hoc loco in integrum restituere, honoribus, ordini & omnibus cæteris restituere. Planè is qui restitutus est & poena liberatus, in bona publicata restitutus non uidetur, nisi speciale beneficium super hoc fuerit impetratum. ideoq; nec actiones quas ante damnationē habuit, restitutus exercere potest. Princeps tamē bona specialiter concedendo, uidetur etiam obligationes concedere. Sed nec actiones quibus antea tenebatur, restitutus excipere cogitur: nisi in bona quoque fuerit restitutus. Quamuis autem in bona restitutus maluerit ea relinquere, quàm actiones pristinas excipere: non est audiendus. Si tamen partem tantam, non omnia bona indulgentia Principis recuperavit: pro ea tantum parte creditoribus tenetur. Si autem non partem, sed aliquid alimentorum nomine ex bonis recepit: pro nulla parte tenebitur. Sed etsi in bona non fuerit restitutus: si tamen ob pecuniam fisco debitam bona eius à fisco sint occupata: nihilominus actiones creditorum excipere tenetur. Planè ex eo solam creditoribus satisfacere non cogitur, quod postea adquisiuit. Porro si seruus restitutus sit & poena liberatus, domino suo redditur: nisi in me-

tallū dānatus, poenae seruus fuisse effectus. Filius autē familias restitutus, in patriam potestatem nō recidit, nec pater restitutus patriam potestatem recipit: nisi specialiter ei fuerit concessa. Patronus tamen restitutus & poena liberatus ius patronatus recipit, imō nunquam amisit, quamuis seruus poenae fuerit effectus. Infamia autem per restitutionem non tollitur, ut suprà quoq; est dictum. nec loca militiæ adempta recuperantur. Ex matre uerò damnata natus, postea restituta matre & is ad libertatem & cognationem restituitur. Restitutus autem in militiam medij temporis stipendia & donatiua non accipit: nisi uel specialiter ei fuerint indulta, uel constiterit iniuriam condemnato per sententiā factam esse. Hæc de euentis & consequentibus publicorum iudiciorum.

DE PVBLICIS IVDICIIS
in specie. CAP. VIII.

HActenus de iudicijs publicis in genere actum est: nunc de ijsdem in specie agendum. Quæ autem publicorum iudiciorum species sint, enumerauimus suprà cap. 5. in prin. quas nunc specialiter pertractabimus. Prima autem est ea quæ ex lege Iulia maiestatis descendit: cuius legis poena animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur. Hæc lex in eos qui contra Imperatorem uel rempub. aliquid moliti sunt, suum uigorem extendit. utputa, si cuius opera dolo malo consiliū mitū erit, quo obsides iniussu principis interciderint.

I.
De lege Iulia maiestatis.

Merint: quo armati homines cum telis lapidibus ue in urbe sint, conueniant ue aduersus rempub. loca ue occupent, uel templa: quoue coetus conuentus ue fiat, homines ue ad seditionem conuocentur: cuius ue opera et consilio dolo malo consilium inicum fuerit, quo quis magistratus populi Romani, quiue imperium potestatem ue habet, occidatur: quoue quis contra rempub. arma ferat: quiue hostibus populi Romani nuncium literas ue miserit, signum ue dederit, feceritue dolo malo, quo hostes populi Romani, consilio, comoeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliaue re iuuentur aduersus rempublicam: quiue milites sollicitauerit concitauerit ue, quo seditio tumultus ue aduersus rempub. fiat: quiue de prouincia, cum ei successum esset, non discessit, uel exercitum successori non tradidit: aut qui exercitum deseruit, uel priuatus ad hostes perfugit: quiue sciens falsum conscripsit uel recitauit in tabulis publicis. na et hoc capite primo legis maiestatis enumeratur. Eadem lege tenetur et qui iniussu Principis bellum gesserit, delectum ue habuerit, exercitum ue coparauerit: quiue priuatus pro potestate magistratus ue quid sciens dolo malo gesserit: quiue hostem concitauerit, uel ciuem hosti tradiderit: qui in bellis cesserit, hostem ue arcere renuerit, aut castra concesserit: cuius ue dolo malo exercitus populi Romani in insidias deductus, hostibus ue proditus erit: cuius ue dolo malo factum dicitur, quo minus hostes

in potestatem populi Romani ueniant: ut uel ex amicis hostes populi Romani fiant; uel ut rex exteræ nationis populo Romano minus obtemperet: cuius uel opera dolo malo factum erit, quo magis obsides, pecunia, iumenta hostibus populi Romani dentur aduersus Rempub. item qui confessum in iudicio reum, & propter hoc in uincula coniectum emisserit. Sed & eadem pœna legis maiestatis punitur, qui alienigenis barbaris loricas, scuta, arcus, sagittas, spathas, gladios, uel alterius cuiuscunq; generis arma ferrum factum infectum uel uendiderit, uel aurum pro quibuscunq; speciebus ad barbaros transtulerit: item qui artem conficiendi naues barbaros docuerit. Sed & cuius ope consilioue dolo malo prouincia uel ciuitas hostibus prodita est. Sed & cum qui fugientem hostem suscepit, in insulam deportari: uel qui hostem occultari dissimulauit, in insulam relegari placuit. Planè crimen læsæ maiestatis à iudicibus non in occasione ob principalis maiestatis uenerationem habendum est, sed in ueritate. Nam & persona spectanda est, an potuerit facere, & an antè quod fecerit, & an cogitauerit, & an sanæ mētis fuerit: nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendū est. Quamquam enim temerarij digni pœna sint, tamē ut insanis illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod uel ex scriptura legis descēdat, uel ad exēplum legis iudicādum sit. Sed & si quis ex coniuratis consilia

filia patefecerit, absolute dignus habebitur. Lege autem Iulia maiestatis non is solum tenetur, qui quid predictorum ipse fecerit, sed & qui fieri curauit. Estq; eius legis poena mors, & memoria rei post mortem damnatur, bonaq; eius publicantur. Filij uero eius etiam à materna & auita, necnon cognatorum hereditate habentur alieni, & ex testamentis extraneorum nihil capere possunt, eosq; infamia paterna committatur, ut ad nullos unquam honores uel sacramenta perueniant. Ad filias autem eius, quotlibet numero fuerint, Falcidia tantum ex bonis matris, siue testato siue intestato defecerit, peruenire debet: mitior enim circa eas debet esse sententia, quæ pro infirmitate sexus minus ausuræ creduntur. Sed & qui pro reo læsæ maiestatis interuenerit, notabilis esse iubetur. Satellites quoq; conscij ac ministri criminis læsæ maiestatis, horumq; filij eandem poenam, quam rei principales eorumq; filij, sustinent. Crimine autem maiestatis facto, uel uiolatis statuis uel imaginibus, maxime exacerbatur in milites. Emancipatio quoq; quæ à damnatis læsæ maiestatis siue in filios, siue in filias fuerit collata, non ualet. Et omnis alienatio ab ijs facta ab eo tempore, quo primum de incunda factione ac societate cogitauerint, nullius est momenti. Vxorcs sanè predictorum, recuperata dote, si in ea conditione fuerint, ut quæ à uiris titulo donationis acceperunt, filijs debeant reseruare: tempore quo u-

*susfructus absimitur, omnia fisco relinquere iubentur, quæ iuxta legem debebantur. Falcidia etiam ex his rebus filiabus tantummodo, non etiam filiis depuitata. Delator denique huius criminis, præmio et honore donabitur: nisi quis particeps criminis fuerit: hic enim, si incognita adhuc consiliorum arcana patefecerit, absolutione tantum et uenia dignus habebitur. Hæc de lege Iulia maiestatis. nunc de lege Iulia uis publicæ et priuatiæ dicendum. Nam lex Iulia de ui publica seu priuata aduersus eos exoritur, qui uim uel armatam, uel sine armis commiserint. Item de ui publica tenetur, qui arma, tela domi suæ agrorum, uel in uilla coegerit: qui uel pubes cum telo in publico fuerit. Telorum autem appellatione omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt, accipiuntur. Excipiuntur tamen arma, quæ quis in usum uenationis, itineris, nauigationis uel promercij causa habuerit, aut hereditate ei obuenerint. Sed et qui telum tutandæ salutis suæ causa gerunt, lege Iulia de ui non tenentur. Præterea lege hac conueniri possunt, qui turbæ seditionisue faciendæ consilium inierint, seruos uel liberos homines in armis habuerint. Armatos autem non utique eos intelligere debemus, qui tela habuerint: sed etiam eos qui habent quod nocere potest. Si quis igitur conuocatis hominibus uim fecerit, quo quis uerberetur et pulsetur: lege Iulia de ui tenetur. Idem dicendum, si quis hominibus armatis possessorem domo-
 agrorum*

II.
 De lege Iulia uis publicæ & priuatiæ.

grone suo, uel naui sua deiecerit, excusserit, expugna-
uerit, ut uic id fieret, homines comodauerit. In eadem
caussa sunt, qui pessimo exemplo cōuocata seditione
uillas expugnauerint, & cum telis ac armis bona ra-
pauerint. Eadē lege tenetur, qui coetu, cōcursu, turba,
seditione incendium fecerit: qui uic hominē dolo malo
includerit, obsederit, rapuerit, qui uic fecerit, quo mi-
nus sepeliatur, quo magis funus diripiatur, distraha-
tur. Quocirca dici potest, sepulchri uiolati crimē ad
legē Iuliam de ui publica pertinere: quia et qui sepul-
chrum uiolat, facit quo minus quis sepultus sit. Eadē
etiā lege tenetur, qui per uim sibi aliquē obligauerit,
qui puerū uel scēminā, uel quenquā per uim supra-
uerit. Item tenetur, qui ex incendio rapuerit aliquid
præter materiā: sed et qui in incēdio cū gladio aut te-
lo rapiendi causa fuerit, uel prohibēdi res suas domi-
num seruare. Eadem pœna adficiūtur & qui ex nau-
fragio dolo malo qd rapuerint. Sed et ex cōstitutioni-
bus Principū extra ordinē, q de naufragijs aliqd diri-
puerint, puniuntur. Lege insuper Iulia de ui publica
cauetur, ne quis reū uinciat, impediātue, quo minus
Romæ intra certū tempus adsit. Sed & legis Iuliæ de
ui priuata crimen cōmittitur, cū coetū aliquis & cō-
cursum fecisse dicitur, quo minus quis in ius produce-
retur, et si quis quæstionē de alterius seruo habuisset.
Qui uerò dolo malo fecerit, quo minus iudicia tutō
exerceantur, aut iudices ut oportet iudicēt: uel is qui
pote-

potestatem imperiūmue habebit, aliter quā̄m ei ius erit, decernat, imperet, faciat: qui ludos pecuniā̄mue ab aliquo inuito polliceri publicè̄ priuatimq; per iniuriam exegerit: item qui cum telo dolo malo in cō̄sione fuerit, aut ubi iudicium publicè̄̄ exercebitur, lege Iulia de ui publica tenetur. Idem dicendum de eo, qui cū̄m imperium potestatemue haberet, ciuem Romanum aduersus prouocationem necauerit, uerberauerit, iusseritue quid fieri, aut quid in collum iniecerit, ut torqueatur. Item quod ad legatos, oratores, comitesue attinebit, si quis quem eorum pulsasse aut iniuria affecisse arguatur. Planè̄ non uidetur uim facere, qui iure suo utitur, &̄ ordinaria actione experitur. Sed et creditores, qui nō̄ reddita sibi pecunia, conuentionis legē̄ ingressi possessionē̄ exercent: uim facere non uidentur. Creditor quoq; qui debitori suo, uel dominus qui rem suam possidenti uim intulerit, uel rem occupauerit: non deportationis poena tenetur, sed tanquam de ui priuata in tertia parte bonorum multatur. Sed &̄ is qui uim ui repulerit, excusatus est. Ideoq; eum qui cum armis uenit, possumus armis repellere: sed hoc confestim, non ex interuallo: dummodò̄ sciamus, non solum resistere permissum, ne deiciatur: sed etsi deiectus quis fuerit, eundem deicere non ex interuallo, sed ex continenti posse. Porro hac lege Iulia de ui non solum is tenetur qui uim fecerit, sed &̄ is qui uti uis fieret, hō̄mines

uines commodauerit: nec solum is qui conuocatis hominibus uim intulit, sed etiam ipsi conuocati. Sed et crimen non dissimile est rapere, et ei qui rapuit, raptam scientem delictum seruare. Ex lege autem Iulia de ui publica et priuata, siquidem armata uis arguatur, deportatio reo irrogatur: si uero sine armis, in tertiam partem bonorum suorum publicatio imponitur. Punitur tamen uis et alijs legibus aliter. Nam si quis tumultu per uim facto sit interfectus: ultimo supplicio punitur is qui tumultum concitauit. Serui quoque qui uim fecisse fuerint conuicti, ultimo supplicio afficiuntur: nisi iussu domini fecerint: tunc enim in metallum damnantur, dominusque infamis pronunciat, loci atque originis propriae dignitate non utitur. Sed et uiles infamesque personae, et ij qui bis aut sepius uiolentiam perpetrasse conuincuntur, ultimo afficiuntur supplicio. Si quis legatum hostium pulsasset, Quintus Mutius eum hostibus dedi, quorum erat legatus, utilius esse, solitus est respondere. Sed et qui turbulentis se acclamationibus popularium accommodant, fustibus caesi dimittuntur, aut etiam spectaculis eis interdicitur. quod si ita correcti in iisdem deprehendantur, exilio puniendi sunt: nonnunquam capite plectendi, scilicet cum sepius seditiose et turbulenter se gesserint, et aliquoties adprehensi tractati clementius, in eadem temeritate propositi persecrauerint, Famosos quoque latrones in his locis, ubi grassati

grassati sunt, furca figendos, quàm pluribus placuit. Nonnulli etiã ad bestias hos damnauerunt. Grassatores qui prædæ causa id faciunt, proximi latronibus habentur. & si cum ferro aggredi et spoliare instituerunt, capite puniuntur: utiq; si sæpius, atq; in itinrib. hoc admiserunt: ceteri in metallum dantur, uel in insulas relegantur. Authores etiã seditionis & tumultus, populo cõcitato, pro qualitate dignitatis aut in furcam tolluntur, aut bestijs obijciuntur, aut in insulã deportantur. Sed & is qui armatos homines tantũ haberit, centum librarũ auri multa punitur. Porro ex lege Iulia de ui publica uel priuata damnatus fit infamis. Similiter iudex, si uim probatam non uindicauerit. Tertia autem parte bonorũ damnati publicata, pro ea parte actiones tam inferendæ quàm excipiendæ ad fiscum transeunt. Licet autem ei qui ui de possessione deiectus est, uel aliter uim passus est, uel criminaliter uel ciuilitè experiri.

III. De raptu feminarũ.

Hactenus de lege Iulia de ui publica et priuata. Cuius ad fine quoq; remedium est, constitutio Imp. Iustiniiani de raptu sceminarum. qua capite puniuntur qui uirginem, uiduã, sanctimonialẽ uel nuptam per uim rapuerint: quamuis pater uirginis uel uiduæ iniuriã remisit. Sed & non distinguitur, utrum ancilla mulier rapta sit, an libera: utrum desponsata uel nupta, an soluta: utrum nolens, an uolens. nec etiã quinquenij tempore, quemadmodum adulterium, hoc cri-

men

Men aboletur. Conceditur autem hæc accusatio, quemadmodum & aliæ, etiam extraneis accusare uolentibus. Competit item non solum aduersus raptorem, sed etiam aduersus eos qui hunc comitati in ipsa inuasione & rapina fuerint: necnon & contra omnes qui conscij & ministri huius criminis reperti & conuicti fuerint, uel qui raptorem susceperint, uel quamcunque opem ei attulerint, siue masculi siue foeminae sunt, cuiuscunque conditionis, uel gradus, uel dignitatis. Sed & competit sine fori præscriptione. Serui quoq; huius criminis rei citra sexus discretionem cõcremari iubentur. & damnati bona mulieri raptæ uindicantur: nisi mulier rapta raptori suo nupsit: nam hoc casu bona raptoris raptæ mulieri non addicuntur, nec matrimonium ualeat. Parentes autem raptæ mulieris, si patientiam præbuerint, ac dolorẽ remiserint, deportatione plectuntur. Porro raptus crimẽ etiã lege Iulia de ui publica et priuata, ut supra ostensum est, coercetur. Sed & qui nondũ uiripotentes uirgines rapuerint: humiliores in metallũ damnari iubetur: honestiores in insulã relegari, aut in exiliũ mitti. Quibus tamen legib; per dictã cõstitutionẽ Imp. Iustiniani derogatur, eaq; abolentur. Est et illud huius accusationis ad fine remedium, quòd hi qui huiusmodi crimen commiserint, et qui eis auxiliũ inuasionis tẽpore præbuerint, ubi inuicti fuerint in ipsa rapina, et adhuc flagrãte crimine

compre-

comprehensi, & à parentibus foeminarum raptarũ, aut carum consanguineis, aut à tutoribus, uel curatoribus, uel patronis, uel dominis conuicti, impunè interfici possint. Hæc de raptu foeminarum. nunc de homicidis dicendum.

III.
De lege
Cornelia
de sicarijs
& uenefi-
cis.

Lex autem Cornelia de sicarijs homicidas ultore ferro persequitur. qua lege & uenefici capite damnantur, qui artibus odiosis tam uenenis quàm susurris magicis homines occiderint, uel mala medicamenta publicè uendiderint: quiue hominis occidendi, furtiue faciendi causa cum telo ambulauerit. Telum autem omne significat, quod manu cuiusq; iacitur. Lignum ergo, & lapis & ferrum hoc nomine continentur: dictum ab eo quòd in longinquũ mittatur, à Græca uoce τολοῦ figuratum. Sed & lege Cornelia de sicarijs tenetur, qui hominis necandi causa uenenum confecerit, dederit: quiue falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur: quiue magistratus iudexue questionis sub capitalem causam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret. Sed & pœna huius legis tenetur, qui falsa indicia professus fuerit, profitendæue curauerit, quo quis innocēs circumueniretur. Nihil enim interest, occidat quis, an causam mortis præbeat. Itē tenetur, qui author seditionis fuerit, & qui naufragium suppresserit: item, cuius familia sciente eo recuperandæ & adipiscendæ possessionis causa arma sumpse-

psumperit. Sed & qui hominem libidinis uel promer-
 cij causa castrauerit, ex senatusconsulto poena legis
 Corneliae punitur. Idem dicendū de eo qui filios suos
 circūciderit: nisi Iudaeus sit. Sed & hi quoq; qui thli-
 bias faciunt, in eadem causa sunt, qua hi qui castrant.
 Necare aut uidetur non tantum is qui partum præ-
 focat: sed & is qui abijcit, & alimoniam denegat,
 et qui publicis locis misericordiae causa exponit, quā
 ipse non habet. Planè mulier uisceribus suis uim in-
 ferens, quo partum abigeret, in exiliū temporale da-
 ri iubetur. Haftenus causae ex quibus iudicium legis
 Corneliae de sicarijs competit, breuiter sunt enumera-
 tae. quarū exceptiones generales haec sunt: prima qui-
 dem, si quis occidendi animum se non habuisse osten-
 derit: hic enim, quamuis hominem occiderit, absolui
 debet. Dolus autem pro facto accipitur: neq; in hac
 lege culpa lata pro dolo, quemadmodum alias, acci-
 pi debet. Si tamen culpa interuenerit, quamuis ani-
 mus occidendi non fuerit, extra ordinem reus puni-
 tur. Sic ex senatusconsulto relegari iussa est ea, quae
 non quidem malo animo, sed malo exemplo medi-
 camentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quae
 acceperat, decessit. Similiter cum quidam per lasci-
 uiam causam mortis praebuisset, comprobatum est fa-
 ctum Ignatij Taurini proconsulis Beticae à diuo Ha-
 driano, quòd cum in quinquennium relegasset. Planè
 qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi

dolo non faciant: tamen (quia mali exempli res est) si eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur. Sanè utrum occidendi animo homicidium factum sit, ex re constituendum est. Nam si gladium strinxerit, & eo percusserit: indubitatè occidendi animo id eum admisisse, dicendum est. Sed si clauis percussit, aut cucuma, in rixa: quamuis ferro percusserit, tamen non occidendi animo: lenienda poena eius qui in rixa casu magis, quam uoluntate homicidium admisit. Præterea & is qui aggressorem, uel quemcunq; alium in dubio uitæ discrimine constitutus occiderit: nullam ob id factum calumniam metuere debet. Melius enim est, occurrere in tempore, quam post exitam uindicare. Idem dicendum, si quis latronem, uel desertorem militiæ, uel transfugam, uel hostem occiderit. Sed & furem nocturnum, cui sine suo periculo parcere non potest, occidere licet, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdium quoque furens deprehensum, qui se telo defendit, impunè licet occidere. Is quoque qui stuprum sibi uel suis per uis inferentem occidit, dimittendus. Patri etiam datur ius occidendi adulterum simul cum filia sua, quam in potestate habet. Nihil autem interest, adulteram filiam prius pater occiderit, an non, dum utrumque occidat. Nanque si alterum occidit, lege Cornelia reus erit. Si tamen altero occiso, alter uulneratus

Pater fuerit, impunitas ei conceditur: quia licet in-
 terempto adultero mulier superuixerit post tam
 graua uulnera, quæ ei pater influxerat, magis fato
 quàm uoluntate eius seruata est: quia lex parem in
 eos qui deprehensi sunt, indignationem exigit, &
 seueritatem requirit. Sed & in continenti utrunque
 uult occidi: ne occiso hodie adultero reseruet, &
 post diem filiam occidat: uel contra. Debet enim
 propè uno ictu & uno impetu utrunque occidere,
 equali ira aduersus utrunque sumpta. Quod si non
 adfectauit, sed dum adulterum occidit, profugit fi-
 lia, & interpositis horis apprehensa est à patre qui
 persequebatur: in continenti uidebitur occidisse. In
 hac autem lege naturalis pater ab adoptiuo non se-
 paratur. In potestate utique filiam pater habe-
 re debet. Sufficit autem patri, si eo tempore ha-
 beat in potestate, quo occidit, non quo in matri-
 monium collocauit. finge enim postea redactam in
 potestatem. Ita autem patri ius occidendi compe-
 tit, si & iure patris accusare adulterum possit, & in
 ipsa turpitudine filiam cū adultero deprehenderit:
 & quidem domi suæ, generiue sui, non ubicun-
 que deprehenderit. Sed & domus pro domicilio
 accipienda est. Vnde si pater alibi habitet, ha-
 beat autem & aliam domum, in qua non habitet:
 deprehensam illic filiam, ubi non habitat, occidere
 non poterit. Hæc quidem in patre, ut occidendi ius
b a habeat,

habeat, requiruntur. Sed etsi non omnibus istis obser-
 uatis inconsulto calore adulterum interemit, quam-
 uis homicidium perpetratum sit, extra ordinem ta-
 men mitius punitur: ut puta relegatione. Hæc de pa-
 tre adulterum cum filia interficiente. Marito quo-
 que simile ius competit, ut adulterum cum uxore
 deprehensum impune occidere possit: dummodo
 modum patri præscriptum obseruet: puta si domi
 sue deprehensum adulterum, & quidem in ipso
 actu occiderit. Minus tamen marito quam patri
 permittitur. quamuis enim pater in domo generi de-
 prehensum adulterum impune occidat: tamen ma-
 ritus in soceri domo deprehensum non recte occidit.
 Planè si, cum antea suspectum de adulterio haberet,
 tres illi denunciationes miserit: potest postea cum u-
 xore sua deprehensum uel in suis adibus, uel ipsius
 uxoris, uel adulteri, uel in popinis, uel in suburbanis,
 quamuis non in ipso actu, sed colloquentem saltem,
 impune occidere. Præterea quamuis pater sine re-
 spectu personæ quemuis adulterum cum filia depre-
 hensum occidendi ius habeat (dummodo talis sit, quæ
 iure patris accusare adulterij possit) non idem tamen
 marito tributum est: hic enim non nisi eum qui leno
 fuerit, quiue artem ludicram fecerit, uel in scenam
 saltandi cantandiuue causa prodierit, iudicioue publi-
 co damnatus in integrum restitutus non est (dum-
 modo patronus mariti non sit) quiue libertus eius ma-
 riti.

rti, uxorisue patris, matris, filij, filiaue, utrius eorum
 fuerit (nec interest proprius cuius eorū, an cum alio
 communis fuerit, uel ius aureorum annulorum impe
 trauerit) quiue seruus erit, & quem iure mariti accu
 sare possint. Hæc idcirco tam uariè, quòd plerūq; pie
 tas paterni nominis consilium pro liberis capit: cete
 rum mariti calor & impetus faciliè decernentis fuit
 refrenādus. Planè quamuis maritus non simul cū ad
 ultero uxorem quoq; interfecerit, excusatus tamen
 est: sed ita demum, si eam sine mora dimittat. Nihil
 autem interest, sui iuris quis, an filiusfamiliās sit ma
 ritus. Hæc quatenus marito ius occidendi adulterum
 concedatur, dicta sint: quæ quamuis nō omnia obser
 uata sint, ab ordinaria tamen homicidij pœna absol
 uendus, & mitius puniendus est, quemadmodū & sus
 perius in patre diximus. Sed et in eum qui uxore de
 prebensam in adulterio occidit, leuiorem pœnā irro
 gandam esse, rescriptum est: & humiliore loco po
 situm, in exilium perpetuū dandum: in aliqua digni
 tate positum, ad tempus relegādum. Porro legis Cor
 nelie pœna in homicidijs obtinet sine distinctione, cu
 ius conditionis homo interemptus sit, utrum liber, an
 seruus: alicuius, an nullius momenti. proinde infantē
 quoq; interficiens capitali supplicio punitur. sed &
 si quis maleficum occiderit, ultimum supplicium nō
 euadit. Dominus quoq; qui seruū suum occiderit, non
 minus punitur, quàm si alienum seruum occidisset.

118 INSTITUTIONVM

Idem dicendum, et si seruum depugnādi gratia ad bestias dederit, uel uendiderit. In magistratu quoq; positus, si aliquem contra leges occiderit uel occidi fecerit, lege Cornelia de sicarijs tenetur. Infans tamen uel furiosus, si hominem occiderit, lege Cornelia non tenetur: cum alterum innocentia consilij tueatur, alterum fati infælicitas excuset. Pubes tamē ætatis ratione nō defenditur: nec decurio ratione sue dignitatis. nec etiā interest, quamuis in rixa uel tumultu homicidium quis fecerit. quo casu uterq; lege Cornelia tenetur, tā is qui occidit, quā is qui author fuit tumultus. Idē quoq; dicendū de eo cuius dolo alius hominē occiderit. Porro legis Corneliae de sicarijs et ueneficis pœna insulæ deportatio est, et omnium bonorum ademptio. Sed solent hodie capite puniri: nisi honestiore loco positi fuerint, quā ut pœnā legis sustineāt. Humiliores. n. solēt uel bestijs subijci, altiores uerō deportantur in insulā. Hac de lege Cornelia de sicarijs et ueneficis. nūc de lege Pompeia de parricidijs dicēdū.

V.
De lege Pompeia de parricidijs.

Hac lege cauetur, si quis patrē, matrem, auum, auiam, fratrē, sororē, patruelē, matruelē, patruū, auunculum, amitam, materteram, consobrinū, consobrinā, uirum, uxorem, generum, nurum, focerū, socrum, uitricum, priuignum, priuignam, patronum, patronam occiderit, cuiusue dolo malo id factum erit, quiue cōscijs criminis existit, licet extraneus sit: ut pœna parricidij puniatur: et neq; gladio, neq; ignibus, neq; ul-

li alij

Si diu solenni poene subijciatur, sed insutus culeo cum
 cane, & gallo gallinaceo, & uipera & simia, & in-
 ter eas ferales angustias cōprehensus (secundū quod
 regionis qualitas tulerit) uel in uicinum mare, uel in
 annem projiciatur, ut omniū elementorū usu uiuus
 carere incipiat, & ei coelum superstiti, & terra mor-
 tuo auferatur. Si quis aut̄ alias cognatione uel adfini-
 tate personas cōiunctas prater iam enumeratas ne-
 cauerit, poenam legis Corneliae de sicarijs sustinebit.
 Sed sciendum est, Pompeia lege de consobrino com-
 prehensum esse: sed non eos etiam pariter com-
 plecti, qui pari propiorēue gradu sint. Sed & nouer-
 cae & sponse personae omisse sunt: sententia tamē le-
 gis cōtinentur. cum pater & mater sponsi & sponse
 focerorum, ut liberorum sponsi generorum appella-
 tione contineantur. Sanē defensio patris nulla est, si
 dicat inauditū filium se occidisse: cum accusare eum
 apud Praefectum Praesidēue prouinciae debeat. Di-
 uus etiam Hadrianus fertur, cū quis in uenatione fi-
 lium suum necauerat, qui nouercā adulterabat, in in-
 fulam eum deportasse, quod latronis magis quam pa-
 tris iure eum interfecisset. nam patria potestas in pie-
 tate debet, nō atrocitate consistere. Planē si per furo-
 rē aliquis filium uel parentē occiderit, impunitus est:
 nisi fortē uel furor simuletur, uel medio tēpore, quo
 furor intermiserat, parricidium fecerit. Sed & il-
 li quorum custodiae commissus fuit furiosus, arbitrio

iudicis sunt puniendi. Eorum autem qui parricidij
 poena teneri possunt, semper accusatio permittitur.
 Planè & hæc defensio admittitur, si doceatur occi-
 sum ad patriam delendam, uel ad parentes & libe-
 ros interficiendos uenisse. Damnati autem ex hoc in-
 dicio bona iure quidem antiquo publicabatur. Idem
 iuris erat, si ante sententiam reus sibi mortem con-
 sciuiisset: aliàs secus. Hæc de parricidij crimine.
 nunc de plagij crimine agendum: quod quidem
 coercetur lege Fauia de plagiarijs, cuius accusatio
 publici etiam est iudicij. Lege autem illa cauetur, ut
 qui hominem ingenuum uel libertinum inuitum ce-
 lauerit, in uinculis habuerit, emerit sciens dolo malo,
 quiue in earū qua re socius erit: quiq; seruo alieno ser-
 uæue persuasert, ut à domino dominæue fugiat, uel
 eū eamue inuito uel insciente domino dominæue ce-
 lauerit, in uinculis habuerit, emerit sciens dolo malo,
 quiue in ea re socius erit: eius poena teneatur. Ab hac
 poena primùm excipiuntur bonæ fidei possessores, & t
 qui suum hominem putantes detinuerint: dummo-
 dò crimini prætextus hac occasione non queratur.
 Sed & excipitur is quoq;, cui seruus fugitiuus, ut
 pasceretur, operas suas locauit, præsertim si antea
 alij quoque locasset. Præterea lege hac non tene-
 tur, qui libidinis causa ancillam alienam, quæ me-
 retrix sit, supprimi: secus, si meretrix non sit. Sanè
 et si is, propter quem quis in Fauiam commisit,
 de-

VI.
 De lege Fa-
 uia de pla-
 garijs.

*decesserit, adhuc tamen accusatio & poena legis Faviae superest. Sed etsi civiliter actum sit, nihilomagis haec accusatio aboletur. Tenetur insuper lege Favia, qui sciens liberum hominem uel seruum alienum uendiderit, donauerit, uel in dotem dederit, necnon & is qui ex earum qua causa sciens liberum esse acceperit. Non tamen statim qui seruum alienum interceptit, plagij crimine tenetur, quamuis furtum committat: sed hoc ex iudicis arbitrio pendet. Praeterca lege Favia tenetur dominus, qui seruum suum fugitiuum alienauerit, praeterquam si inter cohæredes uel socios in diuisione rerum communium licitatio eius & addictio sit facta. Sed & si ita dominus fugitiuum uendiderit, ut si fuerit deprehensus, uenditio eius ualeat: excusatur. Quod etiam dicendum de eo qui seruum suum fugitiuum mandauit adprehendendum & uendendum. Sed & illud sciendum est, legem Favianam ad eum non pertinere, qui cum absentes seruos haberet, eos uendidit: aliud enim est abesse, aliud in fuga esse. Porro hoc iudiciu cum publicu sit, per procuratore exerceri non potest. Competit autem apud praesidem prouinciae, non apud procuratorem Caesaris: & accusator domicilium rei conuerti sequi debet. Poena insuper legis Faviae de plagiarijs pecuniaria fuit, quae in usu esse desijt: & rei conuerti extra ordinem pro delicti modo coercentur, & plerunq; in metallum damnantur. Imperatores sane Diocletianus & Ma-
b § ximianus*

ximianus plagarios capite plectendos constituit
 & Imp. Constantinus ad Celsum rescripsit, si quis se-
 pius in hoc crimine fuerit deprehensus, siquidem ser-
 uus sit uel libertinus, bestijs cum subiiciendum: inge-
 nuum uerò gladio consumendum esse. Et hoc in eo
 rescripsit, qui filios alicuius uiuentis celauerit. Qui
 autem seruum fugitiuum susceperit, eum cum alio pa-
 ri uel uiginti solidis ab eodem Imp. reddere iubetur.
 Si uerò secundò uel tertio eum susceperit, præter ip-
 sum duos uel tres alios, uel prædictam æstimationem
 pro unoquoq; seruo, domino representare iubetur.
 Imperator Valens eum qui seruum fisci occultauerit,
 duodecim librarum argenti multa punit. Sed et qua-
 drupli poena ab eodem statuitur. Creditor qui pigno-
 ris nomine debitoris filium detinet, credito priuatur,
 & in alterum tantum condemnatur constitutione
 Imp. Iustiniani. Postremò ex plagij crimine ciuilitè
 etiam agi potest. Sed & furti actione tenetur is qui
 seruum fugitiuum sciens cum rebus furtiuis suscepe-
 rit. Item serui corrupti actione tenetur, qui alieno
 seruo ut fugeret persuasit. Hæc de lege Fauia de pla-
 giarijs. Sequitur lex Iulia de adulterijs et stupro, quæ
 à dno Augusto lata est, & stuprum adulteriũq; pro-
 miscuè appellat. sed propriè adulterium in nuptam
 cõposito nomine: stuprum uerò in uirginẽ uiduã ue
 cõmittitur. Stuprum etiam cõmittit is qui liberã mu-
 lierem

VII.
 De lege Iu-
 lia de adul-
 terijs & stu-
 pro.

licē cupidinis causa, non matrimonij continet, excepta uidelicet cōcubina. Præterea qui domū suā, ut stuprū adulteriū ue cū aliena matrefam. uel cū māsculo fieret, sciens præbuerit, uel questū ex adulterio uxoris suæ fecerit, uel pro cōperto stupro aliquid acceperit, cuiuscunq; sit cōditionis, quasi adulter punitur. Appellatione aut domus habitationē quoq; significari, palam est. Et si amici quis domū præbuerit, tenetur. Sed & si quis in agro alieno ut stuprū fieret, præbuisse, cōprehendi debet. Et si in domū aliquā soliti si: crint conuenire ad tractandū de adulterio, quāuis eo loco nihil admissum fuerit, uidetur tamē is domū suā, ut stuprū adulteriū ue cōmitteretur, præbuisse: quæ sine colloquio illo adulteriū non cōmitteretur. Mulieres quoq; hoc capite legis, quod domū suā præbuerunt, uel pro cōperto stupro aliquid acceperūt, tenentur. Sed et si uxor ex adulterio uiri præmiū acceperit, lege Iulia quasi adultera tenetur. nā & lenocinij crimē hac lege punitur. Maritus quoq; qui adulteriū in domo deprehēsum sciēs dimisit, plectitur tanq̄ leno. Is quoq; cuius ope et cōsilio dolo malo factū est, ut uir fœminā ue in adulterio deprehēsi pecunia aliā ue qua pactione se redimerēt, eadē pœna dānatur, quæ cōstitutā est in eos q̄ lenocinij crimine dānantur. Si aut uir infamandæ uxoris suæ causa adulteriū subiecerit, ut ipse deprehenderet: et mulier et uir adulterij crimine tenentur ex senatusconsulto de ea re facto. Is quoq;

quoque cui tres denūciationes tāquā suspecto à marito missæ erant, ne cum uxore eius rem haberet, si cū ea colloqui fuerit deprehensus, quamuis in templo: hoc ipso in adulterij crimen incidit. Crimen insuper lenocinij contrahit, qui deprehensam in adulterio uxore in matrimonio retinet, uel dimissam reduxerit, non qui suspectam adulteram habet. Mulierem tamen ob latronum societatem exulare iussam, citra pœnæ metum in matrimonio posse retineri, Papinianus respondit: quia non fuerit adulterij damnata. Sed & hodie iure nouo maritus adulterij damnatam, si uoluerit, impunè retinere potest. Præterea lege Iulia tenetur, qui adulterij uel stupri damnatam in uxorem duxerit, uel cōtra mulier ex adulterij uel stupri causa damnato nupsit. Si tamen ob aliam causam ea lege mulier fuerit condemnata, impunè uxor ducetur. Sed et adulterij damnatam pro concubina licet habere. Imò & uxor impunè haberi potest, quamuis de adulterio suspecta fuerit, non autem damnata. Reas tamen adulterij factas nec ante damnationem uiuente marito uxores duci posse, Modestinus ait. Incesti insuper crimen lege Iulia de adulterijs punitur. Incestum autem committere dicitur, si quam ex his, quas moribus prohibemur uxores ducere, duxerit. quod crimen excusatur uel sexu, uel etate, uel etiam puniendi correctione, quæ bona fide interuenit: utique si error allegatur, et facilius, si nemo reū postulauerit,

SEXU

Sexu excusatur ab incesti crimine mulier, si scilicet per nuptias commissum sit. nam si adulterium cum incestu committatur, ut puta cum priuigna, nuru, no- uerca: mulier similiter ac uir punietur: id enim re- moto etiam incestu eueniret. Aetate ab incesti crimi- ne excusatur impubes, si modò incestum per matri- monium illicitum, non per stuprum contractum sit. Sed & si antequam accusatio instituat, ab incestis nuptijs errore potius quàm dolo contractis receda- tur diuortio interueniente, poena remitti solet: secus, si morte mulieris matrimonium sit solutum. Etsi au- tem per simplex stuprum incesti crimen sit commis- sum, uel per concubinatum, non per nuptias, poena ta- men locum habet. Præterea potest adulterij accusari tutor uel curator, qui pupillam suam duxit in ux- orem contra senatusconsultum. Idem dicendum, si quis duas uxores simul habuerit, uel mulier duobus simul nupta: nisi errore et ignorantia id factū esset. Potest tamen uni desponsata, alteri in matrimonium impune dari. Lex autem Iulia de adulterijs coercendis non so- lum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos qui cum masculis nefandam libidinē exer- cere audent. Hactenus causse propositæ accusationis enumeratæ sunt: quarum exceptiones generales hæ- sunt: prima quidem, si inter seruos uel cum ancilla stuprum uel adulterium sit commissum: hoc enim casu lex Iulia de adulterijs cessat, & pro ea legis Aquiliæ,

Aquiliae, iniuriarum uel serui corrupti actio competit. Seruus tamē cum libera muliere adulteriū uel stuprū cōmittēs, lege Iulia de adulterijs tenetur. Punitur autem hac lege non adulterium solum, sed et stuprū in uiduam uel uirginem commissum, pœna tamen mitiore, ut infrā dicetur. Porrò deprecatio pœnae nulla est, si se minor annis adulterium dicat commississe: sed nec, si quid eorum commiserit, quæ pro adulterio eadem lex punit: ueluti si adulterij damnatam sciens uxorem duxerit, aut in adulterio deprehensam uxorem non dimiserit, quæstum uel de adulterio uxoris fecerit, &c. non enim fit ætatis excusatio aduersus præcepta legum ei qui, dum leges inuocat, contra eas cōmittit. Cum ea uerò, quæ matrisfamiliās nomen nō obtinet, qualis est ea quæ potātib. ministeriū præbet, uel aliàs prostitutam meretricio more uulgo se præbet, stuprum non committitur: nisi euitandæ pœnae causa se talem præbeat, uel alij nupta sit. Honos autē et ministerium publicum à pœna huius legis nō excusat. Si uerò lenocinio mariti mulier adulterata sit, iure mariti accusatio denegatur: nisi fortè adulter uel adultera inter reos receptus recepta uel sit. nec excusatur mulier, si dicat maritum suæ infamandæ causa adulterum subornasse. Planè stupri crimen aboletur, si matrimonium inter eosdem sequatur: nisi matrimonium legibus non subsistat. Vnde adulterio commisso pœna nihilominus durat, quamuis

nuptis

Nuptiæ fuerint secuta: quia eam cū qua adulteriū cō-
 misit, in uxorem quis ducere nequit. Vim quoque
 passa mulier in legem Iuliam de adulterijs non com-
 misit, licet iniuriam suam protegenda pudicitiae cau-
 sa confestim marito renunciari prohibuit. Extin-
 guitur insuper hoc crimen morte eius qui id com-
 misit: superstes tamen nihilominus accusari potest.
 Durante autem matrimonio, nec adulter nec adul-
 tera ab extraneo accusari potest: probatam enim à
 marito uxorem & quiescens matrimonium non de-
 bet alius turbare atque inquietare: nisi prius leno-
 cinijs maritum accusauerit: uel in alio matrimonio,
 non in eo quod nunc est, adulterium commissum di-
 catur. Sed & adulterij uel stupri accusatio semel
 in iudicium deducta, & per sententiā finita uel de-
 ferta, amplius deferri non potest. Derelictam ta-
 men ab alio accusationem alius excitare potest. Sed
 et si alius antea fuerit accusatus, postea alij accusato
 non prodest exceptio proposita: nisi fortè adultero
 prius accusato & absoluto, mulier postea accusetur:
 huic enim exceptio rei iudicatae nō denegabitur. Pla-
 ne si mulier nupta esse desierit, proposita exceptione
 nō adiuuabitur. Idē dicēdū, si eo tēpore, quo eligeba-
 tur re, adultera nupta nō fuerit: quo autē absoluatur,
 nupta inuenitur. nā hāc quoq; uel absoluto adultero
 accusari posse, dicēdū ē: qā eo tēpore, quo adulter elē-
 gebatur, nupta nō fuit. Nupta autē nō pōt accusari, nō
 tantum

28. INSTITUTIONVM

tantum ab eo qui adulterum accusauit, nec obtinuit, sed ne ab alio quidem, si adulter absolutus est. Proinde etsi per collusionem adulter fuerit absolutus: habet mulier nupta aduersus omnes securitatem. Præterea quamuis utriq; tam adulter quam adultera fuerint absoluti, si tamen postea uel turpiter conuersati deprehendantur, uel matrimonium inuicem contrabant: non obstante rei iudicatæ exceptione, etiã sine accusatione & probatione ulteriore pro conuictis habentur. Sed etsi accusatione instituta, mulier sit absoluta, extraneo accusante: tamen marito debet permitti restaurare accusationem, si idoneas causas allegare possit, quibus impeditus accusationem non instituerit. Postremò non obstat exceptio proposita, si prima accusatio inutiliter fuerit instituta: puta a adultero & adultera simul accusatis: hoc enim casu nihil agitur. Ideoq; denuò accusatio institui potest, sumpto initio à quo accusator uoluerit. Porro crimē adulterij & stupri perinde ac alia crimina tollitur abolitione impetrata uel à lege concessa: de qua re supra suo loco copiosius est dictum. transigi autem uel pacisci de hoc crimine non potest. Huic autem accusationi quinquennij præscriptio à die quo adulteriũ dicitur commissum, obstat: quod quinquennium non utile, sed continuum numerandum est. Eximitur tamen ex hoc quinquennio illud tēpus, quo uel contra alium, uel ab alio accusatio antea fuit instituta.

Scd

Sed & non obstat quinquēnij prescriptio, si per uirum adulterium uel stuprum commissum esse dicatur. neque crimen incesti cōiunctum adulterio prescriptione hac excluditur. Haecenus de causis propositae accusationis, earumq; exceptionibus. nunc quibus adulterij uel stupri accusatio competat, uidentum. In primis autem maritum genitales tori uindicem esse oportet: nec filius familiās maritus ab eo qui sui iuris est, in hac lege separatur. Serui planè ob uiolatū contubernium adulterij crimine accusare non possunt. Sed & periniquum uidetur esse, ut pudicitiam uir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat: & lenocinij exceptione maritus repellitur. Inter reos tamen receptus receptaue proposita exceptione non adiunatur. Nam lenocinium mariti ipsum onerat, nō mulierem excusat. Haec autem exceptio, quod maritus alios etiā reos ex alijs criminibus habeat, marito non obstat. Sed nec ea, quod uxor uulgaris fuerit. Planè de adulterio uel stupro antè contractum matrimonium commissio iure mariti accusatio non cōpetit: nisi puella uiolata, sponsa eius fuerit. Idem dicendum, si qua repudiata mox reducta sit, non quasi eodem matrimonio durante, sed quasi alio interposito: nā ex adulterio in priore matrimonio cōmisso iure mariti accusatio denegatur. Sed & post diuortium stuprum commissum maritus uindicare non potest: nisi uxor ei sine legitima causa repudium miserit: tunc enim ne uindictam

duitatem stupri procacitate commaculet, accusatio
 repudiato marito iure defertur. Sed et si quis uxore
 suam, cum apud hostes esset, adulterium commississe
 arguat: benignius dicetur, posse eum iure uiri accu-
 sare: sed ita demum, si uim hostium passa non esset. Si
 tamen ea sit mulier, cum qua incestum commissum
 est, uel ea quæ, quamuis uxoris animo habetur, uxor
 tamen esse non potest: dicendum est, iure mariti ac-
 cusari eam non posse, iure extranei posse. Competit
 autem iure mariti accusatio intra sexaginta tantum
 dies diuortij facti, non quidem continuos, sed utiles,
 connumeratis etiam diebus feriatis. nec ulli alij intra
 id tempus, præterquã marito & patri, accusandi po-
 testas datur. Ultra eos dies neutrius uoluntas expecta-
 tur. In diebus aut sexaginta & ipse sexagesimus dies
 est. Post dies sexaginta elapsos maritus iure extranei
 nõ prohibetur. Qui tamen negauerit se accusaturum,
 postea accusare uolens exceptione repellitur. Idẽ di-
 cendum de eo qui, cum accusationẽ instituisset, desti-
 tit. Sed & crimen adulterij maritum, retenta in matri-
 monio uxore, inferre non posse, nemini dubium est. Idẽ
 dicendum de eo qui dimissam uxore adulterã reduxe-
 rit. Etsi aut alius prior accusationẽ instituerit: tamen
 superueniens maritus iure mariti accusare uolens au-
 diendus est, si non negligentia præuentus est. Hæc de
 marito. Sponsus quoq; in sponsa stuprum commissum
 iudicare potest: quia nec matrimonium qualecunq;

nec

LIBER PRIMVS.

131

*De speciem matrimonij uiolare permittitur. Patri etiã
 eam filiam, quã in potestate habet, intra dies sexaginta
 a diuortij accusare permittitur, præferturq; extra-
 neis. In accusatione tamen uiduæ filie non habet pa-
 ter ius præcipuum. Sed & si simul ad accusationem
 ueniant maritus & pater mulieris, maritus patri præ-
 fertur: nam & propensione iure, & maiore dolore
 executurum eum accusationem, credendum est: in tã
 tam, ut etsi pater præuenerit, & libellos inscriptionis
 deposuerit, marito non negligente, nec retardante,
 sed accusationẽ parante, & probationibus instruente
 atq; muniente, ut facilius iudicantibus de adulterio
 probetur, idem sit dicendum. Nisi igitur pater mari-
 tum aut infamem arguat, aut doceat colludere magis
 eũ uxore, quã ex animo accusare, postponetur ma-
 rito. Sed & si maritus in magistratu sit, ut accusare
 interim non possit: patris quoq; accusatio impeditur:
 ne præcipiatur marito ius, quod cũ eo æquale habet:
 igitur non cedent sexaginta dies patri, cum accusare
 nõ potest. Quod aut supra dictum est de marito ne-
 gante se accusaturum, uel desistente, idem de patre
 quoq; intelligendum est. Porro post maritũ & patrẽ
 extraneis, qui accusare possunt, accusandi facultas cõ-
 ceditur. nã post sexaginta dies utiles quatuor menses
 extraneis datur et ipsi utiles, in nupta qdẽ ex die di-
 uortij cõputandi: in uidua uerò, ex die cõmissi crimi-
 nis. Qui autem accusare non potuit, ei dicti quatuor
 menses.*

mensis non currunt: quinquēnij tamē prescriptione submouebitur. de quo supra dictum est. Pluribus autem extraneis ad accusationem prosilientibus, iudex de iusto accusatore constituet. Potest tamen unus adulterum, alter adulteram accusare. Quod uerò diximus, extraneis quoq; accusandi facultatem concedi, id iure nouo coarctatum est, et intelligitur tantum de patre qui filiam in potestate non habet, item de fratre, patruo et auunculo, quos uerus dolor ad accusationem impellit. Ceteri autem extranei ab accusatione proposita procul arcētur. Sed et minores x xv. annis lege Iulia de adulterijs specialiter accusare prohibentur, si non matrimonij sui iniuriam exequantur. Nam si suum matrimonium uindicare uelint, quamuis iure extranei ad accusationem ueniant, tamen audientur. nec enim ulla prescriptio obijcitur suam iniuriam uindicanti. Minorem uigintiquinque annis accipimus et cum qui annum uicesimum quintum etatis agit. Quamuis autem marito imprimis ius accusandi competat, ut supra diximus: uxor tamen maritum adulterij accusare prohibetur, sed et adulteram. Hactenus quibus adulterij uel stupri accusatio competat, expositum est: nunc aduersus quos competat, esset dicendum: sed de hoc supra quedam sunt dicta. Nam et eos qui domum prae-buerint, lenocinium fecerint, pecuniam pro comperto stupro acceperint, aliosque plures propo-
sita

In accusatone teneri diximus. Internunciij quoque & ministri huius criminis eadem poena plectendi sunt, quiq; adulterium uel stuprum suaserint. Quando autem & quo ordine accusatio hæc competat, dicendum. Extraneis igitur (ut supra quoque dictum) intra sexaginta dies facti diuortij accusatio non datur, nisi maritus & pater mulieris negauerint se accusaturos. Reos autem adulterij duos simul, marem & foeminam, ex eadem causa fieri lex petat: sed ordine peragi utrosque licet: nisi forte non ab uno, sed à diuersis accusentur: nam unus adulterum, alter adulteram simul accusare non prohibetur. Sed & non prohibetur accusator cum adultero uel adultera eum quoque accusare, qui domum suam præbuit, uel consilio fuit, ut crimen rediret. Incesti quoque commune crimen aduersus duos simul intentari potest. Liberum uero est accusatori, utrum prius adulterum, an adulteram accusare uelit: nisi adultera sit nupta: tunc enim ab adultero, non adultera incipiendum est: nec ante ad adulteram peruenire potest, nisi adulter fuerit condemnatus. Quod tamen distinctionem recipit. Nam si, cum mulier adultera nuberet, ei ab accusatore denunciatus sit, ne nubat, se adulterij eam accusaturum: ab ea incipere potest. denunciasse autem simpliciter sufficit, etsi non ad iudicem: sed etsi non addiderit rationem, quare denunciaret, nihilominus ab ea inci-

pere potest. Idem dicendum, si fecerit quidem adulterij commemorationem in denunciatione, quantum non demonstrauerit iudicem, apud quem eam accusare uelit. Quid tamen, si specialiter, cum quo adulterium fecit, denunciatione complexus est, mox uelit eam ex alterius persona accusare? magis est ut non debeat audiri: neq; enim crimen quod denunciauit, obijcit. Siue autem per se, siue per alium, quantum per seruum suum, denunciauerit, nihilominus electio accusatori reseruatur: sufficitq; uel ad domum mulieris denunciationem missam esse. Quid ergo, si non quidem denunciauerit, uerum libellos accusatorios dederit, antequam nuberet, eaq; cum cognouisset, nupsit ne ignorans? Vlpianus putat, non uideri ei denunciatum: idcirco non posse accusatorem ab ea incipere. Planè si quis adulterium à seruo suo commissum dicat in eam quam uxorem habuit: accusare potius muliorem debet, quam in præiudicium eius seruum torquere. Hæc de electione accusatoris, utrum ab adultero, an adultera incipere uelit, sint dicta. Durante autem matrimonio, in quo adulterium dicitur commissum, accusationem propositam non competere, supra dictum est. Sed & si uentris nomine mulier missa sit in possessionem, differenda est accusatio adulterij: ne quod præiudicium nato fiat: nisi mulier adultera non negetur ex defuncto prægnans esse, neque infans ex defuncto

facto conceptus. Hactenus, quando & quo ordine accusatio adulterij fiat, ostensum est. Quamdiu competat, dictum est supra. Nunc de poena adulterij & stupri dicendum. Et adulterij quidem poena capitalis est: nam adulter gladio puniri iubetur, quamuis adultera mitiori poena puniatur: nam in monasterium detruditur iure nauisimo. Stupri autem poena est, publicatio dimidie partis bonorum: nisi uel humilis sit persona: tunc enim corporis coercitio est cum relegatione. uel nisi quis cum ea quam uxorem habere non potest stuprum commiserit: hic enim in insulam deportandus est, cuius exemplum est, si tutor pupillam suam corruperit: nã & hic deportari iubetur. Planè qui nondum uiripotentes uirgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur: honestiores in insulam relegantur, aut in exiliũ mittuntur. Mulier autem proprijs seruis se iungens, capite punitur. Porro in adulterij uel stupri iudicio prescriptiones, quae obijci accusantibus solent, antè tractandae sunt, quam quis inter reos recipiatur: ceterum posteaquã semel receptus est, non potest prescriptionẽ obijcere. Sed nec ciuiles prescriptiones, quibus aut dos repeti fugitur, aut ratio aliqua debitũ flagitur, in hoc iudicio sunt obijciendae: nec dilationes in hoc iudicio concedendae, nisi causa cognita. Quod autem ad quaestiones attinet, sciendum in adulterij questione ab

omni familia, non solum mariti, sed etiam uxoris (quæ tamen tunc temporis domi fuerit, quo adulterium dicitur commissum) sine cuiusquam defensione querendum. Sed et de exteris seruis questio haberi potest. Unde de eo quoque seruo, in quo usumfructum reus habuit, questio haberi potest: licet enim seruus eius non fuerit, in seruitute tamen fuisse uidetur: nec tam proprietatis causa ad questionem, quam ministerij pertinet. Ergo et si bona fide seruiat reo seruus alienus, per questionem interrogari potest. Questioni autem interesse iubentur reus reus, et patroni eorum, et qui crimen detulerit, interrogandiq; facultas datur patronis. Porro si postulauerit accusator, ut questio habeatur de seruo, iubent iudices eum seruum estimari: et ubi estimauerint, tantam pecuniam adulterum, et tantam eum qui nomen eius serui detulit, ei ad quem ea res pertinet, dare iubebunt. Iubet etiam lex Iulia de adulterijs seruos ipsius rei reus, de quibus questio ita habita sit, publicos esse. Proinde in communi partem publicamus: in proprio, cuius usumfructus alienus est, nudam proprietatem: in quo tantum usumfructum habuit reus, magis est ut perceptio usumfructus ad publicum incipiat pertinere. Alienum seruum utiq; non publicamus. Ratio autem publicandorum seruorum ea est, ut sine ullo metu uerum dicatur: et ne, dum timeant se in reorum potestatem regressuros, obdurent in questione.

Non

Non tamen prius publicantur, quàm questio de illis habita fuerit. Sed etsi negauerint, nihilominus publicantur. Ratio enim adhuc eadem est, ne dum hi sperant se in potestatem dominorum reuersuros, si negauerint: spe meriti collocandi in mendacio perseverent. Sed et serui accusatoris, si de his questio habita sit, publicentur: eius enim serui ne mentiantur, merito dominio eius recedunt. Extranei uerò nō habent cui gratificentur. Præterea serui torquendi intra duos menses, matrimonio soluto, manumitti uel distrabi prohibentur. Postremò, quamuis ex adulterio uel stupro accusatio cōpetat lege Iulia de adulterijs introducta: habet tamen hæc accusatio sua ad finia remedia. Nam si per uim adulterium uel stuprum commissum sit: raptus crimen est, de quo supra. Si ancilla nuciata sit, uel seruus corruptus: Serui corrupti actio est, item legis Aquiliae et iniuriarum, ut supra quoque ostensum est. Sed et patri, necnon marito licet adulterum in ipso actu deprehensum occidere, de quo etiam supra est dictum. Sed et lege Iulia de adulterijs cauetur, ut uiro adulterum cum uxore sua deprehensum, quem aut nolit, aut non liceat occidere, retinere horis diurnis nocturnisq; cōtinuis non plus quàm viginti, testandæ eius rei causa sine fraude suo iure liceat. Vlpianus arbitratur, etiam in patre id seruandum, quod in marito expressum est. Sed etsi non in domo sua maritus deprehenderit, poterit retinere.

i 5 Sed

Sed semel remissus adulter reduci nō potest. Quid ergo, si euaserit? an reductus custodiri uiginti horis possit? Et putat Vlpianus hic magis dicendum, reductum retineri posse testandæ rei gratia. Quod adijcitur, Testandæ rei gratia: ad hoc pertinet, ut testes inducat testimonio futuros accusatori, deprehensum reum in adulterio. Hæc de lege Iulia de adulterijs & stupro. Sequitur de lege Cornelia de falsis; qua lege punitur falsitas. hæc nihil aliud est, quam uerorum imitatio. Comittitur autē falsum uarijs modis: in scriptis & tabulis, in testamento & codicillis, in testimonio, in moneta & numis, in pondere & mensura, in nomine & uitæ conditione, in signis & titulis, in partibus de quibus singulis ordine dicitur. Qui igitur in rationibus, tabulis, cæcisue, uel alia qua re siue configuratione falsum fecerint, uel rem amouerint, perinde ex his causis atque si erant falsarij, puniuntur. Falsum autem facere uidetur, qui chirographum alienum imitatur, aut libellum uel rationes intercidit, uel describit: non qui alias in computatione uel in ratione mentitur. Instrumentorum subreptorum crimen non est publici iudicij, nisi testamentum alicuius subreptum arguatur. Punitur etiam qui falsum instrumentum apud iudicem sciens recitauit, uel protulit. Sed & punitur perinde ac si falsum fecerit, qui obrepfit Præsidi per acta uel per libellum, item falsi poena tenetur, qui falsis constituitur.

VIII.
De lege
Cornelia
de falsis.

stitutionibus uel rescriptis usus est: necnon is qui edicta proposita dolo malo corrumpit. Præterea qui testamentum amouerit, celauerit, rapuerit, delcuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit, quiue testamentum uel aliud instrumentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit, mutauerit dolo malo, cuiusue dolo malo id factum erit, legis Corneliæ poena damnatur: nec distinguitur, utrum uiuo, an mortuo testatore factum sit. Planè testamentum quod nullo iure ualeat, impunè supprimitur: nihil est enim quod ex eo aut petatur, aut consistere possit. Præterea si quis aliquid in testamento uel codicillis alicuius sibi ipsi sua manu adscripserit: senatusconsulto Claudio no cauetur, ut perinde teneatur, ac si in legem Corneliam commisisset, & adscriptum non ualeat. Idem dicendum, si quis non sibi, sed ei in cuius est potestate, uel ei qui in eadem est potestate, uel denique ei quem habet in sua potestate, adscripserit. hoc tamen posteriore casu, si pater filio suo militi, quæ habet in potestate, testamento commilitonis filij aliquid adscripserit, quem commilitonem in militia nouit: quia patri non acquiritur, extra poenam est. Sed & si et filio, qui apud hostes est, adscripserit pater legatam, & filius apud hostes decesserit: innocens pater existimabitur. Idem dicendum de patre uel domino, qui filio uel seruo adscripsit sub hac cõditione, Cum sui iuris erit. Sed & si dominus seruo, cui mori

scab

fecit in fideicommissaria libertate præstanda, aliquid adscripsit: extra pœnam est. Idem dicendum, si quis seruo alieno, quem bona fide possidet, aliquid adscribat. quoniam id quod adscribitur, bonæ fidei possessori non acquiritur. Sed & si seruo suo fideicommissariam libertatem adscripserit, extra pœnam est: nisi ideo adscripserit, ut seruus magno pretio redimatur ab eo, & manumittatur. Nihil autem interest, siue proprio seruo, siue cum alio communi aliquid adscripserit: nam utroq; casu in senatusconsultum incidit. Illud constat, si extraneo quis adscripserit legatum, licet postea uiuo testatore in potestate eũ habere coeperit: senatusconsulto locum non esse. Et si pater filio emancipato uel alij in adoptionem dato adscribat, recte faciet. Filius quoq; matri iussu testatoris aliquid adscribens, impunitus est. Vxori quoq; legatũ in alieno testamento adscribere non prohibemur. Sed & si quis sibi ipsi adscripserit sub ea conditione, quæ in potestate eius non est: placet pœnam legis Corneliæ ei remitti, & adscriptum ualere. Qui autem libertis adsignationem sua manu sibi adscripsit, nõ uerbis, sed sententia senatusconsulti tenetur. Et si autem quis id quod sibi adscripsit, alij restituere sit rogatus, uel seruum sibi adscriptum manumittere: iussit tamen senatus eum nihilominus à legato abstinere, idq; apud hæredem remanere cum onere fideicommissi. Sed etsi legatum quod sibi adscripsit, alia ratione inutile sit: nihil

libellominus poena legis Corneliae tenetur: nisi forte in testamento imperfecto et non signato adscriptum sit: hoc enim casu poenae locus non est. Præterea qui sibi in testamento adscripsit, quod sibi etiam sine testamento debetur, uenia dignus est, et id quod sibi adscripsit, pristina actione persequi non prohibetur. Is etiam qui alterius legato conditionem adiecit pecuniae sibi dandae, in uoluntatem senatusconsulti incidit. Planè qui se tutorem filio testatoris adscripsit, etsi suspectus esse praesumitur, tamen si idoneus esse adprobetur, non ex testamento, sed ex decreto tutor dandus est. Qui autem in alterius testamento sibi aliquid adscripsit, non excusatur, quamuis totum testamentum scripserit, et dictante testatore aliquid sibi adscripserit. Planè si testator subscripserit testamento, excusatio admittitur, quo tamen casu inter filium et seruū et extraneū testamentū scribentes hoc interest, quòd in extraneo, si specialiter subscriptio facta est, quod illi dictauit et recognoui: poena cessat, et capi potest. In filio et seruo uel generalis subscriptio sufficit et ad poenā euitandā, et ad capiendum. nā hī necessitate potestatis, cum dominis uel parentib. suis parent, excusantur. Quod tametsi ad liberarum personarum, in quas nullum ius testator habuerit, extendi non debet: queri tamen debet, an aequè subsequendi necessitas et honesta excusatio sit non facientibus, quod non sit concessum. Matri quoque, cui per seruū

suū

suum dictante filio legatum scriptum esset, ueniam
 tribuendam legis Corneliae placuit. Idem in filia
 que dictante matre sua per ignorantiam iuris lega-
 tum sibi scripserat, censuit senatus. Porro non con-
 tinetur uerbis senatusconsulti seruus qui in alieno
 testamento fideicommissariam libertatem sibi ad-
 scripserit. Sed magis dicendum, hunc contra sena-
 tusconsultum facere, quam eum qui legatum sibi ad-
 scripsit: cum libertas omnino ipsi competitura sit. Le-
 gatum autem adquiri domino possit. Sed nec iuris i-
 gnorantia excusatur, qui sibi in alieno testamento
 quid adscripsit, nisi foemina sit. Potest tamen ob igno-
 rantiam uenia delicti ab Imperatore impetrari. Na
 ueniam deprecantibus ob ignorantiam, et profiten-
 tibus a relicto discedere, Senatus uel diui Principes
 ueniam dederunt. Praeterea ad testaments quoque mi-
 litum pertinet senatusconsultum, quo lege Cornelia
 tenetur, qui legatum sibi fideiue commissum adscri-
 pserit. Sed et in idem senatusconsultum incidit, qui
 codicillos ante testamentum factos, in quibus legatum
 ei adscriptum erat, confirmauit: nec solum qui sibi
 aliquid adscripsit, sed etiam qui a se alij relictum,
 manu sua ademit. Senatus tamen poenam remisit ei
 qui legata a se testamento data, codicillis sua manu
 scriptis ademerat: quia iussu patris id fecerat, et
 nondum uiginti quinque annorum erat. Ideoque ha-
 reditatem quoque ei capere permissum est. Institu-

Et etiam heres, qui exheredationem nominatim fili-
 j uel aliarum personarum adscribit, senatusconsulto
 tenetur. Planè qui se exheredat, uel legatum sibi adi-
 mit, neq; uerbis senatusconsulti, neq; sententia contine-
 tur. Haectenus de falso quod in scriptis & tabulis, in
 testameto & codicillis comittitur. sequitur nunc de
 eo quod testimonijs inest. Si quis igitur falsum testi-
 moniũ dixerit, uel dicendũ curauit: poena legis Cor-
 neliae de falsis tenetur. Eos quoq; qui inter se diuersa
 testimonia praebuerũt, quasi falsum fecerint praescri-
 pto legis Corneliae teneri pronunciatum est: & cum
 qui contra signum suum falsum praebuit testimonium,
 poena falsi teneri pronunciatum est. De imprudentia
 eius qui diuersa duobus testimonia praebuit, cuius ita
 anceps fides uacillat, quin crimine falsi teneatur, nec
 dubitandũ est. item si quis ob denunciandũ remitten-
 dium testimonium, dicendum uel non dicendũ pe-
 cuniam acceperit: poena legis Corneliae adscitur. Ea-
 dem poena irrogatur ei qui quid sciens dolo malo fal-
 sum signauerit, signarius curauerit. Porro in moneta
 quoq; et numis falsũ comittitur: et qui adulterinã mo-
 netã exercuerint, cõstitutione Imp. Constantini cũ suis
 ministris capite plectũtur, domusq; in qua id crimẽ
 admissũ est, publicatur: nisi fortè dominus domus uel
 absens fuerit, uel impubẽs, uel uidua. Planè qui cũ in
 moneta publica operaretur, extrinsecus sibi signant
 pecuniam forma publica, uel signatam furantur, hẽ-

non

non uidentur adulterinam monetam exercuisse, sed furtum publicæ monetæ fecisse, quod ad peculatus crimen accedit. Sed & qui falsam monetam percussissent, si id totum formare noluerunt, suffragio iustæ poenitentiae absoluuntur. Qui autem super cudendo ære uel rescripto aliquo uel etiam adnotatione principis sibi arripuerit facultatē, ex hoc nō defenditur. Ulpianus insuper: Quicumq; (inquit) numos aureos partim raserint, partim tinxerint, uel finxerint: si qui deliberi sunt, ad bestias dari: si serui, summo supplicio adfici debent. Sed & lege Cornelia cauetur, ut qui in aurum uicij quid addiderit, quiue argenteos numos adulterinos cōflauerit, falsi crimine teneatur. Eadem lege exprimitur, ne quis numos stanneos, plumbeos emere, uendere dolo malo uellet. Præterea onerant annonam etiam stateræ adulterinæ, poenâq; legis Corneliæ de falsis statuta est in eos qui falsas mēsuras haberent, uel facerent, & à diuo Hadriano in insulam relegantur. Porro falsi quoq; nominis uel cognominis adseueratio poena falsi coercetur: nisi sine dolo malo fiat. Is etiam qui se pro milite gessit, uel illicitis insignibus est usus, uel falso diplomate uias commeauit, pro admissi qualitate grauissimè puniendus est. Is quoq; qui signum adulterinum fecerit, sculpsit, lege Cornelia testamentaria obligatur. Puniuntur insuper qui potētiarum nomina uel titulos prædijs affigunt, uel in lite prætendunt. falsi demum poe-

ha coercentur & qui ad litem falso instruendam ad-
 uocatione testibusue pecuniam acceperunt, obliga-
 tionem pactionemue fecerunt, societatem inierunt,
 et ut aliquid eorum fieret, curauerunt. Falsum deniq;
 cōmittitur supponendo partum, unde suppositi par-
 tus accusatio descendit, de qua dicetur infra suo loco.
 nunc exceptiones aliquot generales causarum hactē-
 nus enumeratarum uideamus. Harum prima est, si fa-
 ctum dolo careat: nam non nisi dolo falsum cōmitten-
 tes crimini subiugantur. præterea impuberem in hoc
 crimen incidere, dicendum non est: quoniam falsi cri-
 mine non poterit teneri, cum dolus malus in eam æ-
 tatem non cadit. Rei autem defensio nulla est, si di-
 cat se codicillis quos falsos fecit, non usurum. Qui ta-
 men cœptum falsum pœnitentia ductus perficere de-
 stitit, absolendus est. Morte quoq; rei hoc crimen
 expirat: nisi ad heredē eius ex crimine aliquid per-
 uenerit: in hoc enim superest actio. Sed & suppositi
 partus accusatio morte eius quæ partum subiecisse
 dicitur, non expirat. Transigi quoq; de falsi crimine
 potest: & si semel ex falsi causa actum sit, rursus a-
 genti obstat rei iudicatæ exceptio: nisi cum antea
 ciuilitè actum esset, nunc criminaliter agatur: uel
 cum antea de inofficioso testamento actum esset, nūc
 illud falsum dicatur. Sed & qui ignorans falsum esse
 testamentum, ex eo hereditatem adiit, uel legatum
 accepit, uel quoquo modo agnouit, falsum illud dice-

te non prohibetur. Idem dicendum de eo qui agnitio instrumentis, quasi uera essent, soluit: nã & huic postea instrumenta falsa probare contendenti non nocebit exceptio. Haecenus, ex quibus causis falsi accusatio competat, expositum est: nunc de reliquis huius accusationis circumstantiis dicendũ: & primũ quidem, quibus falsi accusatio cõpetat? Mulieribus itaq; accusatio hæc nõ datur: nisi illarum inter sit. De partu quoq; supposito soli accusant parentes, aut hi ad quos ea res pertinet, nõ quilibet ex populo, ut publicam accusationem intendat. Hac aut accusatione non solum tenentur qui falsum comiserunt, sed etiam ij quorum dolo alius falsum comisit. Et non solum tenetur qui in aurum uicij quid addiderit, quiue argenteos numos adulterinos conflauerit: sed etiam is qui, cum prohibere tale quid posset, nõ prohibuit. Cumq; adulterina moneta facta est, etiam conscij puniuntur, & domus in qua crimen commissum est, publicatur, ut supra quoq; est dictum. sed & qui emere uendereue monetam adulterinam presumpsit, punitur. Quãuis autem accusatio proposita regulariter apud præsidem prouinciæ competat: tamen si quis falsum dixerit testimonium, a iudice apud quem dixit, puniri potest, fori prescriptione non obstante. Porro falsi pœna ex lege Cornelia est deportatio & omnium bonorum publicatio: serui autem ultimo supplicio affici iubentur. Sed & liberi homines capite plectuntur.

ter, si id magnitudo criminis exigat: ueluti si quis numos aureos raserit, tinxerit uel sinxerit, ad bestias datur, ut supra est dictum. Hac autem accusatio uiginti annorum prescriptione, sicuti cetera quoque ferre crimina, submouetur: nisi de supposito partu agatur, uel de fide scripturæ ciuilitè queratur: his enim casibus nulla temporis obstat prescriptio. Sed et subiecti partus crimen in tempus pubertatis pueri differri non debet: cum non sit uerisimile, eam quæ arguitur, non ex fide causam suam defensuram, cum periculum capitis subeat. Porro quoties falsum dicitur instrumentum, siue ciuilitè siue criminalitè id fiat, probatio fidei instrumenti ei primùm incumbit, qui scripturam obtulerit, deinde ei qui instructa instantia falsum arguere paratus sit. Vbi autem falsi examen inciderit, tunc acerrima fieri debet indago argumentis, testibus, scripturarum collatione, alijsque uestigijs ueritatis: nec ulla interlocutione quæ sentiat iudex diiudicare debet, sed tãquam ad imitationem relationis, quæ solum auariendi mandat officium, præbere notionem, postrema sententia quid sibi liqueat proditurus. Falsi autem reus factus decurio decurionatus honorem deponit, onus tamen ei annexum retinet. Debitorque qui falsi crimen obijcit, nihilominus salua accusatione ad solutionem est compellendus. Quique falsum dixerit testamentum, nec obtinuerit, ad defuncti iudicium aspirare non potest, ut infra suo loco dicitur

copiosius. Qui tamen falsum dixit testamentum, nec obtinuit, idem iniustum dicere non prohibetur. Postremo de falso non solum criminaliter, sed etiam ciuiler agi potest: adeo ut quamuis criminaliter coeptum iudicium abolitione interueniente sopitum sit, nihilominus de fide scripturae ciuiler queri possit. Sed et qui nomine Prætoris literas falsas reddidisse, edictumue falsum proposuisse dicetur: ex causa actione in factum poenali tenetur, quanquã legis Cornelie reus sit. Sed et lege Iulia maiestatis tenetur, qui sciens falsum cõscripsit uel recitauit in tabulis publicis: quiue priuatus pro potestate, magistratuue quid sciens dolo malo gesserit. De eo quoq; qui sciens commodasset falsa pondera, ut uenditor emptori merces appenderet: Trebatius de dolo dabat actionẽ. Atquin si maiora pondera cõmodauit, id quod amplius mercis datum est, repeti condictione potest: si minora, ut reliqua merx detur, ex empto agi potest. Hec de falsi crimine.

IX.

De maleficis, mathematicis & cæteris similibus.

Porro puniuntur etiã tum capitis tum alijs poenis magi, qui et malefici dicuntur, item aruspices, augures, arioli, mathematici, somniorũ diuinatores et similes. Culpãq; similis censetur tam prohibita discere, q̃ docere. Sed et qui dictos homines cõsulerint, uel euocauerint, puniuntur. Nullis tamẽ criminationibus implicanda sunt remedia humanis quesita corporibus, aut in agrestib. locis innocẽter adhibita suffragia, ne
 matu-

maturis vindemijs metuantur imbres, aut uentis grā
 dimisq; lapidatione quaterentur, quibus non cuius-
 cūq; salus aut aestimatio lederetur, sed quorum pro-
 ficat actus, ne diuina munera & labores hominū ster-
 nerentur. Haftenus de iudicijs publicis tam in gene-
 re quā in specie dictum est: quanquam & plures
 iudiciorum publicorum species supersunt: ut pecu-
 latus & sacrilegij crimen, &c. de quibus tamen ali-
 bi dicetur. Sed & de repetundarum & ambitus cri-
 mine supra in loco magistratus est dictum. Nunc de
 iudicijs priuatis nobis est dicendum.

INSTITVTIONVM DE IVDICIIS PRIUATIS

Liber secundus.

DE PERSONIS IVDICIO-
 rum: & primū de iudice, adfesso-
 ribus & ministris iudicis.

CAP. I.



IVDICIA priuata sunt, quae alijs
 ciuilia dicimus, quemadmodum pu-
 blica solemus appellare criminalia.
 Hec per actiones ordinantur: nec
 enim quisquam iudicio priuato si-

k 3 ne

ne actione experitur. Ea uerò ideo sunt necessaria, ne quis sibi ipsi permittere ualeat ultionem. Cur enim, inquit Iulianus, ad arma & rixã procedere patiatur Prætor, quos potest iurisdictione sua cõpescere? Diebus aut̃ feriatis, item messium uindemiarumq; tẽpore iudicia exercenda nõ sunt. Qui uerò dies sint feriati, alibi dicitur. Præsides aut̃ prouinciarũ ex cõsuetudine cuiusq; loci solent messis uindemiarũq; causa tẽpũs statuere. Planè interdũ & feriatis dieb. iudicari põt, scilicet partib. cõsentiẽtib. aut si dies actionis exiturus sit: quo tamẽ posteriore casu dieb. feriatis cogi ad hoc tãtũ reus potest, ut litẽ cõtestetur. Solet etiã messis uindemiarũq; tẽpore ius dici reb. que tẽpore uel morte periturae sunt: morte, ueluti furti, dampni iniuriæ, iniuriarũ atrocium, quod de incẽdio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata rapuisse dicitur, & si quæ similes sunt. Sed & de his specieb. Prætor dieb. feriatis adiri potest: ut tutores aut curatores dentur: ut officia admonẽatur: cessantis excusationes allegentur: alimenta cõstituantur: ætates probentur: uentris nomine in possessionẽ mittatur, uel rei seruandæ causa, uel legatorũ, fideiũc. cõmissorum, uel dampni infecti: item de testamentis exhibendis: & ut curator detur bonorũ eius, cui, an hæres exiturus sit, incertũ est: aut de alendis liberis, parentibus, patronis: aut de adẽda suspecta hæreditate: aut ut aspectu atrox iniuria æstimetur: uel si cui fideicommissaria libertas præ-

LIBER SECVNDVS. 151

prestanda est. Nā liberalia quoq; iudicia omni tempore finiuntur. Item in eum qui quid nundinarū nomine aduersus cōmunem utilitatē accepit, omni tempore ius dicitur. Sed & ea que ad disciplinā militarem pertinent, etiā feriatis dieb. peragenda: interq; ea custodiarum quoq; cognitio est. Nā Prouinciariā presides monentur, ut in quæstionib. latronū nullum quadragesimæ tempus, uel uenerabilē Paschalem diē existiment excipiendum esse: ne differatur sceleratorum proditio cōsiliorum, que per latronū tormenta querenda est. Præterea publicæ ac fiscales causæ etiā feriatis mensib. sine aliqua intermissione peragi possunt. pistorijs quoq; causis ijsdem dieb. examen adhiberi potest. In quindecim tamē Paschalibus dieb. cōpulsio annonariæ functionis, & omnium publicorū priuatorumq; debitorū differtur exactio. Hæc de ferijs iudiciorū, de quibus tamen plura dicetur infra li bro proximo. Porro cum publica iudicia ultra biennium nō proroganda esse suprā dixerimus, hoc loco sciendū, priuatis iudicijs amplius tēpus præstitutum, scilicet trienniū, certa cōstituta pœna tum actori, tū reo, tū iudici, tū patrono causæ, tū deniq; tutoribus, curatorib. & procuratoribus, p quos steterit, quo minus intra trienniū lis sit finita. Planè cōtrouersijs occasione naufragij ortis biennium tantum præstitutum est. Iudicium autem susceptum finitur non solam sententia lata, & executione secuta, sed etiam si lite

pendente fuerit de causa transactum, uel litigatorum alter alterum adrogauerit, uel seruus apparuerit actor reusue. Sed et soluitur iudicium uetante eo qui iudicare iusserat, uel etiam eo qui maius imperium in eadem iurisdictione habet; uel etiam si ipse iudex eiusdem imperij esse coeperit, cuius erat qui iudicare iussit. Mutato tamen iudice, et alio in locum prioris substituto, aliud iudicium non censei, sed rem eandem et iudicium idem, quod antea fuisset, permanere. Alfenus respondit. Porro quamuis olim in usu fuisset, ut non nisi impetrata prius actione quis ad agendum admittretur: tamen exceptio ista non impetrata actionis iure nouo sublata est. Eas tamen personas, quibus reuerentia prestanda est, sine iussu Praetoris in ius uocare et iure nouo non possumus: de qua re infra suo loco dicitur. Iuris quoque formulae aucupatione syllabarum insidiantes sublatae sunt. Postremo iudicia diuisionem recipiunt ex re qua in ea deducitur; nam aut de honoribus siue muneribus gerendis agitur, aut de pecuniaria re disceptatur, aut de existimatione alicuius cognoscitur, aut de capitali crimine queritur. Sed de diuisionibus iudiciorum infra dicitur, ubi actionum diuisiones proponentur. Haec quidem de iudicijs praemonuisse sufficiat. omnem autem iudiciorum reliquum tractatum in quinque partes diuidemus. Nam primum de personis iudiciorum agemus, hinc de rebus, tertio

tertio de actibus iudiciorum, quarto de euentis & consequentibus, postremo de adfinibus iudiciorum remedijs. Persona iudiciorum sunt: iudex, assessores, postulantes, aduocati, procuratores ac defensores, actor & reus. Res iudicij sunt, res litigiosæ. Actus iudiciales sunt: In ius uocare, actionem edere, dilationē dare, excipere, cauere, litē contestari, iurare de calūnia, probare, cognoscere ac referre, sententiā formare & pronunciare. Euentus & consequentia iudiciorū sunt: Appellationes, res iudicata, iudicati actio, exceptio rei iudicatæ, sententiæ executio, in possessionem bonorum missio, uenditio bonorum debitoris ac pretij distributio inter creditores, sumptuum & expensarum litis restitutio: exceptio, quod quisq; iuris in alterum statuit, ut ipse eodē iure utatur. Adfinia deniq; iudiciorum remedia sunt extraordinariæ cognitiones, compromissum atq; transactio: de quibus singulis ordine dispiciendum: primum itaq; de personis iudicij agendum est. Inter quas primum locum obtinet iudex: contra quem uarijs modis excipitur, & aut persona eius recusatur, aut forū declinatur: quibus exceptionibus cognitis, simul etiam sciemus quis qualisq; iudex esse debeat, & quādo iudex non competens dici possit. Regulariter autem iudex competens præsumitur: & qui eum incompetentem dicit, probare hoc quod dicit, & rationem eius reddere tenetur. Huiusmodi ratio siue exceptio sumitur.

k 5 uel

uel ex persona ipsius iudicis, uel ex persona actoris, uel ex persona rei conuenti, uel ex genere causa actionis, uel ex re que petitur, uel deniq; ex loco contractus, qui causam dedit actioni. Ex persona iudicis exceptiones desumptæ sunt hæ: Si iudex neque iurisdictioni præsit, neque à principe potestate aliqua præditus, neque ab eo qui ius dandorum iudicium habet, datus est, nec ex compromisso sumptus, uel ex ali qua lege confirmatus est: his enim omnibus deficientibus, iudex esse nõ potest. Quod autem diximus, Neque ab eo qui ius dandorum iudicium habet, datus est ad id intelligendum sciendum est, penes quos iudicis dandi potestas fuerit. Iudicem dare poterant, quibus lege, uel constitutione, uel senatusconsulto id concedebatur. Lege, sicut Proconsul. Is quoq; cui mandata erat iurisdictione, iudicem dare poterat: ut erant legati proconsulum: item hi quibus id concessum erat propter uim imperij, sicuti præfectus urbi, ceteriq; Romæ magistratus. Nam cum qui iudicare iubet, magistratum esse oportet. Procurator autem Cæsaris, qui partibus Præfidis non fungebatur, in litem priuatorum ius dandi iudicem non habebat. Quod uerò diximus, cum cui mandata iurisdictione erat, iudicem dare potuisse: ita intelligendum est, si uel à principe mandata ei fuerat iurisdictione, uel à proconsule. Nam legatur mandata sibi iurisdictione, iudicis dandi illis habebat. Ceterum ab alio mandatam sibi iurisdictionem,

æm,

*nem, mandare alteri nemo poterat. nam more maiorum ita comparatum erat, ut is demum iurisdictionē mandare posset, qui eam suo iure, non alieno beneficio haberet. Et quia nec principaliter ei iurisdictione data erat, nec ipsa lex deferrebat, sed cōfirmabat mandata iurisdictionē. Iudex igitur delegatus iudicis dandi potestatem non habebat. Prætor tamen solebat iurisdictionem mandare aut omnem, aut speciem unā. Sed et Præses provincie uel propter occupationes publicas, uel propter causarum multitudinem dandi iudicis habebat potestatem: quamuis Imperator nominatim ad præsidem aliquem remisisset. Porro magistratus, quibus iudicis dandi ius est, eo die quo priuati futuri sunt, iudicem dare non possunt. Sed nec ea que imperij magis quam iurisdictionis sunt, mandari uel delegari alteri possunt. Vnde errare uidentur magistratus, qui cum publici iudicij habeant executionem lege uel senatusconsulto delatam (ueluti lege Iulia de adulterijs, et si que sunt aliæ similes) iurisdictionem suam mandant. Suspecti tamen tutoris accusatio delegari potest. Sed nec ea causa mandari uel delegari potest, que ad iurisdictionem delegantis non pertinet: nisi fortè quis causam sibi ab Imperatore delegatam, alij delegauerit. Præterea in iudice dando illud quoque obseruandum est, ne is iudex datur, quem altera pars nominatim petit. id enim iniqui exempli esse, diuus Hadrianus rescripsit: nisi
 hoc*

hoc specialiter à Principe ad uerecundiam petiti iudicis respiciente permittatur. Sed etsi is qui mandauit iurisdictionem, decesserit antequam res ab eo, cui mandata est iurisdictione, geri coeperit: soluitur mandatum, sicut in reliquis causis. Idem dicendum, si is qui iudicare iusserat, postea iudicare uetet. Si tamen unum ex pluribus iudicare uetet, ceteris id committere uidetur. Quamuis autem ei qui iudicare iussit, re non integra successum sit: iudex tamen ab eo datus iudex esse non desinit. Iudice autem ad tempus dato, tempore finito iudex esse desinit etiam negotio nondum finito, nisi consensu partium tempus illi sit prorogatum: dummodo principali iussione specialiter prorogatio non fuerit inhibita. Si autem iudex ad tempus certum datus decesserit, & alius in locum eius datus sit: tantundem ex integro temporis in persona eius præstitutum intelligemus: quamuis magistratus nominatim hoc in sequenti datione non expresserit. Porro is qui iudicis dandi potestatem habet, ipsum se iudicem dare non potest propter appellationis commodum: non enim idem à seipso prouocari potest. Iudex autem datus facile mutandus non est, nisi uel decesserit, uel in eum casum inciderit, quo ab initio iudex utiliter dari non potuit, ut puta furiosus factus: uel deniq; aliud quiddam inciderit, propter quod negotium impediatur. Non autem omnes iudices dari possunt ab his qui iudicis dandi ius habent.

Qui

Quidam enim lege impediuntur, ne iudices sint, quidam moribus, quidam natura. Natura, ut surdus, mutus, furiosus, & impubes: quia iudicio carent. Lege, qui senatu motus est. Moribus, fœminæ & serui: non quia non habeant iudicium, sed quia receptum est, ut cœuilibus officijs non fungantur. Quod de furioso dictum est, accipi debet de perpetuo furioso. Nam quod furiosus sententiæ dixerit furore intermittente, ratum est. potestq; furiosus iudex addi: datusq; iudex in eodem officio permanet, licet furere cœperit. quia tamen ob furorem eius negocium impeditur, mutari debet. Cæcus iudicantis officio recte fungitur. Impubes, ut diximus, iudex dari non potest: maior tamen decem & octo annis potest. Qui autem possunt esse iudices, nihil interest in patris potestate, an sui iuris sint: pagani ne, an militares sint homines. Viator autem iudex dari non potest, nisi re urgente. Sed & nemo in propria sua causa iudex esse potest, neque in causa uxoris suæ, liberorum, libertorum, aliorum ue, quos secum habet. In priuatis tamen negocijs pater filium, uel filius patrem iudicem delegatum habere potest. Postremò iudex non nisi legum peritus dari debet: quod tamen in magistratibus non obtinet, quorum inscitiam assessorum præsentia supplet. Hæc de exceptionibus sumptis ex persona ipsius iudicis: ex actoris uerò persona exceptiones desumptæ sunt huiusmodi. Primum quidem, si no-

mine

mine fisci agatur, rationalis siue procurator *Cæsaris*
 uel fisci, non alius iudex competens censetur: nisi for-
 tē cum ex crimine alicuius pœna fisco uindicāda sit,
 de crimine nondum constet. Planē defunctis reis cri-
 minis, apud procuratorem causam agendam esse, ra-
 tio permittit: hoc enim casu non de crimine aut pœ-
 na mortui amplius quæritur, sed de bonis defuncti.
 Præterea colonis, inquilinis uel seruis domus *Cæsaris*,
 siue agant siue conueniantur, præpositus sacri cubi-
 culi & comes domus iudex competens est. *Suarijs*
 autem, siue agant siue conueniantur, præfectus ur-
 bi iudex constituitur. Hæc de exceptionibus ex perso-
 na actoris sumptis. Tertium genus sumitur ex per-
 sona rei conuēnti: cuius domicilium regulariter a-
 ctor sequi tenetur. Ideoq; alibi agens quàm ubi reus
 domicilium habet, fori præscriptione repellitur. Si ta-
 men post contractum aliò migrauerit reus, rectē ibi,
 ubi contractus tempore domicilium habuit, conueni-
 tur. Sed & si alibi ciuis sit: tam his magistratibus a-
 pud quos incola est, quàm illis apud quos ciuis est, pa-
 rēre debet. Interest etiam, utrum in rem, an in perso-
 nam agatur: nam in rem actio etiam ibi, ubi res est,
 aduersus possidentē moueri potest. Interest etiā, qua-
 lis sit actor, quæadmodum paulò superius in fisco, co-
 lono & inquilino *Cæsaris*, necnō *suarijs* ostendimus.
 non tamen distinguitur, quāuis actor senatoria digni-
 tate sit decoratus: nihilominus enim rei domicilium
 sequi

sequi tenetur. Planè Roma cõmunis patria est. ideoq; reus ibi deprehensus actionẽ excipere cogitur. quãuis alibi habeat domicilium: nisi forte legationis, uel testimonij, uel iudicandi, uel alterius litis causa, uel deniq; ex alia necessitate, Romæ moretur: his enim casibus reo reuocandi domum suam ius datur: nisi forte ex contractu Romæ inito conueniatur: tunc enim domum reuocandi ius non habet, quãuis ex causis iam enumeratis Romæ degat: exceptis legatis, qui licet ibi contraxerint, nõ cõpelluntur se Romæ defendere, quãuis rem cuius nomine cõueniuntur, secũ habeãt: dummodò ante legationẽ cõtraxerint. Nã si legationis tẽpore quis seruũ uel aliam rẽ emerit, aut ex alia causa possidere coeperit: non iniquè cogitur eius nomine iudiciũ accipere: aliter enim potestas dabitur legatis sub hac specie res alienas domũ auferendi. Idẽ dicendũ, si constituit Romæ tẽpore legationis se soluturũ. Secus tamen, si constituit Romæ se soluturum, tẽpore solutionis nõ adiecto: tũc enim, quãuis tẽpore legationis cõstituit, nihilominus ius reuocandi domũ habet. Sed & domũ reuocãdi ius ex causis supradictis denegatur, si alibi quã in sua ciuitate uel provincia contraxerint, & ex eo cõtractu conueniatur. tũc enim, quãuis nõ Romæ cõtraxerint, tamẽ Romæ se defendere coguntur, dictis exceptionib; nõ obstantibus. Præterea si uxor à legato Romæ diuerterit, dotis nomine defendẽdũ Romæ uirũ, iure respõsum est.

Sed

Sed et si perfecta legatione uel alia causa, ob quã Romæ reus morabatur, nihilominus Romæ subsistat: priuilegio domũ reuocandi non utitur. Idem dicendũ, si de eo queratur, an domum reuocandi ius habeat. nam hæc quæstio Romæ determinanda est. Sed & is qui domum reuocandi ius habet, Romæ ad cautionẽ iudicio sisti præstandam compelli potest, nuda tamẽ repromissione, non satisfactione. Adeo autẽ is qui Romæ in legatione est, ibi iudicium suscipere non cogitur, ut quamuis antea ibi litem contestatus sit, interim tamen actio sit differenda: nisi iudicium spontẽ suscepisset. Hæc de ijs qui Romæ deprehensi reuocandi domum ius habent. Porro reus quoq; ibi, ubi contractum, uel negocium, ex quo agitur, gestum est, se defendere tenetur, nec hoc casu actor domicilium rei sequi habet necesse. quod tamen ita accipi debet, si eo loco constitit reus tabernam uel officinam conductã habens, non si eò uenit statim abiturus. non solum autem ex sua, sed etiã ex serui sui persona dominus ibi, ubi contractum est, cõueniri potest. Omnisq; obligatio pro contractu habenda, ut ubicunq; aliquis obligetur, & contrahi uideatur: quamuis quasi contractus sit, uel etiam delictum commissum. Sed & contraxisse unusquisq; in eo loco intelligitur, in quo ut solueret, se obligauit. Proinde is qui ita fuit obligatus, ut in Italia solueretur, si in prouincia habeat domicilium, utrobique potest conueniri, & hic & ibi. Quod

uicm

Item dicendum est, si quis certo loco quid se facturum
 vel prestiturum stipulanti promisit. Quod tamen non
 eo extendendum est, ut ubi instrumentum contractus
 conscriptum est: quasi ibi contractum sit, dicamus reum
 defendendum esse. Legatus etiam ibi, ubi contraxit,
 se defendere non cogitur, ut paulo superius est osten-
 sum. Præterea hæres ibi, ubi hereditatem adiit, heredi-
 tarijs actionibus conueniri potest, quamuis domici-
 lium ibi non habeat: quod tamen et ipsum in legatis
 distinctione recipit. Sed et reus ubicunque deprehensus
 cogi potest ad cautionem iudicio intra certum diem,
 arbitrio iudicis determinandam, sisti præstandam: ut
 et paulo superius dictum est. Sed et de damno infecto
 alibi cauere tenetur, aut vicinum in possessione mis-
 tere. Ad eum autem actor rei domicilium sequi tenetur,
 ut quamuis alibi iusiurandum reo deferatur se dare
 non oportere: tamē ad id præstandum uel referendum
 cogi non possit. Si tamen dies actionis exiturus est, ad
 litem contestandam etiam alibi cogi potest. Hæc de
 domicilio rei conuerti ab actore sequendo. Porro mulier
 rea in foro mariti sui conuenienda est. Viduæ autem,
 pupilli et aliæ debiles personæ extra suam pro-
 uinciam in ius uocandæ non sunt: nisi forte iudicium
 Imperatoris implorauerint: hoc enim casu aduersarius
 eas ad Imperatorem sequi tenetur. Ordinarius iudex
 ab aliquo in ius uocandus, coram præfecto prætorio
 conueniendus erat. Vir quoque illustris uel clarissimus

rissimus reus ad iurisdictionē Imperatoris uel ab eo
 delegati pertinet: nisi forte non illustri, sed clarissima
 tantum dignitate præditus uirginem rapuerit, uel fi-
 nes aliquos inuaserit, uel in simili crimine fuerit de-
 prehensus: tunc enim intra prouinciam, in qua cri-
 mē cōmissum est, accusari debet, proposita fori præ-
 scriptione non obstante. Sed & senatores in pecunia-
 rijs causis ad præfectū prætorio uel urbi pertinent,
 uel in prouincijs constituti ibi conueniendi sunt, ubi
 domiciliū habent. & cuiuscunq; dignitatis uel militiæ
 homines de publicis functionibus apud præsidē pro-
 uinciae conueniendi sunt. Porro is qui alicuius certe
 professionis uel negotiationis est, apud eum ad quem
 eius professionis uel negotiationis cura pertinet, re-
 spondere cogitur. Curialis quoq; uel cohortalis aut
 decurio extra suam prouinciam in ius euocandus nō
 est, nisi à prætoriorū præfecto id fiat, uel imperialis
 iussio de eo insinuetur. Par item in parē nō habet im-
 perium: puta Prætor in prætorem, uel consul in con-
 sulem: sed in his casibus imperiale auxilium implo-
 randum est. si tamen par alterius iurisdictioni se sub-
 iiciat, solet in eum à pari ius dici. Fiscus reus apud ra-
 tionalem conueniendus est. Actor rerum priuatarū
 uel procurator Caesaris de iniurijs uel de prædationi-
 bus prouincialib. illatis ad præsidis prouinciae iurif-
 dictionem pertinet. Officialis aut procuratoris Cæsa-
 ris apud ipsum procuratorē conueniendus nisi capi-
 talis

talis accusatio aduersus eum instituat: tunc enim ad
 præsidem prouinciæ pertinet. Colonus, inquilinus
 uel seruū domus Cæsaris reū apud præfectū sacri cu-
 biculi & comitē domorū conueniendum esse, supra
 diximus. quod tamen recipit distinctionē in crimina-
 libus causis: his enim casibus apud Præsidem prouin-
 ciæ cōueniendi sunt, procuratore tamen Cæsaris præ-
 sente. Cubicularius quoq; sacri cubiculi Imperatoris
 & Augustæ ab ordinaria iurisdictione eximitur, &
 pertinet ad iurisdictionē magistrī officiorū. Idem di-
 cendum de silentiario Imperatoris, eiusq; uxore: de
 scriniario, eiusq; uxore, parentibus, liberis, colonis &
 seruis: deniq; de decanis Imperatoris. Sed & centena-
 rij & ducennarij in reb. agentes ad iurisdictionē ma-
 gistrī officiorum pertinent, nisi uel extra urbem Con-
 stantinopolitanam sint constituti, uel officium depo-
 fuerint: his enim casibus ad ordinariū iudicē spectāt.
 Palatinus apud præfectū urbis non litigat, sed apud
 comitē suum: nisi de ædificatione domorū, & seruitu-
 tibus, & annonis contentio sit. In prouincijs uerò pa-
 latinus constitutus ad iurisdictionē præsidis pertinet,
 dummodò causis publicis occupatus non sit. Sed cri-
 minalem sententiam aduersus eum præses ferre non
 potest, nisi comes, sub quo palatinus militat, certiora-
 tus hoc ei permiserit. Præterea militantes in schola
 uestis sacræ, item castrensiani & ministeriani, necnō
 horum matres, uxores & filij ad iurisdictionē perti-
 nent

nent magistri officiorum: nisi de tributis, muneribus
 suscipiendis, uel criminibus agatur: his enim casibus
 ad iudicem ordinarium spectant. In scholis quoq; mi-
 litantes, qui ad primiceriorum gradum peruenerūt,
 iurisdictioni magistri officiorum subiiciuntur, præter
 quam in causis criminalibus & tributis publicis. Cor-
 nicularij, primiscrinij & numerarij præfecti præto-
 rio eiusdem iurisdictioni subiacent. In prouincijs ta-
 men constituti earundem præsidibus subiiciuntur, ni-
 si publicum officium aliquod eis sit iniunctum. Mili-
 tes apud magistrū militū cōueniendi sunt etiā caliga-
 ti. Ignominia tamen missus ad iudicē ordinariū remit-
 tendus est. Sed & duces militares, ducūq; apparito-
 res, limitanei, castrorūq; præpositi ad iurisdictionem
 magistri officiorū pertinent. Hi qui ultra numerum
 militant, ad ordinariam iurisdictionē pertinent, scili-
 cet præsidum prouinciarū, non magistri militū. Sed
 & milites Orientis excipiuntur à iurisdictione magi-
 stri militū, & præfecto prætorio Orientis, suisq; duci-
 bus tā in criminalibus q̄ in ciuilib. causis subiiciuntur.
 Planè iure nouissimo nouellarū constitutionū in cau-
 sis criminalibus & tributorū occasione natis milites
 ad præsidū prouinciarū iurisdictionē pertinet. Hæc
 de militibus reus. Porro fabricenses, horumq; uxores
 ac filij coram magistro officiorum conueniendi sunt.
 Suarij (ut supra quoq; dictū est) præfecto urbi subij-
 ciuntur. Primipilarij ad ordinariū iudicem pertinet.

Clerici

Clerici & monachi non nisi apud Ecclesiasticum suū magistratum sunt conueniendi: de qua re infra libro proximo dicentur plura. Illud deniq; hoc loco notandum, quòd recusandi iudicis legitima causa non sit, si quis in alia causa ab eo se prouocasse dixerit. Hæc de exceptionibus sumptis ex persona rei conuenti. Sequitur quartum genus exceptionum, earum scilicet quæ sumuntur ex genere causæ et actionis qua agitur, nec non & ex re petita. In causis itaq; criminalibus accusator non habet necesse domicilium rei sequi, sed ibi ubi crimen cõmissum est, reus accusari potest: nec non & ibi, ubi reus deprehenditur. de quibus, alijsq; huiusmodi exceptionibus dictum supra lib. prox. cap. 9. In interdicitis quoq; ubi uis facta dicitur, aut momentanea possessio postulanda est, ibi ubi prædiū ex quo quis deiectus est, loci iudicē aduersus eum, qui possessionem turbauit, conuenit iudicare. Latrunculator etiam de re pecuniaria iudicare non potest. Præterea in rem actio ibi, ubi res est, exerceri potest, ut supra quoq; est dictū. Item ubicunq; causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur, non magistratus municipalis iudex cõpetens est. quia huiusmodi causæ imperij magis sunt quàm iurisdictionis. Curiales, cohortales & alijs corporibus obnoxij aufugiētes sine fori præscriptione suo corpori uindicari possunt: nisi uel milites sint, uel speciali beneficio principali se defendant. Idē dicendum de ijs, qui superactiones uel concussiones

p̄crpetrasse dicuntur. Idem, si super functionibus
 debitis publicis l̄s sit: tūc enim nemini licet fori p̄-
 scriptionē opponere, p̄ter eos qui specialiter exce-
 pti sunt. Is tamen qui se negat alicuius ciuitatis incolā
 esse, apud eum p̄sidentē p̄uincie agere debet, sub cu-
 ius cura est ea ciuitas, à qua uocatur ad munera, non
 apud eam ex qua ipse se dicit oriundū esse. Idq; diuus
 Hadrianus rescripsit mulieri, quæ aliunde orta, alibi
 nupta est. Porro quantitas quoq; petita uariat cōpe-
 tentiam iudicis. Nam ita Paulus: Extra territorium
 (inquit) ius dicenti impunē nō paretur. Idem et si su-
 pra iurisdictionē suam uelit ius dicere. Huius exem-
 plum est, quòd si causa intra trecentorū solidorū quā-
 titatē consistat, non ad p̄sidentem p̄uincie, sed ad
 defensorē ciuitatis pertinebat. Quoties autē de quāti-
 tate ad iurisdictionē pertinēte queritur, semper quā-
 tum petatur querendū est, non quantum debeatur.
 Sed etsi plures petant, non singulorū partes specta-
 ndæ sunt, sed potius tota res. Si tamen pluribus actioni-
 bus agatur, quarum singularū quantitas intra iuris-
 dictionem iudicantis sit, coaceruatio uerò excedat
 modum iurisdictionis: singularū actionum quantitas
 spectatur, non omnium coaceruata. Sanè si apparet
 actorem ideo plus petiisse, ne apud minorem iudicem
 necesse haberet litigare, litis damno coercetur. Pla-
 nè iudex qui usque ad certam summam iudicare ius-
 sus est, etiam de maiori re iudicare potest, si inter
 litiga-

litigatores conueniat. Sed & si mutue sint actiones, & alter minorem quantitatem, alter maiorem petat, magis conuentionis quam reconuentionis quantitas spectanda: & is erit utriusq; cause iudex competēs, qui conuentionis iudex esse potest, non obstante eo quod reconuentionis quantitas iurisdictionem eius excedat: ne in potestate calumniosa rei conuenti sit, an apud eundem actor litigare possit. Hactenus exceptiones, quib. tum iudex recusari, tum forū declinari potest, expositae sunt: nam de eo exceptionum genere, quod ex loco contractus sumptum postremo loco supra numeravi, actum supra in tertio genere, ubi de domicilio rei conuenti sequendo tractatum est. Nunc de replicationibus aliquot generalibus, quae istis exceptionibus & fori praescriptionibus obstant, dicendum: quanquam & ex praedictis replicandi materia sumi potest. Si itaq; plures rei diuersi fori simul conueniantur, non est separanda actio, sed omnes ad eundem iudicem uocandi sunt, quamuis non omnibus competentem, si separatim cum singulis ageretur. Venditor quoque diuersi fori ab emptore denunciatus, ut cum euictionis nomine defenderet, priuilegio sui iudicis uti non potest, sed emptoris iudicem sequi solet. Sed & si quis, posteaquam in ius uocatus est, miles uel alterius fori esse coeperit: in ea causa ius reuocandi forum non habebit quasi praeventus. Nam ubi coeptum est semel iudicium, ibi

Et finem accipere debet. Heres quoque absens ibi defendendus est, ubi defunctus debuit, nulloq; suo proprio privilegio excusatur. Proinde si is qui Romae iudicium acceperat, decessit: heres eius, quamvis domicilium trans mare habeat, Romae tamen defendi debet. Sed et qui non cogitur in aliquo loco iudicium pati: si ipse agat, ibi cogitur excipere actionem, et ad eundem iudicem mitti: nisi forte reus istum iudicem recuset: uel actor suam iniuriam persequatur, uel furtum uel damnum, quod nunc passus est: alioquin aut impune contumelijs et damnis adficietur, aut erit in potestate cuiusq; pulsando actorem subijcere eum iurisdictioni, dum se uindicat. Testis quoq; qui falsum dixit testimoniū, ab eo iudice apud quem dixit, puniri potest, fori praescriptione non obstante. Sed et in quibus ciuitatibus praesides praesto non sunt, apud defensorem ciuitatis lis peragi potest. Si quoq; iudex ordinarius iusticiam deneget, superior iudex potest adiri. Et qui alias iudex competens non est, competens fit per delegationem causa ab ordinario ei factam. praesidisq; prouinciarum et praefecti praetorio iudiciū nemo ex ijs qui eis subsunt, declinare potest. Quæstio autem cui competens iudex non est, competenti quæstioni incidens ab eodem iudice terminari potest, fori praescriptione non obstante. Sed et is qui fori praescriptioni renunciauit, ea uti amplius non potest. Idem dicendum, si ante litem contestatam fori praescri-

præscriptio opposita nõ sit: nam fori præscriptiones in principio litis opponendas esse, legum decreuit auctoritas. Postremò, si litigatores in nõ competentem iudicem cõsenserint: fori præscriptionẽ obijciẽti obstabit pacti conuenti exceptio. Nam si se subijciant aliqui iurisdictioni, et consentiant: inter consentientes, cuiusuis iudicis qui tribunali præest, uel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictione. Planè priuatorum consensus iudicem non facit eum qui nulli præest iurisdictioni, nec quod is statuit, rei iudicatæ continet auctoritatem. Sufficit autem ipsos litigatores in iudicem consentire, nec ipsius iudicis consensus est necessarius. Sanè consensisse uidentur, qui sciunt se non esse subiectos iurisdictioni eius, et in eum consentiunt. Ceterum si putent eius iurisdictionem esse, non erit eius iurisdictione: error enim litigatorum non habet consensum. Planè si in iudicis nomine uel prænomine, non in corpore erratum est: consensus per istum errorem non uiciatur. Is quoq; qui auctoritate magistratus compulsus in iudicem consensit, consensisse non uidetur: quòd ea quæ ui metusue causa geruntur, rata non sint habenda. Sed et si conuenerit, ut alius Prætor, quàm cuius iurisdictione esset, ius diceret, et priusquàm adiretur, mutata uoluntas fuerit: proculdubio nemo compellitur huiusmodi conuentioni stare. Non autem uidetur in iudicem consensisse, qui eadẽ sibi genus actionis apud eum iudicem desiderat.

Haftenus de competentia iudicis foriq; praescriptio-
 nibus sit dictum. Porro iudicare, quod iudicis officium
 est primum, munus publicum est, quamuis circa
 res priuatas uersetur. Si aut locus in iubendo iudica-
 re non est comprehensus, uidetur eo loco iudicare ius-
 sus, quo solet iudicare sine incommodo litigantium. Sede-
 bant uero iudices pedanei sub porticu regia, in quib.
 cellulis iudicabant continue a summo statim diluculo
 usq; in uespertinum crepusculum. Nullus aut iudicium
 domesticum uel cancellarium ad prouinciam sibi com-
 missam secum ducere poterat. Sed de officio iudicis
 tum supra in magistratus loco dictum est, tum dicitur
 etiam infra. De iudice ergo haftenus sit actum. De
 assessoribus et ministris iudicium nunc agendum. Ad-
 sidere autem possunt liberti etiam: infantes non pos-
 sunt. nemoq; in sua prouincia adsidere potest: nisi
 principe uel praeside prouinciae permittente. Si ta-
 men eadem prouincia postea diuisa sub duobus praes-
 idibus constituta est: ex altera ortus, in altera adsi-
 debit, nec uidebitur in sua prouincia adsedisse. Sed et
 in consilio curatoris Reipublicae uir eiusdem ciuitatis
 adsidere non prohibetur: quia publico salario non
 fruitur. Praeterea non est concessum cuiquam duo-
 bus magistratibus adsidere, et utriusq; iudicij curam
 peragere: neq; aduocationis et adfectionis officio si-
 mul fungi. Omne autem officium assessorum, quo iu-
 ris studiosi partibus suis funguntur, in his fere causis
 constat:

De adlesso-
 ribus.

constat: In cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis. nec subscribere libellos adfessor potest, sed iudicis uel præsidis hoc munus est, qui nec demandare adfessori hoc potest. Sine iudice item præsente adfessoribus. audientiâ negocijs præbere concessum nõ est: nisi fortè iudex uel apud principẽ agat, uel iussu principis occupationes alias sustineat: hoc enim casu adfessores etiã sine iudice causas audire possunt: dummodò litis cõtestatio fiat coram ipso iudice, & in medijs litibus rursus semel causa apud ipsum iudicem introducatur, & sententia definitiua ab ipso proferatur. in his enim casib. sine distinctione iudicis præsentia exigitur. Post depositam aut administrationem adfessores siue consiliarij iudicum, & cæcellarij et domestici quinquaginta dies in prouincia residere iubentur, excepturi aduersus se actiones à legis instituẽdas; et ablata in quadruplum restituẽt, ut duplum spoliatus accipiat, & duplum fiscus adquirat. Adfessores aut non metu cogendi, sed præmijs ad adfessionis munus alliciendi sunt, & ab omni indictionis onere immunes habentur. Et hæc quidem de adfessoribus. Porro præcipitur singulis iudicibus, ut duob. tantum utantur amanuensis, & duob. qui lites præparẽt & introducãt: nequeuntibus. ipsis pluribus. apparere iudicibus. quã duob. Domesticus iudicis à publicis actibus. arcetur, & si post depositã administrationẽ iudicis querela aduersus domesticũ existat, ab eodẽ iudice,

De domesticis & alijs iudicibus ministris.

iudice, cuius domesticus fuit, exhibendus est. Quisquis aut fuerit exhibitus, usq; ad negocij terminum ab eo adparitore, cui primum traditus fuit, obseruari iubetur. Hec de domesticis & ministris iudicum: de quibus tamen plura in Digestis meis traduntur. nunc ad reliquas iudicij personas nobis est transeundum. Sequitur ergo de postulantibus & aduocatis.

DE POSTVLANTIBVS ET
aduocatis. CAP. II.

De postulantibus.

Postulare est, desiderium suum uel amici sui in iure apud eum qui iurisdictioni praest, exponere, uel alterius desiderio contradicere. Non autem omnibus sine delectu postulare permissum est, idq; dignitatis iudicis tuendae & decoris causa. Nam quidam in totum prohibentur postulare, quibusdam pro se tantum postulare permissum est, quibusdam deniq; pro se & pro certis duntaxat personis. In totum postulare prohibentur illustres personae: ne cogantur aut adsidere cum magistratibus, quo ipsi loco iudicant, aut adstare tanquam litigatores. Vtrinque autem res cum periculo sit, siue dignitates adficiantur contumelia, siue iudiciarius ordo praeter dignitatem procedat. Ideoq; non nisi per procuratorem huiusmodi personae litigare possunt. Post illustres uero ceteri clarissimi pro se postulare possunt, pro alijs non possunt: excepto eo, quod si patronus causarum ad
regen-

regende provincie munus euectus administratione deposuerit, liceat ei ad patrocinium causarum reuer-
 ti, & pro alijs etiam postulare. honoratis quoq; ui-
 ris, non pecunie, sed laudis cupiditate ductis, causas
 agere in iudicio licet. Idem dicendum de decurioni-
 bus. Sed & in totum postulare prohibentur minores
 decem et septem annis. Planè iustius est, minorem se-
 ptendecim annis defensorem audire, quàm absentem
 quasi contumacem & indefensum condemnare. Sur-
 di quoq; hoc est ij qui prorsus non audiunt, in totum
 postulare, prohibentur. Cecus pro se postulare po-
 test, pro alijs non potest. Idem de foemina dicendum.
 monastria tamen aut ascetria nec pro se quidè postu-
 lare potest. Interdum uerò etiam pro alijs mulier po-
 stulare potest, puta si uel in rem suam mandata ei sit
 actio, uel pro parentibus suis postulare uelit morbo
 uel etate impeditis, nec alium procuratorem haben-
 tibus. Præterea pro alijs postulare prohibentur per-
 sone turpitudine notabiles; utputa qui corpore suo
 muliebria ultrò passi sunt: qui capitali crimine dam-
 nati sunt: item calumnie causa publico iudicio dam-
 nati, & ceteri similes, quos enumerauimus supra li-
 bro prox. cap. 7. Pro se tamen, nec non & pro paren-
 te, patrono patronæue, liberis parentibusq; patroni
 patronæq; , liberisue suis, fratre, sorore, uxore, soc-
 ro, socru, genero, nuru, uitrico, nouerca, priuigno,
 priuigna, dummodò ad finitas adhuc duret: item
 pro

pro pupillo, pupilla, furioso, furiosa, fatuo, fatua: cui eorū à parente, aut maioris partis tutorū sententiā, aut ab eo cuius de ea re iurisdicção fuit, ea tutela curatiōe data erit: item muto, surdo, prodigo, & alijs quibus curator dari solet, infames postulare nō prohibentur. Remouetur insuper à postulando pro alijs & qui operas suas, ut cum bestijs depugnaret, locauit. Bestias autem accipere debemus ex feritate magis, quàm ex animalis genere. nam quid, si leo sit, sed mansuetus, uel alia dentata mansucta? Qui autem locauit operas, notatur, siue depugnauerit, siue non. Qui uerò sine mercede uirtutis ostentādæ causa cū bestijs depugnauit, non notatur nisi in arena passus sit sese honorari. Sed & si quis operas suas locauerit, ut feras uenetur, uel ut depugnet feram, quæ regioni nocet, extra arenam, non est notatus. Planè qui locauit operas suas, ut cum bestijs pugnet, pro se postulare non prohibetur, sed nec pro ijs quorum tutelā uel curā administrat. Hæc de infamibus, quibus iure antiquo interdictum erat, ne pro alijs postularent, sunt dicta. Hoc tamē adijciendum est, iure nouo omnibus hisce sine discrimine postulare uideri permissum, cū infamiae exceptio procuratoribus hodie non obstet. Is quoq; cui aduocationibus interdictum est, postulare prohibetur. Si tamen apud certum magistratum alicui aduocationibus sit interdictum, apud alium uel successorem eius qui interdixit, postulare non prohibetur.

betur. Idem dicendum, si in alia prouincia, quàm in qua præses is est qui interdixit, uelit postulare: dummodò ex ea causa postulare prohibitus non sit, quæ infamiam irrogat: idq; secundum ius antiquum, ut dixi. Imp. quoq; Antoninus rescripsit, eum cui aduocationibus in quinquennium interdictum esset, post quinquennium pro omnibus postulare non prohiberetur: scilicet pœna tempore determinata, contra sententiæ fidem ulterius porrigatur. Postulare autem non prohibetur liberti. Iudicis uerò & aduocati partes eundem sustinere prohibitum est, de quo superioribus quoq; diximus. Aduocatus item fisci contra fiscum postulare prohibetur, quamuis salarium à fisco non perceperit. Principe tamen concedente potest, dummodò ab ea causa abstineat, quam cum fisci aduocatus erat, tractauit. Sed & hi qui fisci causas agunt, suam uel filiorum, uel parentum suorum, uel pupillorum, quorum tutelam gerunt, causam etiam aduersus fiscum agere non prohibentur. Decuriones quoq; contra patriam suam causam agere prohibentur, nisi pro personis supra enumeratis. Sed & contra eum, pro quo antea postulauit, in eadem causa postulare prohibetur. Est tamen rescriptum, non prohiberi tutorem adesse pupillo in negotio, in quo aduocatus contra patrem eius fuisset. Sed et illud pmissum est, agere tutorem pupilli causam aduersus fiscum, in qua aduersus patrem pupilli ante aduocatus fisci fuisset. Hactenus, quibus postula-

stulare nõ sit pmissum, expositũ est: quãquam plures huiusmodi regule proponentur inferius, de aduocatis et procuratorib. Planè harũ regularũ exceptiones aliquot sunt generales. Nã omnes qui nõ spõte, sed necessariò fungũtur officio, sine offensa postulare possunt, etiã si hi sint, q nõ nisi pro se postulare possunt. Sed et infames pro certis personis postulare posse, supra dictum est: qui tamen, si in integrum restituti fuerint, pro omnibus postulare possunt. nec interest, utrum à principe, an à senatu fuerint restituti. Sed à pretore in integrum restitui infames non possunt. At hodie sine distinctione infamia postulantibus nõ obstat, ut supra quoque est dictum. Sanè quos prohibet Prætor apud se postulare, omnimodò prohibet, etiã si aduersarius eos patiatur postulare. Qui autem postulare prohibiti nihilominus postulauerint, tum interdicta postulatione repelluntur, tum pro estimatione iudicis extra ordinem pecuniaria pœna mulctantur. Hec de postulantibus in genere sint dicta. Nunc de iisdem in specie est dicendum, puta de aduocatis et procuratoribus.

De aduocatis.

Aduocatos accipere debemus omnes omnino, qui causis agendis quoquo studio operantur. Non tamen qui pro tractatu non adfuturi causis accipere quid solent, aduocatorum numero erunt. Aduocati autem et procuratores ab Imperatore Leone militibus cõparantur, qui uocis munimine confisi laborantium
spem,

spem uitam & posteros defendunt. Constituitur ue-
 rò aduocatorum certus numerus cuilibet foro, alij
 quidem centum quinquaginta, alij uerò quadragin-
 ta, alij triginta, etc. de qua re licet uideri mea Dige-
 sta. Nemo autem in aduocatorum numerū adsumen-
 dus est, nisi per quinquennium iuri operam dederit,
 filijq; aduocatorū extraneis ad idem officium adspi-
 rantibus præferuntur: repelluntur uerò ab hoc of-
 ficio cohortales, heretici, & alij, quos paulò superius
 enumerauimus, quiq; infra capite proximo enume-
 rabuntur. Antequam autem aduocatorum consortio
 aliquis societur, examinandus est, & iuris periti do-
 ctiores inuentur iurati sub gestorū testificatione de-
 promere, esse cum qui subrogari uoluerit, peritia iu-
 ris instructum. Porro iudex non habentibus aduo-
 catum dabit, & providebit ut par causidicorum di-
 stributio fiat. Aduocatorum autem et procuratorum
 officia hæc sunt: Ne quid ultra quàm causa deposcit
 dicant: ut agant quod causa desiderat: temperent ab
 iniuria: ex industria lites non protrahant: ne pere-
 grinentur: & si sine comæatu per biennium ab-
 fuerint, uel cum comæatu per quinquennium, ab of-
 ficio remouentur. Ne prouinciales suscipiant functio-
 nes: ne cui patrociniū denegent: ne uel præuaricen-
 tur: ne aspernentur id quod illis ultrò à litigantibus
 offertur: de quota litis ne paciscantur. Post causam
 tamen actam cauta honoraria summa ab ijs rectè pe-
 ti po-

ti potest, dummodò licitam quantitatem nõ egredietur. Licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis usq; ad centum aureos. Sed & salariũ incerte pollicitationis neq; extra ordinem rectè petitur, neq; iudicio mandati ut constituatur. Si item sub specie mutui honorarium sit cautum, agenti ex ea catione exceptio non numeratæ pecunie obstabit. Sed si honorarium cautum nõ sit, extra ordinem peti potest arbitrio iudicis definiendum. In honorarijs autè aduocatorum definiendis ita uersari iudex debet, ut pro modo litis, proq; aduocati facundia, & fori consuetudine, & indicij in quo erat acturus, estimationẽ adhibeat: dummodò licitam honorarium quantitatem non egredietur. Honoraria autem accepta aduocati, si per eos non steterit, quo minus causam agant, redere non tenentur. Postremò aduocati à functionibus publicis habentur immunes. & quidquid aduocatus filiusfamiliæ ex suo officio lucratur, sibi, non patri acquirit, instar castrensis peculij. Postq; depositum officium clarissimi ordinis comitis dignitatem aduocati sortiuntur. Sed plura de priuilegijs aduocatorũ, hodie tamen obsoleta, uide in meis Digestis.

DE PROCURATORIBVS.

CAP. III.

VSUS procuratorum perquam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse uel nolunt, uel

NON

non possunt, saltem per alios possint uel agere uel conueniri. Procurator autem est qui aliena negotia mandatu domini administrat: & uel omnium rerum, uel unius rei esse potest: Mandatu domini dicitur: quia sine eo procurator uere dici non potest, sed uel falsus procurator dicendus, uel negotiorum gestor. Sine mandatu itaq; alieno nomine agenti obstat exceptio: quae tamen cum sit dilatoria, post litem contestatam frustra opponitur: nisi forte probetur illi mandatum non esse, uel falsus procurator inueniatur: hoc enim casu quouis tempore iudicium inhibetur. Desendere tamen quis reum absentem etiam sine mandato potest: dummodo iudicatum solui, uel ratam rem haberi satisfacere sit paratus. Plane non facile per procuratorem quis suspectus excusabitur: quoniae famae causa est: nisi constet ei a tutore mandatum nominatum: aut si etiam absente tutore, quasi non defenderetur, iudex erat cogniturus. Sed & filius patris nomine agens, mandatum probare non cogitur. Idem dicendum, si parens liberorum causam agat, uel frater fratris, uel adfinis, uel libertus patroni: Sed & maritus citra mandatum causam uxoris agere potest. Sin autem mandatum susceperit, licet maritus sit, fines mandati egredi non potest. Plane qui alieno nomine actionem instituens, mandatum probare non potest, de rato cauetis nihilominus auditur: de qua re uide infra.

De consti-
tuendo pro-
curatore et
exceptioni-
bus procura-
torij.

hac cautione peculiariter tractabitur. Sed & id
 quod sine mandato alieno nomine gestum est, ra-
 tihabitione domini confirmatur: quia ratihabitio
 mandato comparatur. Planè quod dictum est, etiam
 sine mandato quosdam alieno nomine agere posse, id
 intelligi debet sub hac conditione: Nisi contraria do-
 mini uoluntas probetur. Nam in his personis, in qui-
 bus mandatum non exigimus, dicendum est, si forte
 euidens sit contra uoluntatem eos experiri eorum,
 pro quibus interueniunt, debere eos repelli. Ergo nõ
 exigimus, ut habeant uoluntatem uel mandatum: sed
 ne contraria uoluntas probetur, quamuis de rato of-
 ferant cautionem. Hæc de eo qui sine mandato alte-
 rius nomine agit, sint dicta. Non autem interest, u-
 trum filius familiæ, an pater familiæ actor aut reus
 procuratorem dederit. Sed & filius familiæ procura-
 torem dare potest. Seruus tamen procuratorem da-
 re non potest ad agendum. Alia uero negocia pe-
 cularia per procuratorem gerere non prohibetur.
 Sed & eum qui de statu suo litigat, procuratorem ha-
 bere posse, non dubitatur, non solum in administra-
 tione rerum, sed etiam in actionibus quæ ei uel ad-
 uersus eum competunt, siue ex possessione seruitutis
 siue libertatis de statu suo litiget. Præterea mutus
 quoque & surdus per eum modum, qui procedere po-
 test, procuratorem dare non prohibentur. Is quoque
 qui in tutela uel cura est, procuratorem dare potest.

tuto-

tutoris tamen uel curatoris auctoritate interueniē-
 te. nam nisi ea interuenerit, gestum per huiusmodi
 procuratorem ratum non est: nisi fortè cum danti
 gestum profit, aduersarius illud ratione proposita
 impugnare uelit. Nā minoribus etas in damnis sub-
 uenire, non in rebus prosperè gestis obesse consue-
 uit. Porro interdum non dominus negocium manda-
 re & procuratorem dare potest: puta tutor in cau-
 sa pupilli, curator in causa minoris uel alterius, cuius
 curam gerit. quod tamen de iusto tutore & curato-
 re intelligendum est: nam qui ipse tutor uel curator
 iure esse non potest, nec procuratorem dare potest
 alienæ liti. Itaq; quanquam mater filij negocia secun-
 dum patris uoluntatem pietatis fiducia gerat: tamen
 ius actoris periculo suo litium causa constituendi nō
 habet. quia nec ipsa filij nomine rectè agit, aut res bo-
 norum eius alienat, uel debitorem impuberis acci-
 picndo pecuniam liberat. Procurator quoq; procu-
 ratorem dare potest, & causam aliij mandare, lite scē
 licet contestata. Nam ante litem contestatam pro-
 curator alium procuratorem dare non potest: post
 litē uerò contestatam tanquam dominus litis iam fa-
 ctus potest, etiam actore mortuo. Actor tamen ciui-
 tatis negocium publicum per procuratorem agere
 non potest. Defensor absentis rei, in quo, ut supra di-
 ximus, mandatum non requiritur, ad defendendam
 quoq; causam alienam procuratorem dare potest.

Ex his patet, interdum & à non domino procuratorem utiliter dari posse. Infamia autem uel dantis procuratorem, uel etiam ipsius dati exceptionem nō præbet aduersus procuratoris personam. Sed nec interest, utrum paterfamiliās uel filiusfamiliās procurator datus sit; nā filiusfamiliās quoq; procurator dari potest & ad agendum & ad defendendū. Idem dicendum de eo qui de statu suo litigat. Planè furiosus inutiliter procurator datur, itē mutus & surdus, foemina, aliq; quibus ius postulandi denegatum esse supra ostendimus. potentiores quoq; procuratores dari prohibentur. Ideoq; neque fisco neque reipublicæ causa peragenda uel defendenda demandari potest: quamuis mandator uel debitor fisci sit, uel litem partemue ei donauerit. Milites quoq; nec si uelit aduersarius, procuratores dari possunt; nisi hoc tempore litis contestatæ quocunq; casu prætermisū est: excepto eo qui in rē suā procurator datus est, uel qui cōmunem causam omnis sui numeri persequitur, uel suscipit: quia talis procuratio concessa est. pro patre tantū uel matre, uel etiā uxore, procuratorio nomine milites experiri non oportet: cum neq; defensionem alienā suscipere, uel redimere negocia, uel quasi suffragatores accedere utilitate publica permittantur. Planè ueterani procuratores fieri possunt. Porro etiam absente aduersario procurator dari potest: sed inuitus procurator non solet dari. Inuitus accipere

capere debemus non eum tantum, qui contradicit a
 uerum eum quoque, qui consensisse non probatur.
 Eum autem quem causa contingat, procuratorem
 dari nihil prohibet. Itaque is cui ex S. C. Trebelliano
 hereditas restituta est, heredem iure dabit procura-
 torem: item creditor debitorem, quamuis dominum
 rei, ad actionem hypothecariam. Idem dicendum, si u-
 nus reorum stipulandi, cui constitutum est, alterum
 in constitutum pecuniam det procuratorem, uel alter
 reorum promittendi alterum ad defendendum. Unus
 autem plures procuratores in eadem causa habere non
 potest. Proinde pluribus procuratori in solidum si-
 mul datis, occupantis melior conditio erit, ut poste-
 rior non sit in eo, quod prior petat, procurator. Sed
 et Iulianus ait, eum qui dedit, diuersis temporibus
 procuratores duos, posterio rem dando, priorē pro-
 hibuisse uideri. Unius tamen in litis plurium personarum
 plures dari procuratores, non est prohibitum. Sanè si
 plures heredes sint, et familiae exerciscundae aut comu-
 ni diuidendo agatur, pluribus eundem procuratorem da-
 re non est permittendum: quonia explicari res non po-
 test citra adiudicationes et condemnationes. Planè
 permittendum est dare, si uni coheredi plures heredes
 existant. Porro non omnes actiones per procurato-
 rem institui possunt. Nam ut liberi qui in potestate
 absentis dicuntur, ducantur, interdictum procura-
 tor desiderare non potest: nisi causa cognita:

id est, si nominatim ei mandatum sit, & pater ualitudine uel alia iusta causa impediatur. Publica quoque iudicia per procuratorem exerceri non posse, supra dictum est. Is etiam qui popularem actionem mouet, procuratorem dare non potest: quamuis reus, qui populari actione conuenitur, ad defendendum procuratorem dari non prohibeatur. Sed & qui ita de publico agunt, ut & priuatum comodum defendant, causa cognita permittuntur procuratorem dare. Vnde aduertendum est, eum qui de uia publica agit, & priuato a domino ex prohibitione adficitur, quasi priuatae actionis dare posse procuratorem. Multo magis dabit ad sepulchri uiolati actionem is, ad quem ea res pertinet. Praeterea dari procurator non solum coram, sed etiam absens potest uel per nuntium uel per epistolam: dummodo si certus sit qui datus intelligitur, & is ratum habuerit. Item ad litem futuram, & ex die, item sub conditione, & usque ad diem procurator dari potest: & in perpetuum. Sed & nihil interest, utrum ab initio, an cepta iam lite negotium ad personam procuratoris transitum fecerit. Quamuis autem in pecuniarijs causis tam agendi quam respondendi per procuratorem cuique a iure tribuatur facultas: tamen interdum iudex ob causas uehementiores ipsum dominum litis uocare potest. Ipsi quoque actori libera potestas permittitur ipsum dominum potius conuenire, quam eum qui in rem sua

pro-

procurator est datus. Quod autem dicitur, mandatū morte mandantis dissolui, in procuratore lite contestata uerum non est. Nam & mortuo litis domino procurator post litem contestatam utiliter negociū peragit. Planè procurator actoris cum in causa reconventionis defendere tenetur: quod nisi fecerit, denegatur ei actio: nisi fortè aduersarium in possessione uenire, uel serui nomine noxali iudicio reconuentus seruum ex noxali causa duci patiatur: dummodò in his casibus aduersario de rato caueat. Cùm autem supra dixerimus, mandatum in persona procuratoris requiri: sciendum est, procuratorem mandati istius fines excedentem exceptione repelli: nisi fortè actio mandata sine alia expediri non possit: tunc enim, quamuis alterius in mandato mentio nulla facta sit, nihilominus procurator eam utiliter intendit: proinde ad rem mobilem uindicandam procurator datus, ad exhibendum rectè aget. Sed & ad legatum petendum procurator datus, si interdicto utatur aduersus heredem de tabulis exhibendis: procuratoria exceptio, quasi non & hoc ei mandatum esset, non obstat. Sed & ad duas res petendas procurator datus, si unam rem petat, exceptione non excluditur, & rem in iudicium deducit. Ita quoq; procurator datus, ut confessum agat, & postea litem peragere non prohibetur. Planè finitur procuratoris officium post prouocationem in causa interpositam. Idem dicendum, si po-

stea alius procurator sit datus; nam hoc casu prior
 prohibitus intelligitur, ut supra quoque est dictum.
 Hactenus de constituendo procuratore actum est, et
 exceptiones procuratorie enumeratae: quarum ta-
 men replicationes generales haec sunt: Si exceptio
 procuratoria sit ab aduersario remissa: si ante litem
 contestatam non sit opposita: denique si in eadem cau-
 sa iudex absente reo quasi non defenderetur, aduer-
 sus eum erat cogniturus; his enim casibus quilibet
 procurator est admittendus, dictis exceptionibus non
 obstantibus. Prima tamen replicatio distinctionem
 recipit in milite, et alijs quos praetor dignitatis sua-
 tuendae causa apud se postulare prohibet: hoc enim
 casu etiam remissa ab aduersario exceptione procu-
 rator repellitur. Sed et altera replicatio distingui-
 tur in eo cui mandatum non est, quod aduersarius est
 probaturus; hoc enim casu etiam post litem contesta-
 tam aduersarius excipiens audiendus est, de quo e-
 tiam supra est dictum. Nunc de mutando pro-
 curatore dicendum. Quamuis autem dominus cau-
 sae suae etiam dato procuratore adesse non prohibea-
 tur; tamen procuratorem mutare, uel in se iudicium
 transferre, lite iam cum procuratore contestata, non
 potest, nisi causa cognita. In causa autem cognitione
 non solum haec uersantur, quae infra dicentur in pro-
 curatore non compellendo suscipere iudicium: uerum
 et aetas, et religionis beneficium. Item si suspectus sit
 • procu-

De mutan-
 do procu-
 ratore.

procurator, aut in uinculis, aut hostium predonim-
 ne potestate: uel iudicio publico priuatione, uel uale-
 tudine, uel maiore sua re distringatur, uel exilio, uel
 si latitet, uel si inimicus postea fiat, aut adfinitate a-
 liqua aduersario iungatur, uel hæres ei existat: aut
 longa peregrinatio, aut aliæ similes causæ impedi-
 mento ei sint. Ex huiusmodi enim causis, uel domino
 uel ipso procuratore postulante, etiam alterutro in-
 uito, procurator mutari & lis transferri potest. Si
 tamen aduersarius uel ipse procurator dicat domi-
 num mentiri, apud iudicem hoc finiri oportet. Procu-
 rator tamen qui sibi adserit procurationem, eamq; à
 se transferri nolit, ob hoc ipsum suspectus est & mu-
 tari potest, quòd operam suam ingerat inuito: nisi
 purgare magis conuicium, quàm procurationem exe-
 qui maluerit. Et hætenus crit audiendus, si dicat se
 procuratione quidem carere uelle, sed ita, si id ille-
 sa existimatione sui fiat. Planè si dicat in rem suam
 se procuratorem datum, & hoc probauerit: non de-
 bet carere propria lite. Item si retentione aliqua uti
 uelit, non facile ab eo lis erit transferenda: nisi do-
 minus soluere paratus sit. Sed etsi dominus que-
 dam transferre uelit, quedam relinquere: iuste pro-
 curator hanc inconstantiam recusabit: nisi fortè si-
 ne mandato procurator egerit. Præterea si pro-
 curator uel aduocatus causam tanquam iniustam
 uel pendente lite recusauerit, non licet domino
 ad

ad alterius patrocinium conuolare: ne melioribus cō-
 temptis improba aduocatio subrogetur. Non solum
 autem ipsi qui dedit procuratorem, mutandi eius ex
 causis supradictis potestas est, sed etiam heredi eius,
 ceterisq; successoribus. Hęcq; cognitio procuratoris
 mutandi, Prætoris est. Que autem de mutando pro-
 curatore dicta sunt, tam ex parte rei quàm ex parte
 actoris locum habent: excepto eo, quòd ante litem
 contestatam actor quidem etiam sine cause cognitio-
 ne procuratorem mutare potest. Reus autem cuius
 nomine defensor extitit, si ante litem contestatam in
 presentia fuerit, et postulet suo nomine litem suscipe-
 re, non nisi causa cognita audiendus est. Postremo
 mutato procuratore, nihilominus id quod per eum
 antea gestum est, ratum manet, et iudicatum solui sti-
 pulatio committitur: de qua re infra suo loco dicen-
 tur plura. Hęc de mutando procuratore sint dicta.

De potesta-
 te & officijs
 procurato-
 rum.

Nunc officia procuratorum sunt enumeranda. In pri-
 mis autem exequi mandatum debet procurator, et
 causam susceptam peragere: cuius tamen regule ex-
 ceptiones ex ijs que hæcenus de constituendo et mu-
 tando procuratore dicta sunt, patent. Nihil autem
 amplius quàm bonam fidem præstare eum oportet
 qui procurat. Qui sine mandato alienam causam a-
 git uel defendit, de rato cauere et iudicatum solui sa-
 tisfare tenetur: de qua re infra suo loco copiosius di-
 cetur. Procurator autem, cui res administrãde com-
 missa

misse sunt, eas sine speciali domini mandato alienare non potest: nisi fructus aut alias res perituras. Sed & si cui generaliter libera administratio rerum commissa est, is potest nouare, aliud pro alio permutare: dummodo dolus malus absit. sed & id quoq; ei mandatum uidetur, ut soluat creditoribus, & ut exigat à debitoribus. Ab eo tamen qui eiusdem domini procurator est, exigere sine speciali mandato non potest. Mandato autem generali non continetur transactio. Mandare post litem contestatam alij causam agenda procurator potest, de quo supra quoq; est dictum. Reddere quoq; rationem procurator tenetur, ut in ceteris negocijs gerendis, ita & in litibus. Itaq; quod ex lite consecutus erit, siue principaliter ipsius rei nomine, siue extrinsecus ob eam rem: debet mandati iudicio restituere, adeò ut si per errorem aut per iniuriã iudicis non debitum consecutus fuerit, id quoque reddeere debeat. Porro procurator ad litem suscipiendam datus, iudicium suscipere et reum defendere tenetur nisi forte reus pro eo iudicatum solui non satisfecerit. Sed etsi iudicatum solui reus satisfecerit, pro ignorante tamen uel inuito procuratore, reusq; ante litem contestatam mortuus sit: cogi procuratorem ad suscipiendum iudicium, satis inciuile est. Idem dicendum, si inimicitie capitales interuenerint inter ipsam procuratorẽ et dominum. Idem est & si dignitas accesserit procuratori, uel reipub. causa abfuturus

rus

rus sit, aut si ualeitudinem uel necessariam peregrinationem alleget, uel hereditas superueniens eum occupet, uel adfinitas inter dominum & procuratorem dirempta sit, uel bona absentis possideri ceperint, uel alia iusta causa interueniat. Sed et si dominus præsens sit, ad suscipiendum iudicium procurator cogi non debet: nisi dominus præsens cogi non possit. Præsens autem habetur & qui in hortis est, & qui in foro, & qui in urbe, & qui in continentibus ædificijs. Planè si dominus præsens non sit, interdum etiam causis suprâ enumeratis non obstantibus procurator ad defendendum reum, & iudicium suscipiendum cogi potest: puta si actor adfirmauerit, tractu temporis futurum ut res pereat, uel actio præscribatur: item si procurator iudicatum solui defendendi absentis gratia satisfecerit, uel cum satisfacere paratus esset, ei repromittenti creditum sit. quibus tamen casibus non indistinctè procurator ad suscipiendum iudicium compellendus, neque ob rem non defensam ex stipulatu teneri debet, sed causa cognita, estq; ea res arbitrio iudicis temperanda: quemadmodum & supradiçta pro procuratore adducta neque passim admittenda sunt, neque districtè deneganda, sed à prætore causa cognita temperanda. Non solum autem procurator rei ad defendendum reum tenetur, sed & procurator actoris in reconuentione dominum absentem defendere debet, quamuis

ad

ad eam rem speciale mandatum non habeat. Aequum enim uisum est, qui alicuius nomine ut procurator experitur, eundem etiam defensionem suscipere: alioquin ei absentis nomine actio denegabitur, ut supra diximus. Defendere autem est, id facere, quod dominus in litem faceret, & cauere idoneè: nec debet durior conditio procuratoris fieri, quam est domini, præterquam in satisfaciendo. Planè procurator in rem suam datus actorem absentem in causa reconuentionis defendere non tenetur: nisi fortè in fraudem rei, uel ex causa lucratiua nõ necessaria in rem suam procurator sit factus. Sed & pater qui de dote agit, quamuis in rem suam procurator sit, filiam tamè defendere tenetur. Actor quoque uniuersitatis si agat, compellitur defendere. In popularibus tamè actionibus, ubi quis quasi unus ex populo agit, defensionem uel procurator præstare cogendus non est. Non solum autem si actio postuletur à procuratore, sed etiam si præiudicium uel interdictum, uel si stipulatione legatorum uel damni infecti uelit caueri: debet absentem defendere in competenti tribunali & eadem prouincia. Ceterum cogi eum à prouincia in aliam prouinciam abire & defendere, durum est. Sed & eæ personæ procuratorum debent defendere, quibus sine mandato agere licet: ut puta liberi, licet sint in potestate: item parentes, fratres, adfines & liberti. Planè ad defendendum actorem procurator non compellitur,

si &

si et actionem causa cognita recusauerit, uel ex iusta causa remotus fuerit. Quamuis autem procurator actoris, qui eius defendendi causa iudicatum solui satisfecit, ob rem non defensam stipulationem committi malit: tamen nihilominus ad suscipiendum iudicium tenetur. Planè exceptionibus hactenus propositis, quibus procuratorem ad defendendum in reconuentione actorem non teneri diximus, non obstantibus, nihilominus eum defendere tenetur, si specialiter defensionis quoque mandatum susceperit. Idem dicendum, si ad communi diuidendo iudicium agendum datus proponatur: tunc enim et ad defendendum uidebitur datus. Omnium autem actionum nomine debet defendere, etiam earum que in heredem non dantur. Quinimò non solum in actionibus et interdiciis et postulationibus debet dominum defendere: uerum in interrogationibus quoque, ut in iure interrogatus ex omnibus causis respondeat, ex quibus dominus. An ergo hæres sit absens, respondere debet: et si responderit uel tacuerit, tenebitur. Ei autem qui defendit eum cuius nomine ipse non agit, liberum est uel in unam rem defendere. Planè qui iudicium absentis nomine suscepit, actore postea in integrum restituto, restitutorium quoque iudicium suscipere cogendus. Porrò omnis qui defenditur, boni uiri arbitratu defendendus est. Non autem potest uideri boni uiri arbitratu litem defendere is qui actorem frustrando

strando efficit, ne ad exitum controuersia deducatur. Hæc de defendendo tum reo tum actore sint dicta. Qui autem præter procuratorem teneantur reus defendere, necnon quid iuris sit, si reus absens non defendatur, dicitur infra, ubi de contumacia rei & edicto peremptorio agetur. Hactenus ergo de officijs procuratorũ: quorum tamen plura uide supra cap. prox. inter officia aduocatorũ, item infra in mandati actione. Per procuratorẽ aut̃ domino acquiritur: de qua re alibi, ubi de acquirendo dominio & possessione tractabitur, agetur. Sed & per procuratorem retinemus: ueluti si debitorem conueniat intra legitimum tempus, atq; ita præscriptionem uel usucapionẽ interrumpat: uel si prohibeat opus nouum fieri, ut interdictum nobis utile sit, Quod ui aut clam. nam et hic pristinum ius nobis conseruat. Non solũ autem ex eo quod procurator gessit, domino tã actio quàm exceptio acquiritur, sed etiam cõtra dominum actio simul & exceptio nascitur. Vnde si is qui Stichũ aut̃ Danam, utrum eorum ipse uellet, stipulatus est, ratũ habeat, quòd alterum procuratorio nomine Titius petit: facit ut res in iudicium deducta uideatur, & stipulationem consumat. Planè ignorantis domini conditio deterior per procuratorem fieri non debet. Et si procurator ad unam speciem constitutus, officium mandati egressus est: id quod gessit, nullum domino facere præiudicium potuit. Quòd si plenam pote-

statem

statem agendi habuit, res iudicatas rescindi non oportet: cum si quid fraude uel dolo egit, ipse procurator à domino eo nomine possit conueniri. Planè si per collusionem procuratoris absolutus sit aduersarius, mandati quidem actione procurator domino tenetur: sed si soluendo non sit, tunc de dolo actio aduersus eum qui per collusionem absolutus est, deneganda non est. Sed & procurator, qui litis instrumentum aduersario prodidit, si quidem humilior sit, in metallum damnatur: si uerò honestior, adempta bonorum parte dimidia, in perpetuum relegatur. Præterea procurator de lite quam suscepit exequenda mandati actione tenetur. Idem dicendum, si instrumenta cause domino non reddat. nec enim probabilis est sententia existimantium, ex hac causa agi posse depositi: uniuscuiusque enim contractus & initium spectandum est, & causa. Porro si procurator alij negocium gerendum mandauerit: hic posteriori procuratori, & procurator domino mandati iudicio tenetur. Quamquam autem inter dominum & procuratorem regulariter mandati actio competat: interdum tamen alio remedio agendum: puta si quis in rem suam procurator sit datus: tunc enim ex uendito uel alia similis competit actio. Sed & de dolo competit actio aduersus eum, & procurator interdum extra ordinem punitur, ut ex iam dictis patet. Quemadmodum autem procurator domino ex causis iam enumeratis &

alijs

alijs pluribus mandati actione tenetur: ita contra quoque dominus procuratori tenetur actione mandati contraria, si forte procurator impensas in litem fecit, uel soluit, uel se pro domino obligauit. Nam litis impendia bona fide facta uel ab actoris procuratore, uel rei (etsi negotio finem adhibere non potuit) debere ei restitui, equitas suadet. Poenam tamen, quam ex suo delicto prestitit, recuperare non debet. Sed et in suam rem procurator datus, ad recuperandum id quod prestitit, actionem non habet. Idem dicendum, si procurator domino heres extiterit: nam hoc casu nemo est, a quo repetere possit: nisi forte pro parte tantum heres extiterit: hoc enim casu pro ea parte, qua heres non est, a coheredibus repetet. Porro procurator qui sine mandato uel egit uel defendit, mandati actione ob impensas agere non potest, sed negotiorum gestorum actio illi competit. Sed et actoris procurator non in rem suam datus, propter impensas quas in litem fecit, potest desiderare ut sibi ex iudicatione satisfiat, si dominus litis soluendo non sit. Non solum autem impensarum nomine, sed etiam ob salarium procuratori actio competit aduersus dominum: de qua re supra cap. proxim.

dictum est. Hec de procuratoribus.

INSTITUTIONVM
DE ACTORE ET REO,
necnon de re litigiosa.

CAP. IIII.

Restat ut de actore & reo dicamus. In primis itaq; illud actor obseruare debet, ut non prius ad agendum procedat, quàm rem diligenter explorauerit. certus enim esse debet, antequam iudicio experiatur: cum sit in potestate eius, quando uelit experiri: quod in reo secus est. Itaque reo edita actione dilatio datur, quo cognita actione qua conuenitur, deliberare secum possit, utrum cedere, an contendere ultrà debeat: & si contendendum putet, ueniat instructus ad agendum. de qua re infra suo loco dicentur plura. Non autem debet actori licere, quod reo non permittitur: fauorabiliores enim rei quàm actores habentur. Quanquam reus quoq; in exceptione sua actor est. quia eam probare tenetur, perinde ac suam actionem actor. Tam autem actor quàm reus domum iudicis ingredi prohibentur: & uter ex ijs data pecunia iudicem corruperit, corrumpendum ue curauerit, litis damno punitur, uel falsi poena coercetur. Planè in quibusdam iudicijs quæri solet, uter actor sit, & uter reus: quo casu hæ regulæ præscriptæ sunt: ut in præiudicialibus quidem actionibus actoris partes sustineat is, qui habet intentionem secundum id quod intendat: in causis appellationum qui appellat prior agere dicatur. In mixtis iudicijs, puta

puta familie erciscunde, communi diuidendo. & finium regundorū, placuit eum uideri actorē, qui ad iudicium prouocasset. Sed cum ambo ad iudiciū prouocant, sorte res discerni solet. Hactenus de actore & reo, quorum tamen plura officia uide in singulis actionibus, exceptionibus et probationibus. Nunc cum de personis iudiciorū dictum sit, de rebus quoq; iudiciorū, quas litigiosas uocāt, nobis est dicendū. de quarum alienatione primum dicitur: hinc de earundem sequestratione. Res aut litigiosa regulariter quidem alienari prohibetur: & si alienata sit, emptor quidē rem redhibere & precio carere compellitur, non ut lucro cedat uenditori, sed ut etiam alia tanta quantitas ab eo fisci iuribus inferatur. Sin autem ignorans rem litigiosam emerit, uel per aliam speciem contractus eam acceperit: tunc irrita rei alienatione facta, premium cum alia tertia parte recipit. Res uerō litigiosa hoc loco dicitur, siue mobilis siue immobilis, de cuius dominio inter actorem & reum mouetur quaestio, siue citatione ad magistratum facta, siue precibus Imperatori oblatis, & iudici insinuatis, & per ipsam aduersario eius qui principem adiit cognitis. Planē litigiosam rem non facit denunciatio impediendae uenditionis causa facta. Proinde cum creditor pignus uendit, non potest uideri litigiosae rei emptio contrahi, etsi debitor interdicat, ne uenditio perficiatur. Idem dicendum & si debitor pignus uendat creditore

De re litigiosa non alienanda,

contradicente. Sed & si inter primum & secundum
 lis contestata sit, & ego à tertio emerò, qui nullam
 controuersiam patiebatur: mihi subueniendum est:
 quia is qui mihi uendidit, nullam litem habuit: &
 quòd potest fieri, ut duo inuicem eius litem inter se
 iungant, qui cum ipso litigare non poterunt. Si tamè
 cum procuratore, tutore, curatore ue alicuius acce-
 ptum iudicium sit: consequens erit dicere, quasi cum
 ipso litigetur, ita ad eum regulam propositam perti-
 nere. Excipiuntur insuper à regula proposita ij qui
 uel dotis nomine, uel ante nuptias donationis, uel
 transactionum, aut diuisionis rerum hereditariarum
 factæ, uel per legata uel fideicommissi causam tales
 res uel actiones dederint, uel acceperint. Idem dicen-
 dum de ijs qui necessitate, nō uoluntate alienauerint.
 Planè si per causam legati uel fideicommissi res liti-
 giosa sit alienata, hæresq; testatoris in iudicio succu-
 bucrit, causa legati uel fideicommissi expirat. Vnde
 licentia datur legatario, ut si uelit, socium litis se ad-
 dat, ne quam fortè negligentiam postea aut proditionem
 possit hæredi obijcere. Adeò aut rei litigiosæ a-
 lienatio prohibita est, ut ne quidem in sacrū eam de-
 dicare liceat: alioquin dupli pœnam patitur alienas,
 aduersario, non sisco præstandam. Excusat tamen à
 pœna alienationis rei litigiosæ ignorantia accipien-
 tis, ut supra diximus. Ignorantia autem spectatur nō e-
 ius cui acquiritur, sed eius qui comparauit. Vnde si
 seruus

seruus sciens emerit rem litigiosam domino ignorante, nihilominus poena committitur: nisi domini mandatu seruus emerit: nam hoc casu scientia serui non nocet per domini ignorantiam excusata. Non solum autē reus, sed et actor actionem uel rem in iudicium deductā alienare prohibetur. de qua re alibi in actione uendita dicetur copiosius. Nunc de re litigiosa sequestranda, seu apud sequestrum deponenda, dicendum est. Sequester autem dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controuersia est, deponunt, dictus ab eo quod occurrenti aut quasi sequenti eos qui contendunt, committitur. Regulariter itaque ad rem litigiosam sequestrandam reus cogi non potest. Oportet enim debitorem primò conuinci, et tunc ad solutionē compelli. Si tamen pro re mobili petita satisfactū nō sit, et persona suspecta sit, ex qua datio desideratur: apud officium deponi debet, si hoc iudici uidebitur, donec uel satisfidetur, uel lis finem accipiat. Idē dicendū de redditibus fundi inter dominū et colonū in controuersiam deducti, de quibus fructibus fundi litigiosi post appellationē reo eos dissipāte: quē admodū et dos pēdēte matrimonio sequestrari iubetur, ut ex ea mulier cum familia alatur, si maritus eam dissipare incipiat. Sed et si ab executore fuerit appellatū (quod interdum fieri potest, si modū iudicationis executor excedat) res mobilis uel fructus fundi possessori auferuntur, et cōmittūtur sequestro.

Ad hæc sequestratio conceditur, si ob non præstationem actoris restitutionem reus differat: quemadmodum responsum est, si frater cauere non possit, ut curator portionis eius constituatur, apud quem resecta pecunia collocetur: ut tunc demum recipiat quod redactum est, cum bona propria contulerit. Sed & si seruus ex seruitute in libertatem proclamauerit, peculium & aliæ res, quæ uindicantur, arbitrato iudicis sequestrari iubentur. Postremo si metus sit, ne litigatores ueniant ad arma, possessio sequestrari potest. Ex his patet, in quibus casibus sequestrationi sit locus. Porro si fructus uel aliæ res sequestrandæ peritæ sunt, uendi iubentur, & precium pro ijs sequestrari. Sequestratione autem facta, & causa sequestrationis finita, cum sequestro rectè agetur depositi actione sequestraria, de qua infra suo loco dicetur. Hactenus igitur tam de personis iudiciorum, quam de rebus litigiosis diximus: nunc de actibus iudiciorum nobis est dicendum: quorum alij quidem litis contestationem præcedunt, alij uerò eam sequuntur. Litis contestationem præcedentes actus hi sunt: Citatio, citati contumacia & absentia, ob eamq; contingentes actus: editio libelli: dilatio: exceptiones dilatorie, & cautiones hinc inde præstandæ, de quibus singulis ordine nunc dicemus.

DE CITATIONE, CITATI
contumacia & absentia.

CAP. V.

OMnium actionum instituendarum principium ab ea parte edicti proficiscitur, qua Prætor edicit de in ius uocando. Vtiq; enim in primis aduersarius in ius uocandus est, id est ad eum uocandus, qui ius dicturus sit. Est enim in ius uocare, iuris experiundi causa uocare. Pleriq; autem putauerunt, nullum de domo sua in ius uocari licere: quia domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum sit: eumque qui inde in ius uocaret, uim inferre uideri: satisque poenae subire eum, si non defendatur et latitet. Certum enim est, quod mittitur aduersarius in possessionem bonorum eius. Sed si aditum ad se præstet, aut ex publico conspiciatur, recte in ius uocari eum Iulianus ait. De domo tamen sua nemo extrahi debet. A uinea etiam et balneo et teatro quis in ius uocari potest. Nec tamen furiosos uel infantes, uel impuberes puellas alieno iuri subiectas, in ius uocare oportet. Sed et eas personas, quibus reuerentia præstanda est, sine iussu Prætoris in ius uocare non possumus. Nam ita Prætor. Parëtem, ait, patronum, patronam, liberos, parentes patroni patronæque in ius sine permissu meo ne quis uocet. Si quis aliter uocauerit, in eum quinquaginta solidorum

n s iudi-

iudicium dabo. Parentem hic utriusq; sexus accipe, et in infinitum omnes parentes etiam ultra tritauium: hoc enim honestius est. Sed et eos accipi parentes Labeo existimat, qui in seruitute susceperunt. nec tantam ad solos liberos iustos pertinet, sed etsi uulgo questus sit filius, matrem in ius non uocabit: quia certa est, etsi uulgo conceperit: pater uero is tantum, quem nuptiae demonstrant. Parentes naturales in ius uocare nemo potest: una est enim omnibus parentibus seruanda reuerentia. Patris tamen adoptiui parentes impune uocabit: quoniam hi parentes eius non sunt: cum ijs tantum cognatus fiat, quibus et adgnatus. Quinimo ipsum adoptiuum patrem, quamdiu in potestate est, in ius quidem uocare non potest, sed iure magis potestatis, quam praecipito praetoris: nisi sit filius qui castrense habeat peculium: tunc enim causa cognita permittitur. Emancipatus uero cum in ius uocare non prohibetur. Sed naturalem parentem, nec quidem dum est in adoptiua familia, in ius uocari licet. Haec de parentibus. Ait Praetor: Patronum, patronam. Patroni accipiendi sunt, qui ex seruitute manumiserunt, uel qui collusiones detexerunt, uel si prauidicio pronuncietur esse libertus, cum alioqui non fuerit, aut si iurauit cum libertum meum esse: quem admodum per contrarium pro patrono non habebor, si contra me iudicatum est, aut si me deferente

rente iurauerit, se libertum non esse. Sed & si ad iusiurandum adegit libertum ne uxorem ducat, uel libertam ne nubat, impune in ius uocabor. In hoc tamen liberto ius patronatus ad filium meum etiam me uiuo transit. Ideoque eueniet, ut patronus quidem in ius uocetur, filius quasi innocens non uocetur. Is quoque qui ex causa fideicommissi manumittit, non debet in ius uocari: quamuis ut manumittat, in ius uocetur. Sed & si hac lege emi, ut manumittam, & ex constitutione diui Marci uenit ad libertatem: cum sim patronus, in ius uocari non potero, sed si suis numis emi, & fidem fregi, pro patrono non habebor. Prostituta contra legem uenditionis uenditorem habebit patronum, si hac lege uenierat, ut si prostituta esset, fieret libera. At si uenditor, qui manus iniectio- nem excepit, ipse prostituit (quoniam & hac peruenit ad libertatem) ab illo quidem qui uendidit, libertatem consequitur, sed honorem haberi ei æquum non est. Porro patronum etiam accipimus, etsi capite minutus sit: uel si libertus capite minutus sit, dum adrogaretur per obreptionem. Cum enim hoc ipso quòd adrogatur, celat conditionem, non id actum uidetur, ut fieret ingenuus. Sed etsi ius annulorum accepit, reuerentiam patrono exhibere debet, quamuis omnia ingenuitatis munia habeat. Aliud est, si natalib. sit restitutus. nã princeps ingenuũ facit.

facit. Qui autem manumittitur à corpore aliquo, uel collegio, uel ciuitate, singulos in ius uocabit: nam non est illorum libertus, sed reipub. honorem habere debet: & si aduersus rempub. uel uniuersitatem uelit experiri, ueniam edicti petere debet: quamuis actorem eorum constitutum in ius sit uocaturus. Si per poenam deportationis ad peregrinitatem redactus sit patronus, putat Pomponius eum amisisse honorē: sed si restitutus fuerit, fore ei etiam huius edicti commodum saluum. Semper autem hic honor patrono habendus est, etsi quasi tutor, uel curator, uel defensor, uel actor interueniat patronus. Sed si patroni tutor uel curator interueniat, impunè potest is in ius uocari. Libertus tamen tutor pupilli nomine patronum suum sine permissu Prætoris in ius uocare potest. Communis quoq; libertus (licet plurium sit) debet à Prætoze petere, ut ei liceat uel quendam ex patronis suis uocare, ne in poenā incidat ex edicto Prætoris. Nec rusticitas ab hac poena excusationem præstat: cum naturali ratione honor huiusmodi personis debeatur. Hæc de patrono patronaq; in ius sine permissu Prætoris non uocandis. Ait insuper Prætor: Liberos, parentes patroni patronæue. Liberos, parētes patroni patronæue utriusq; sexus accipere debemus. Parentes etiam patroni adoptiui excipiuntur, sed tādū, quamdiu adoptio durat. Si filius meus in adoptionem datus sit, adhuc uocari à liberto meo in ius non poterit:

poterit: sed nec nepos in adoptiua familia susceptus. Sed si filius meus emancipatus adoptauerit filium, hic nepos in ius uocari poterit: nam mihi alienus est. Liberos autem, ut in parentibus quoque diximus, & ultra trinepotem accipimus. Si liberta ex patrono fuerit enixa, mutuo se ipsa & filius eius in ius non uocabunt. Planè si liberi patroni capitis accusauerunt libertum patrum, uel in seruitutem petierunt: nullus honor eis debetur. Hæc de liberis parentibusque patroni patronæue. Sanè uxorem quoque, nec non & heredes patroni, quamuis extraneos, in ius sine permissu Prætoris uocare prohibitum est. Quamuis autem non adiciat Prætor, causa cognita se poenale iudicium daturum: tamen Labeo ait moderandam iurisdictionem, si poeniteat libertum, & actionem remittat: uel si patronus uocatus non ueniat, aut non inuitus uocatus sit: licet edicti uerba non patiantur. Prætor ait: In ius sine permissu meo ne quis uocet. Permissurus enim est, si famosa actio non sit, uel pudorem non suggillat, qua patronus conuenitur, uel parentes: & totum hoc causa cognita debet facere: nam interdum etiam ex causa famosa permittere debet patronum in ius uocari à liberto, si eum grauissima iniuria affecit, flagellis fortè cecidit. Planè libertus à patrono reus constitutus, qui se descendere paratus pro tribunali Præsidem prouinciæ frequenter interpellat: patronum accusatorem in ius uocare non uidetur. Idè
dicen-

dicendum de eo qui aduersus patronum principi uel præfidi libellum dat: hic enim in ius uocare non uidetur. Porro in eum qui aduersus edictum Prætoris eos, de quibus hæcenus dictum est, in ius uocauerit, quinquaginta aureorum iudicium datur, quod neq; heredi, neq; in heredem, nec ultra annum datur. Plane si inopia dignoscitur reus laborare, à præfecto urbi quasi inofficiosus castigatur. Si libertus in ius uocauerit contra edictum Prætoris filium patroni sui, quem ipse patronus in potestate habet: probandum est, absente patre subueniendum esse filio, qui in potestate est, & ei poenalem in factum actionem, id est quinquaginta aureorum aduersus libertum competere.

Hæcenus qui in ius uocari non possint, dictum est. Nunc de contumacia in ius utiliter uocati uidentur. Contumax autem is est, qui tribus edictis propositis, uel uno pro tribus (quod uulgò peremptorium appellatur) literis euocatus præsentiam sui facere contemnit. Peremptorium uerò inde hoc nomen sumpsit, quòd perimeret disceptationem, hoc est, ultra non pateretur aduersarium tergiuersari. Omnibus autem iudicibus permissum est, ut quæ partes iudicium non obseruant, eas propositis edictis euocent, ne causæ indecise & absque termino permancant. Ad peremptorium edictum hoc ordine uenitur, ut primò quis petat post absentiam aduersarij

r̄i edictum primum, mox alterum, per interuallū nō
 minus decem dierum & tertium: quibus propositis,
 tunc peremptorium impetret. Edictum autem quod
 ab antecessore datum est, in numero trium edicto-
 rum connumerari debet. Planè licet ab antecessore
 numerus finitus sit, solet tamen successor unum edi-
 ctum dare. Quod autem dictum est, Per interual-
 lum non minus decem dierum: id iure nouo immu-
 tatum est, quo cauetur, ut unaquæque uocatio non
 minus quàm triginta dierum spacio includatur. Pla-
 nè peremptorium edictum non semper post tria edi-
 cta proposita datur, sed nōnunquam post unum uel
 alterum, nōnunquā statim, quod appellatur unū pro
 omnib. Hoc aut estimare oportet eum qui ius dicit,
 pro cōditione cause, uel persone, uel temporis, & ita
 ordinem edictorum & compendium moderari. Sed
 & tres denunciations ad peremptoriū edicti uicem
 aduersus contumaces conualescere, salubriter statu-
 tum est. In peremptorio autem comminatur is qui
 edit, etiam absente aduersa parte cogniturum se &
 pronunciatum. Porro post edictum peremptoriū
 impetratum, cum dies eius superuenerit, tunc absens
 citari debet: & siue responderit, siue non responde-
 rit, agatur causa, & pronuncietur nō utiq; secundū
 presentem: sed interdum uel absens (si bonam cau-
 sam habeat) uincet. Si tamen is qui edictum perem-
 ptorium impetrauit, absit die cognitionis: is uerò
 aduer-

aduersus quem impetratum est, adfit: tunc circumducendum erit edictum peremptorium, neq; de causa cognoscetur, neq; secundum presentem pronuntiabitur. Circumducto autem edicto, instantia tantum perijt, & ex integro litigari potest. Sed absente reo uidendum, num aliqui sint, qui ad defensionem eius suscipiendam cogi possint. Nam supra dictum est, eum qui defendendi absentis gratia iudicatum solui satisfecit, uel pro quo absens satisfecit, uel procuratorem actoris in reconuentione absentem defendere cogendum. quæ adeò uera sunt, ut quamuis absens post satisfactionem interpositam desierit esse soluendo, defensor tamen non rectè iudicium recuset. Fideiussores quoque per quos iudicatum solui satisfecit, aut defendere absentem coguntur, aut alium defensorem prestare, si non actione ex stipulatu ob rem non defensam teneri uelint. Porro sententia contra contumaciter absentem lata ualet, adeò ut nec appellari ab ea possit: actorq; in possessionem bonorum latitantis mitti solet. de quibus rebus infra suis locis copiosius dicetur. Interdum tamè, si quis in ius uocatus non ierit, ex causa à competente iudice multa duntaxat pro iurisdictione iudicis damnabitur: rusticitati enim hominis parcendum erit. Sed & reus qui iudicio fisci satisfecit, si postea abesse cœperit, actori ex stipulatu eo nomine tenetur: de qua re infra dicetur. Et qui iureiurando prestito se iudicio adfuturum,

ante

ante litem contestatam se absentet, à magistratu com-
petente apprehendi potest, & ad suscipiendum iudi-
cium cogi. Actor quoq; qui comparere in iudicio res
se absentat, interdum litis damno & expensis à reo
factis coercetur, interdum mitius punitur: ut latius
in Digestis meis ostendi. Planè poenae istae tam acto-
ris quàm rei conuenti iam enumeratae aliquot reci-
piunt exceptiones generales. Nam ut paulo superius
dictum est, rusticitati hominis parcendum erit: item
si nihil intersit actoris eo tempore in ius aduersariū
uenisse, remittit Prætor poenam: puta quia dies fe-
riatus fuit. Sed & poenam contumacis non patitur,
quem aduersa ualetudo, uel maioris causae occupatio
defendit. Præterea contra pupillum indefensum,
eumq; qui reipub. causa abest, uel minorem uiginti-
quinq; annis propositum peremptorium nihil habet
momenti. Sed & contumaces non uidentur, nisi qui
cum obedire deberent, non obsequuntur, id est qui
ad iurisdictionem eius cui negant obsequi, pertinent.
Proinde is qui ad maius auditorium uocatus est, si li-
tem inchoatam deseruit, contumax non uidetur. Pla-
nè si de iurisdictione dubitetur, ex quacunq; causa ad
Prætores uel alios qui iurisdictioni præsumt, in ius
uocatus uenire debet, ut hoc ipsum sciatur, an iuris-
dictio eius sit. Nam & legati, ceteriq; qui reuocan-
di domum ius habent, in ea sunt causa, ut in ius uocati
utnant priuilegia sua allegaturi. Præterea si per a-
ctorem

- *storem steterit, quo minus reus in iudicio cōpareat, exceptione reus defenditur: de qua exceptione cum alijs similib. infrā in actione ex stipulatu iudicio sisti quoq; dicetur. Sed et absens reuersus interdū auditur, si rescissis ijs quæ per absentia suā gesta sunt, iudicium suscipere sit paratus: de qua re infrā de missio- ne in possessionem reo latitante dicetur. Sanè præter poenas hæctenus enumeratas Prætor quoq; duas actio- nes occasione absentie alterutrius litigatoris introdu- xit, quibus uel actor uel reus aduersus tertiū experi- ri possit: unā quidem, si per alium factum sit, quo mi- nus in iudicio reus se sistat: alterā uerò, si reus ab alio ui sit exemptus. quarum actionum naturā nunc de- scribam: et primum quidē eius, cum per alium stetit, quo minus in ius uocatus ueniat. Acquisimū enim pu- tauit Prætor, dolum eius coercere, qui impedit aliquē iudicio sisti. Ex edicto igitur Prætoris aduersus eum qui dolo fecit, quo minus quis in iudicium uocatus si- stat, in factum actio cōpetit, quanti actoris interfuit cum sisti. In quo iudicio deducitur, si quid amiserit actor ob eam rem: ueluti si reus tēpore dominiū rei interim sibi adquirat, aut actione liberatus sit. Dolū malū sic accipimus, ut si ueniēti ad iudiciū aliqd pro- nunciauerit triste, propter quod is necesse habuerit ad iudiciū nō uenire: uel eū detinuerit. Planè si reus dolo actoris nō stiterit, non habebit aduersus eum ex hoc edicto actionem: cum contentus esse possit exce-
 ptione,*

ptione, si ex stipulatu conueniatur de pœna, quod ad-
 iudiciũ nõ uenerit: aliter atq; si ab alio sit impeditus:
 nam actionẽ propositam aduersus eum exercebit. Si
 itaq; stipulator dolo promissoris, & promissor dolo
 stipulatoris impeditus fuit, quo minus ad iudiciũ ue-
 nirent: neutri eorum Prætor succurrere debebit, ab
 utraq; parte dolum dolo cõpensando. Planè si stipu-
 lator dolo Titij, & promissor dolo Mœnij impeditus
 fuerit, quo minus iudicio sistatur: uterq; aduersus eũ
 cuius dolo impeditus fuit, actione in factum experie-
 tur. Ex his intelligendum, quod si reus ab alio impe-
 ditus sit, quo minus iudicio sistat, tam actori q̃ reo a-
 ctio in factum aduersus impediẽtem cõpetere pos-
 sit: actori quidem, si reus propter illud impedimẽtum
 exceptione tutus sit aduersus actorẽ ad pœnã agen-
 tem: reo uerò conuento, si exceptionẽ aduersus a-
 ctorem tutus non sit. Vnde Paulus: Si priuatus (in-
 quit) eum detinuerit, nullo modo proderit detento
 ex eo exceptio: sed actio ei datur aduersus eum qui
 eum detinuit, in id quod eius interest. Porro etiam
 heredi actio proposita datur, sed non ultra annum:
 aduersus autem heredem hæcenus danda est, ut ex
 dolo defuncti heres non lucretur. Serui autem no-
 mine ex hac causa noxali iudicio agendum, omnes
 consentiunt. Is quoque hac actione tenetur, qui
 rogauit ut actor uel reus impediretur. Nam fe-
 cisse dolo malo non tantum is putatur, qui suis

manibus uel per suos retinuit : uerum qui alios quoque rogauit, ut eum detinerent uel abducerent, ne iudicio sisteret : siue scientes, siue ignorantes quid esset quod cominisceretur. Ideoq; si plures dolo fecerint, omnes tenentur. Sed si unus praestiterit poenam, ceteri liberabuntur, cum nihil intersit. Nam uenit in hanc actionem id tantum quod actoris interest, ut supra est dictum. Vnde petiturus a reo centum, quamuis a fideiussore quinquaginta stipulatus fuero, si in iudicium reus non uenerit : & dolo Sempronij factum fuerit, ne in iudicium reus ueniat : centum a Sempronio consequar. Tanti enim mea interesse uidetur : quia si uenisset in iudicium, actio mihi centum aduersus eum uel heredem eius competebat : licet fideiussor minorem mihi summam promiserit. Plane si is qui dolo fecit, quo minus in iudicio sistatur, soluen- do non fuerit : aequum erit, aduersus ipsum reum resti- tutoriam actionem competere, ne propter dolum a- lienum reus lucrum faciat, & actor damno adficia- tur. Non solum actione proposita is, per quem fa- ctum est, quo minus in iudicio sistatur, tenetur, sed interdum quoque lege Iulia de ui publica & priua- ta, si scilicet ui adhibita id effecit, ut supra suo loco etiam est dictum.

Nunc ad alteram in factum actionem accedamus, qua tenetur is qui in ius uocatum ui exemerit. Nam hanc actionem Praetor proposuit, ut metu poenae com-
pesceret

pferret eos, qui in ius uocatos ui eripiunt. Inter exi-
 mere autem & eripere hoc interest, quod inter ge-
 nus & speciem. Eximendi enim uerbum generale
 est, Eripere speciale. Siquidem eripere est, de mani-
 bus auferre per raptum; eximere, quoquo modo au-
 ferre. Ut puta, si quis non rapuerit quem, sed moram
 fecerit, quò minus in ius ueniret, ut actionis dies exi-
 ret, uel res tempore amitteretur; uidebitur exemis-
 se, quamuis corpus non exemerit. Sed etsi eo loci de-
 tinuerit, nec abduxerit: ijs uerbis tenetur. Planè a-
 ctioni propositæ locus non est, si persona quæ in ius
 uocari non potuit, exempta est; ueluti parens,
 patronus, ceteræq; personæ. Nam si deliquit qui uo-
 cat, non deliquit qui patronum ui eximit. Quum e-
 nim uterq; contra edictum faciat, & libertus qui pa-
 tronum uocat, & is qui patronum ui eximit; de-
 teriore loco libertus est, qui in simili delicto petito-
 ris partes sustinet. Eadem æquitas est in eo qui a-
 liò, quàm quò debuerat, in ius uocabatur. Sed & for-
 tius dicendum est, non uideri eum ui eximi, cui sit ius
 ibi non conueniri. Huic consequens est, quòd si quis
 seruum exemit in ius uocatum, cesset edictum: quo-
 niam non fuerit persona, quæ in ius uocari potuit.
 Quid ergo? ad exhibendum erit agendum. Sed & si
 quis ad pedaneum iudicem uocatum eximat, poenâ
 huius edicti cessabit. Planè si quis eum qui per calum-
 niam uocabatur exemerit, constat eum hoc edicto te-

neri. Sufficit aut in hac actione ui exemisse, quamuis dolus malus cesset. In eo tamen, cuius instinctu exemptus est reus, dolus requiritur. Deniq; docere debet actor, per exemptionem factum, quo minus in ius produceretur. Ceterum si nihilominus productus est, cessat poena: quonia uerba cum effectu sunt accipienda. Hæc aut actio heredib. ita dabitur, si eoru intersit: sed in heredem non dabitur, nec post annum. Non solum aut aduersus eximentem dabitur, sed etiam aduersus eum, cuius instinctu et mandatu exemptus est, siue is presens sit, siue absens. Proinde si plures deliquerint, in singulos dabitur. In hoc aut iudicio id continetur, non quod in ueritate est, sed quati ea res est ab actore aestimata, de qua cotrouersia est: hoc enim additum est, ut appareat, etiam si calumniator quis sit, tamen hanc poenam eum persequi. Serui aut nomine dominus noxali iudicio tenetur: nisi sciente domino seruus exemerit: tunc enim sine noxa deditioe iudicium suscipiet. Planè qui debitorem ui exemit, et hac actione conuentus soluit, debitorem non liberat: quia poenam suam soluit. Si quis autem confessum reum et in uincula coniectum exemerit, etiam lege Iulia maiestatis tenetur. Hæc de citatione, citati contumacia et absentia, necnon de actionibus occasione absentiae competentibus sunt dicta. nunc de edendo dicetur.

DE

DE EDENDO.

CAP. VI.

REo itaq; in ius uocato, qua quis actione agere uolet, eam prius edere debet : ut sciat reus, utrum cedere, an cōtendere ultra debeat. Et si contendendum putet, ueniat instructus ad agendum, cognita actione qua conueniatur. Edere autem est, copiam describendi facere, uel in libello complecti et dare, uel dictare. Eū quoq; edere Labeo ait, qui producat aduersarium suum ad album, et demonstrat quid dictaturus sit, uel id dicendo, quo uti uelit. Non solum autem actio, sed et alia omnia, quæ quis apud iudicem editurus est, edenda sunt : ut instrumenta, rationes quoq; edendæ sunt, de quarum editione infra peculiariter tractabitur. Non autem quemadmodum actor reo, ita cōtrà reus actori instrumenta sua edere tenetur. Qui enim agere uel accusare uolunt, probationes habere debent, nec originem petitionis ex instrumento eius qui cōuenitur, fundari oportet. Quod tamen interdum causa cognita aliter se habet. Si enim reus negocia gessit actoris : ut rationes edat actori, equū est. Idē dicendū, si actor suas rationes et instrumenta casu amisisse doceatur, aut in longinquo habere : idq; exēplo argentarij docetur, cui alioquin rationes edendæ non sunt. Sed et ea instrumenta,

o 4 quibus

quibus apud iudicem reus uti uelit, equū est ut actori edat. Si quoque nomine fisci agatur, reus instrumenta edere tenetur, sed ea tantum, quæ ad eam causam, ex qua agitur, pertinent: dummodo de re pecuniaria, non capitali causa agatur. Actor autem ea instrumenta, quibus usurus non est, nec edere tenetur. non tamen nouum est, reum à quo petitur pecunia, implorare rationem creditoris, ut fides constare possit. Sed nec ea quibus actor usurus est, reo edere tenetur, si horum exemplum reus habeat. Sic si legatum petatur, non iubet Prætor uerba testamenti edere, ideo quia hæredes solent habere exemplum testamenti. Præterea acta publica tam ciuilia quam criminalia exhiberi debent inspicienda ad inuestigandam ueritatis fidem. Edere autem non uideatur, qui totam stipulationem non edit. Editiones tamen sine die & consule fieri debent: ne quid excogitetur, aut prolato die fiat. Diem tamen & consulem excepit Prætor, quo instrumentum conscriptum est, non in quem solutio concepta est. Nam dies solutionis, sicuti summa, pars est stipulationis. Sed & rationes cum die & consule edi debent: quoniam accepta & data non alias possunt apparere, nisi dies & consul fuerit editus. Præterea exempla instrumentorum etiam sine subscriptione edentis edi posse, receptum est. Actio autem siue libellus una cum citatione oblata reo equi iubetur. nec actor.

actor libellum editum prohibetur mutare : puta si per errorem minus complexus fuerit, quam ad eum pertineat: aut aliud pro alio petierit: aut si quis ex testamento dari sibi oportere intenderit, quod ex stipulatu debetur: nam in hisce alijsq; similibus casibus in eodem iudicio cognita ueritate errorem suum corrigere actori permittitur. Secus autem est, si post sententiam dictam finito iudicio idem facere uelit: hoc enim casu exceptio rei iudicate illi obstabit. Hæc de actione, alijsq; quibus in iudicio quis usurus est edendis, dicta sunt. nunc de rationibus edendis peculiari-
ter tractabitur. De hac re extat Prætoris edictum, cuius hæc sunt uerba: Argentariæ mensæ exercitores rationē, quæ ad se pertinet, edant, adiecto die & consule. Huius edicti ratio æquissima est: nam cum singulorum rationes argentarij conficiant, æquum fuit, id quod mei causa confecit, meum quodammodo instrumentum mihi edi. Rationem autē esse Labeo ait, ultrò citroq; dandi, accipiendi, credendi, obligandi, soluendi sui causa negotiationē, nec ullam rationē nuda duntaxat solutione debili incipere. Planè inter reddere & edere rationes multum interest: nec is qui edere iussus sit, reliquum reddere debet. nam & argentarius edere rationem uidetur, etiamsi quod reliquum sit apud eum non soluat. Argentarius autem rationes edere iubetur: nec interest, cum ipso argentario cōtrouersia sit, an cum alio. Ideo uerò argentarios tan-

De ratio-
nibus edē-
dis.

tum, neq; alios ullos absimiles, rationes edere cogit: quia officium eorum atq; ministerium publicam habet causam, & hæc principalis eorum opera est, ut actus sui rationem diligenter conficiant. Sed & numularios non esse iniquum cogi rationes edere, Pomponius scribit; quia & hi, sicut argentarij, rationes conficiunt. Et quia accipiunt pecuniam, & erogant per partes, quarum probatio scriptura codicibusq; eorum maximè continetur, ideo frequentissimè ad fidem eorum decurritur. Sanè si argentarius sit filius familiàs, ipse cogi debet ad rationes edendas, non pater eius: nisi fortè uel sciente patre argentaria exerceretur, uel questus ex argentaria patri quæreretur, uel deniq; pater filio successerit. Similiter, si seruus argentarius sit, dominus ad edendas rationes non tenetur, sed seruus: nisi uel uoluntate domini seruus argentariam fecerit, uel dominus rationes penes se habeat. Planè si seruus qui inscio domino argentariam exercuerit, rationes non ediderit: dominus de peculio uel de in rem uerso tenebitur. Porro & successores argentarij coguntur rationes edere: nec interest, si successores aut pater aut dominus argentarij eiusdem professionis non sint: quia cum in locum aut in ius succedant argentarij, partibus eius fungi debent. Planè singularis successor non tenebitur, puta legatarius uel donatarius. Sed nec hæres tenebitur, si neq; possideat, neq; dolo malo fecerit. Sed si ei, ante-

quam

quã eas legatarijs traderet, denunciatũ fuerit ne ante
 tradat, tenebitur quasi dolo fecerit. Quòd si nihil do
 lo fecerit, causa cognita legatarius cogendus est ede
 re. Sed & præter hæcenus enumeratos interdum &
 alij ad rationes edendas tenentur: puta actor reo, &
 contra reus actori, cuius negocia gessit, ut supra dixi
 mus. item procurator domino, socius socio, & tutor
 pupillo: sed non ex edicto prætoris proposito, ue
 rum uel mandati, uel pro socio, uel tutelæ actione.
 Plurè si plures sint, qui ad edendas rationes tenentur;
 omnes edere debent, aut unius editioni subscribere,
 nisi fortè unus tantum rationes habuerit: tunc enim
 hic solus ad editionem compelletur. Hæc de ijs qui ra
 tiones edere tenentur, dicta sunt. nunc de ijs quibus
 edendæ sunt, dicendum. Et regulariter quidem omni
 bus postulantibus & iurantibus, non calumniæ causa
 se pretere: rationes quæ ad se pertineant, Prætor edi iu
 bet. Exigitur aut ab aduersario argentarij iusiuran
 dũ, non caluniæ causa postulare edi sibi: ne fortè uel
 superuacuas rationes, uel quas habet, edi sibi postulet
 uexandi argentarij causa. Ita demũ aut actori tenetur
 ad edendũ argentarius, si ad se rationes pertineant.
 Pertinere uidetur ad me ratio, si modò eã tractaueris
 me mãdãte. Sed et si procurator meus me absente mã
 dauerit: quasi ad me pertineat, mihi edi debet. Itè ad
 me pertinet non tantum, cũ ipse contraxi uel procu
 rator meus, uel is cui successi: sed etiam si is qui in
 mea

mea potestate est, contraxit. Procuratori quoque mea edenda ratio est, quam argentarius mecum habet, quasi ad eum pertineat. cauebit tamen de rato, si ei mandatum non sit. Prohibet autem Prætor argentario edi illa ratione, quòd etiam ipse instructus esse potest instrumento suæ professionis: & quòd absurdum est, cum ipse in ea causa sit ut edere debeat, ipsum petere ut edatur. Sed nec hæredi argentarij edi ratio debet, si instrumentum argentariæ ad eum peruenerit: si minus, edenda est ex causa. Nam & ipsi argentario ex causa edenda est, si naufragio, uel ruina, uel incendio, uel alia simili causa rationes perdidisse se probet, aut in longinquo habere: ueluti trans mare. Sed & nec iterum postulanti edi Prætor iubet, nisi causa cognita: ueluti si peregrè habere, quod primum editum est, uel minus plenè editum doceat, uel eas rationes casu maiore, non uerò negligentia perdidit: nam si quo casu amisit, cui ignosci debeat, ex integro edenda ratio est. Hæc autè uox Iterum duas res significat: altera est, qua demonstratur tempus secundum, quod Græci *δευτέρου* dicunt: altera, quæ ad sequentia quoque tempora pertinet, quæ Græcè dicitur *πάλιν*: quod ita accipitur, quoties opus erit. Nam potest fieri, ut bis editam sibi rationem quis perdidit, ut uerbum Iterum pro Sæpius accipiatur. Porro edi ratio ita intelligitur, si à capite edatur. nam ratio nisi à capite inspiciatur, intelligi non potest: scilicet

scilicet ut non totum cuiq; codicem rationum, totasq; membranas inspiciendi describēdiq; potestas fiat: sed ut ea sola pars rationum, quæ ad instruendum aliquē pertineat, inspiciatur & describatur. Si item initium tabularum habet diem & consulem, in quibus Titij ratio scripta est, postmodum mea sine die & consule: etiam mihi edendus est dies & consul. Planè si pignus acceperit, aut mandatum, hoc non compellitur edere argentarius. Sed quod solui constituit, edere debet: nam & hoc ex argētaria uenit. Præterea ibi quis compellitur edere, ubi argentariam exercuit: quamuis in alia prouincia instrumentum argentariæ habeat. Quòd si in alio loco argentariam exerceat, alibi autem ad editionem compellatur: minimè hoc facere cogitur, nisi descriptum uelis, ubi de ea re agitur, ibi dari, tuis uidelicet sumptibus: quo casu spacium ad perferendas eas tribuendum est. Si uerò argentarius in uilla habeat instrumenta, uel in horreo: aut ad locū te perducet, aut descriptas rationes dabit. Hæc de rationibus edendis dicta sunt: nunc de pœna non edentis, seu de actione ob non editas rationes dicendam. Si itaque editum non sit, in id quod actoris interest, actio competit. Quod ita intelligi debet, si dolo malo non edidit argentarius. Culpam enim non præstabit, nisi dolo proximam. Dolo autem malo non edidit, & qui malitiosè edidit. Eius excusatio nulla est, qui dicit se desijisse facere argentariam: nihilominus

hilominus enim ad conditionem est compellendus, aut ad id quod interest præstandum. Planè eis qui ob ætatem uel rusticitatem, uel ob sexum lapsi non ediderunt, uel ex alia iusta causa, subuenietur. Hæc autem actio neque post annum, neque in heredem, nisi ex suo facto dabitur: heredi autem dabitur. Venit, ut diximus, in hanc actionem, quod interest actoris rationes editas esse, non quidem quanti hodie interest, sed quanti tunc interfuit, cum decerneretur à Prætore. Et ideo licet interesse desijt, uel minoris uel pluris interesse cœpit, locum hæc actio non habebit, neque ad augmentum, neque ad deminutionem. Siue autem quis condemnatus sit, siue quod petijt non obtinuerit, eo quòd non habuit rationes, ex quibus causam suam tueri posset: id ipsum quod ita perdidit, hæc actione consequitur. Planè dominus serui sui non edentis nomine non nisi de peculio uel de in rem uerso tenetur, ut supra quoque dictum est: nisi fortè uel uoluntate domini seruus argentariam exercuerit, uel dominus rationes habeat, nec edat: tunc enim in solidum tenetur. Postremò, cum aliud suppetit remedium, quo quis ad rationes edendas cogi possit, hæc in factum actio prætoriam cessat. alia autem remedia sunt, mandati, pro socio & tutelæ actio, ut supra ostensum est. Hæc de edendo: nunc de dilationibus & exceptionibus aliquot dilatorijs dicendum erit.

LIBER SECVNDVS. 224
DE DILATIONIBVS.

CAP. VII.

Dilatio non aliàs, nisi causa cognita, indulgeri potest: & cause cognitio non interpellatione planaria, sed confedente magis iudice pro tribunali expeditur: ut si fortè dilationis petitio fuerit improbata, suscepta quæstio per sententiam iudicis dirimatur. Iudicium enim debet esse diligentia, ut si nulla rationabilis à reo uel actore dilatio postuletur, urgeant causarum notionem non expectatis moris. Sanè causæ, ex quibus dilatio dari debeat, hæ ferè in iure numerantur. In primis, si reus alterius nomine quolibet modo possidens immobilem rem, litem ab aliquo per in rem actionem sustineat: huic enim dominum, cuius nomine possidet, nominanti danda dilatio est ad denunciandum domino, ut rem defendat. Idem dicendum, si fideiussor uel mandator conuentus exceptionem opponat de reo principali prius conueniendo, isq; absit: tunc enim fideiussori uel mandatori ad reū adducendū dilatio dari debet. itè rescripto ad iudicē extraordinariū impetrato, ei quidē q̄ impetravit, dilatio denegāda est: aduersario aut ad cōtradicendū dilatio concedēda: quoniā instructus esse nō potuit, qui præter spem ad alienū iudicium trahitur. Probationū quoq; & instrumētōrū adferēdorū causa dilatio dari debet: et si instrumēta litis apud eos esse dicatur, q̄ reip. causa aberūt, cognitio sustinēda est.

Planus

Planè in causa appellationis uel consultationis, quæ uertitur coram Principe, non datur dilatio ad probandum, siue per seipsum cognoscat, siue per alium, cui per rescriptum commisit. Porrò ob absentiam litoris consortis uel consortum dilatio indulgenda non est: de qua re alibi quoque dicetur copiosius. Ad concludendum autem in causa dilatio deneganda non est. Sed & humanum est, propter fortuitos casus dilationem accipi: ueluti cum pater litigator filiũ uel filiã, uel uxor uirũ, uel filius parentẽ amisit, & in similibus causis, quarũ plures infrà de tẽpore actionũ proponentur. Quanta autem dilatio danda sit, à iudice causa cognita statuendum est: ita tamen, ut si quidem ex eã prouincia, ubi lis agitur, uel persone uel instrumenta poscantur, non amplius quàm tres menses indulgeat: si uerò ex continentibus prouincijs, non ultra sex menses: in transmarina demum dilatione, non ultra nouem. Et hæc quidem de dilationibus probationum causa dandis. Si uerò detentatori rei immobilis dilatio danda sit ad denunciandum domino, tũc siquidem dominus in proximo est, una aut duabus tantummodo prouincijs in medio constitutis, quatuor mensium dilatio danda: si maius spacium interueniat, sex: si remotiores prouinciæ interueniant, octo. In locis uerò quamlibet remotissimis, nouẽ menses non excedat. Planè Prætor in huiusmodi dilationibus uicena millia passuum in singulos dies dnumerari

numerari iubet. Si ad concludendum in causa dilatio petatur: triginta dierum spacium dandum. Quibus elapsis, si nondum concludat, alter mensis dandus. Si sic quoq; differat, tertius mensis addendus: nec ultra tres menses dilatio concedenda. Postremò luctus causa nouem dierum dilatio danda. Ferie autem, siue repentinæ sint, siue solennes, dilationum temporibus nō excipiuntur, sed his connumerantur. Porro dilatio in singulis causis plus quàm semel tribui non potest. In capitalibus tamen causis reo tres dilationes, accusatori due dari possunt, sed utrūq; causa cognita. Sed et in pecuniarijs causis instrumentorū dilatio utilitatis litigantium gratia causa cognita iterum tam ex eadem quàm ex alia prouincia impertiri solet: & maxime, si aliquid inopinatum emergat. Proinde si defunctus aliquam dilationem acceperit propter instrumenta, causa cognita successori quoq; eius amplius dari debet. Postremò dilatione data officium iudicis interim conquiescit, & temporis præscriptio contra creditorem per illud tempus non currit.

DE EXCEPTIONIBVS DILATORIJS, & RECUSATORIA IUDICIS.

CAP. VIII.

HAEC de dilationibus dandis. nunc de dilatorijs Exceptionibus dicendum: quarū natura hæc est, quòd non nisi ante litem contestatā opponi possint. Planè ab initio oppositæ probari, postquã

p actor

actor quod adseuerat monstrauerit, debent. Competunt autem huiusmodi exceptiones uarijs ex causis, quarum aliquot enumerauimus lib. 36. Digestorū meorum, cap. 14. Consistunt autē huiusmodi cause uel in persona actoris, uel in persona rei conuenti, uel in persona procuratoris, uel in persona iudicis, uel denique in alijs huiusmodi circūstantijs. de qua re copiosius in Praxi mea forensi disserui: & de singulis huiusmodi causis passim in suis locis specialiter tractaui. hic autē de exceptione sumpta ex persona iudicis, quam recusatoriā iudicis uocāt, pauca dicemus: quāquā de ea quoq; tractatū suprā cap. 1. Nam ibi causas ex quibus exceptio hęc cōpetat, seu iudex recusari possit, enumerauimus: quarū tamen causarū exceptiones, præter eas quas ibidē enumerauimus, & plures sunt. Nam qui semel iudicem datū recusauit, postea alio iudice dato eius recusandi potestātē amplius non habet. sed & nisi intra uiginti dies à libelli editio-
ne iudex recusatus sit, uel ante litem contestatam, postea frustra recusatur: nisi fortē causa recusandi iudicis postea contigerit. Non autem distinguitur, à quo iudex sit datus: nam quamuis ab Imperatore uel alio sublimi magistratu datus sit, eius recusandi potestas est reo, dummodò legitima causa subsit. Recusari autē iudex debet per libellum recusationis ei porrectum. Si uerò is absens sit, præses prouinciæ præsens: tunc præsidi libellus recusationis offerri debet. Sin autē is
quoq;

quoq; absens sit: tunc eadem hæc apud defensorē locorum, uel duumuiros municipales gestis apud eos habitis celebrari possunt. Recusato aut iudice, illico, id est intra triduum proximū compelluntur partes arbitrum uel arbitros eligere, & apud eos litigare: ne & datus iudex remoueat, & alter non eligatur. Electione uidelicet arbitri, si uariatū fuerit inter partes, simili modo uel præsidis prouinciæ (si adest) uel defensoris locorū uel magistratū municipij arbitrio dirimenda: & executore, cui mandata est huiusmodi cause exactio, imminente, & statuta ab arbitris effectui mancipante: nisi fuerit prouocatū. Hæc de recusatōria iudicis dicta sufficiāt, de qua tamē plura uide (ut dixi) supra cap. 1. Sed & de exceptione procuratoria et alijs huiusmodi exceptionib; uide passim in locis suis specialibus: itē de dilatorijs exceptionib; in genere uide itē alibi in tractatu exceptionū generali. Sed & ad exceptiones dilatorias pertinet de cautionib; in iudicio hinc inde præstandis tractatus qui sequitur.

DE CAUTIONIBVS ET SATISDA-
TIONIBVS IN IUDICIO HINC INDE PRÆ-
STANDIS. CAP. IX.

CAutū intelligitur, siue personis siue reb; cautū sit. Sed et nuda repromissio e cautiois uocabulo cōtinetur. Satisfatio est cautio psonis seu fideiussorib; facta. quanq̄ interdū satisfactionis appellatiōe nuda repromissio cōtinebitur, qua cōtentus est is cui

p a satisf.

satisfactio debebatur. Cautiones autem in iudicio præstandæ tales sunt: ab actore quidem de lite usq; ad finem persequenda, de lite intra duos menses contestanda: de sumptibus & expensis litis, si non obtinuerit, reo restituendis: uel decima parte eius quantitatis, quam in libello complexus est, pro ijs soluenda, à procuratore uerò actoris, tutore & curatore, siue in re siue in personam agatur, de rato satisfidandum. A reo conuento cautio præstanda est iudicio sisti, iudicium solui, item quod tempore sententiæ recitandæ ipse in iudicium sit uenturus. A defensore rei conuenti iudicium solui satisfidandum, si à reo satisfidatum non sit, supra diximus. Porro sciendum, possessores rerum immobilium ad satisfactionem non compelli: de qua tamen re plura dicentur infra in Iudicio sisti cautione. Sed & is qui semel cauit, ad cauendum amplius non tenetur: nisi fortè uiciosè antea sit cautum, puta per eam personam, quæ pro alio intercedere non possit. Quamuis autem fideiussor, per quem cautum est, idoneus non sit, tamen iteranda cautio non est: quia qui admisit eum fideiussorem, idoneum esse comprobauit. Minori tamè uiginti quinque annis succurrendum est: fortasse & mulieri propter imperitiam. Sed etsi medio tempore calamitas fideiussoribus insignis, uel magna inopia acciderit, causa cognita ex integro satisfidandum erit. Item si fideiussor stipulatori, uel stipulator fideiussori heres extiterit, ex integro cauendum

dam erit. Idem dicendum, si seruus inueniatur, qui antequam iudicium acciperetur, fideiussit iudicatum solui. Sed & qui mulierem adhibet ad satisfaciendum, non uidetur cauere. Sed nec miles, nec minor uigintiquinq; annis probandi sunt; nisi hæ personæ in rem suam fideiubeant; ut pro suo procuratore, item si à marito fundus dotalis petatur, in rem suam mulier fideiubebit. Locuples autem fideiussor, per quem satisfacitur, esse debet, non tantum in facultatibus, sed etiam ex conueniendi facilitate. Vnde si fideiussor dicitur habere fori præscriptionem, & metuat petitor, ne iure fori utatur: meritò talem fideiussorem recusabit. Sed si aliàs cauere non possit, prædicendum ei, non usurum eum priuilegio, si conueniatur. Planè si ab arbitro probati sunt fideiussores, pro locupletibus habendi sunt: cum potuerit querela apud competentem iudicem deferri. Siquidem arbitro ad probandos fideiussores constituto, si in alterutram partem iniquum arbitrium uideatur, perinde ab eo atq; à iudicibus appellare licet. Qui autem ab arbitro probatos ex causa improbat, alios improbatos probat. Et qui sua uoluntate accipit fideiussores, contentus ijs esse debet, ut paulò superius quoque est dictum. Porro si procurator agat, & præsens sit absentis seruus: seruo cauendum, non procuratori. Quo autem cautionis genere cauendum, utrum fideiussoribus, an pignoribus, an uerò nuda repromissione, ali-

bi dicetur, ubi de prætorijs stipulationibus in genere
 agetur. De loco cautionis illud tenendum, quod regu-
 lariter quidem ibi satisfaciendum sit, ubi agitur: nisi
 forte satisfactionem non facile ibi præstare reus pos-
 sit: tunc enim potest audiri, si in alio loco satisfacere
 sit paratus. Quod tamen ita uerum est, si necessaria
 sit satisfactio. Si autem satisfactio uoluntaria est, non
 in alium locum remittitur: nec enim moretur, qui ip-
 se sibi necessitatem satisfactionis imposuit. Idem di-
 cendum, si missio iam legatario in possessionem, cum
 per heredem stetit quo minus caueret, hæres po-
 stulet ut possessione decedat, paratumq; se dicat in
 municipio cauere: nam impetrare non debet. Di-
 uersum, si sine culpa aut dolo eius legatarius missus
 sit in possessionem. Is autem qui satisfactionis nomine
 aliò mitti desiderat, de calumnia iurare debet hoc
 modo: Romæ se satisfacere non posse, & ibi posse quò
 postulat remitti: idq; se non calumnie causa facere.
 Sic autem non est compellendus iurare, alibi se, quàm
 eo loco, satisfacere non posse: quia si Romæ non pos-
 set, pluribus autem locis posset, cogeretur peierare.
 Planè quibusdam hoc iusiurandum de calumnia re-
 mittitur: ueluti parentib; & patronis. Non aut simpli-
 citer is qui satisfactionis gratia aliò mitti desiderat,
 hoc impetrare debet, sed causa cognita. quid enim, si
 cum erat eo loco, quò se mitti desiderat, noluit caue-
 re: hoc casu non debet impetrare: cum per eum stete-
 rit,

rit, quo minus ibi, ubi desiderat, satisfdaret. Porro satisfdatione præstita, si non præstatur id de quo cautum est, actio aduersus fideiussores ex stipulatu committitur. Quod tamen ita uerum est, si non uiciosè cautum uel satisfdatum sit. hoc enim casu cautum non uidetur, ut supra diximus. Promde minori uiginti quinque annis fideiussori & mulieri succurritur. Et si falso procuratori satisfdatum est, stipulatio non committitur: nisi forte dominus postea mandauerit, uel ratum habuerit id quod suo nomine gestum est. Planè dies in stipulatione omissus satisfdationem non uiciat: sed in stipulationis arbitrio est, qua die præstari uelis quod est promissum: moderato tamen spacio de hoc à iudice statuendo. Hæc de actione ex satisfdatione præstita: de qua tamen plura dicentur infra in capitibus sequentibus. Nascitur autem occasione satisfdationis oblata iniuriarum actio: nam qui pro rei qualitate euidentissimè locupletem, uel (si dubitetur) adprobatum fideiussorem iudicio sistendi causa non accepit: aduersus eum iniuriarum actio esse potest, quia sanè non quælibet iniuria est, duci in ius eum qui satis idoneum fideiussorem det. Sed & ipse fideiussor, qui non sit acceptus, tanquã de iniuria sibi facta queri poterit. Postremò qui in rato promisit, non uidetur peierasse, si ex iusta causa cautum non præstiterit. Hæc de cautionibus & satisfdationibus in genere sunt dicta: nunc de quibusdam cautionum speciebus

ſpecialiter tractabitur: nempe, Ratam rem haberi, iudicio ſiſti, & iudicatum ſolui.

RATAM REM HABERI, ET
de ratihabitione. CAP. X.

SI quis igitur alterius nomine actionē inſtituat, de rato cauere debet. Nam ita Prætor ait: Cuius nomine quis actionem dari ſibi poſtulabit, id ratum habiturum eum, ei ad quem ea res pertinet, uiri boni arbitrato ſatiſdet. Non autem diſtinguitur, quacunq; actione agatur. Proinde etſi ſtatus controverſiam alicui faciat procurator, ſiue ex ſeruitute in libertatē aduerſus eum quis litiget, ſiue ipſe ex libertate in ſeruitutem petat: debet cauere, ratam rem dominum habiturum. Is quoq; qui curatorem alicui abſenti petit, ratam rem eum habiturum neceſſe habebit ſatiſdare. Planè ſi procuratori opus nouum nunciatū ſit, iſq; interdicto utatur, ne ei uis fiat ædificanti: non cōpellitur cauere, ratā rem dominū habiturū: quia deſenſoris partes ſuſtinet, à quo cautio de rato nō exigitur, ut inferius dicitur. Sed etſi ſuo nomine procurator agat, de rato cauere nō tenetur: quod tamen interdum ſecus eſt: utputa iuſiurandum procuratori retulit, iurauitq; abſenti dari oportere: agit hoc iudicio ſuo nomine propter ſuum iuſiurandum (nec enim hæc actio domino competere potuit) ſed debeat de rato cauere. Sed etſi procuratori conſtitutum eſt, & ex ea cauſa agat, dubitandum nō eſt,

est, quin locus sit de rato cautioni. Si pater filij nomine iniuriarum agat, cum due sint actiones, una patris, altera filij, cessat de rato cautio. De dote tamen agens pater, ratam rem filiam habituram cauere tenetur. Actor etiam à tutore datus omnimodò cauet. Sed actor ciuitatis nec ipse cauet, nec magister uniuersitatis, nec curator bonis consensu creditorum datus. Interdum tamen, si de decreto dubitetur, ab actore uniuersitatis interponēda de rato cautio est. Præterea si uel dominus præsens sit, uel de mandato constet, procurator de rato cauere non tenetur. Ideoq; quamuis postea mutata uoluntate dominus procuratorem esse noluerit, tamen iudicium quo procurator expertus est, ratum esse debet. Si tamen minor uiginti quinque annis dominus mandauerit, nihilominus cauendum erit hoc modo: Si dominus in integrū restitutus fuerit, hæresue eius, aut is ad quem ea res, qua de agitur, pertinebit: quanti ea res erit, tantam pecuniam dari. Ante litis autem contestationem ratihabitioni: satisfactio à procuratore exigitur. Ceterum semel lite contestata, non compelletur ad satisfactio- nem: nisi fortè uel lite iam contestata procurator interueniat, uel falsus procurator probetur. Is quoque qui defensionem alterius nomine suscipit, de rato ca- uere non tenetur: dummodò iudicatum solui satisfdet. de qua re supra dictum est. Is tamen qui quasi defen- sor in rem actione conuenitur, præter solitam satisfda-
p s tionem

tionem iudicatum solui, etiam de rato debet cauere. Est & alius casus, quo quis eiusdem actionis nomine & de rato caueat, & iudicatum solui: ut puta postulata est cognitio de in integrum restitutione, cum minor circumscriptus in uenditione diccretur, alterius procurator extitit: debet cauere hic procurator, ratam rem dominum habiturum: ne forte dominus reuersus uelit quid petere. Item iudicatum solui: ut si quid forte propter hanc restitutionem in integrum prestari adolescenti debeat, hoc praestetur. Sed & si suspectus tutor postuletur, defensorē eius oportet etiam de rato cauere: ne reuersus ille uelit retractare quod actum est. Idem dicendum de eo qui absentem emptorem, eundemq; possessorem fundi defendit, & iudicium nomine eius accipit, postulatq; a uenditore fundi, ut ab eo defenderetur: hoc enim casu uenditori desideranti caueri sibi ratam rem emptorem habiturū, defensor de rato satisfacere debet: quia si fundū agenti restituerit, nihil prohibet dominum repetere, & cogi uenditorē rursus defendere. Postremo, postquam placuit inter omnes id quod inuicem debetur, ipso iure cōpensari si procurator absentis conueniatur, nō debet de rato cauere: quia nihil compensat, sed ab initio minus ab eo petitur. Porro non solum si quis alieno nomine agat, de rato cauere tenetur: sed & si quid emat procurator, aut uendat, aut locet, aut si ei soluatur, uel si paciscatur, uel stipuletur duplam,

Plam, damni infecti aut legatorũ nomine, uel quodlibet aliud absentis nomine gerat negociũ, stipulatio rem ratã haberi solet interponi. Quo enim tutiore loco sit qui cõtrahit, de rato solet stipulari. Nõ solum aut dominum ratã rem habiturũ caueri oportet, sed et eius heredes, aliosq; ad quos ea res pertinet. Ideoq; qui patris nomine iniuriarũ agit ob eam rem, quod filius eius uerberatus pulsatusue sit, in stipulatione cogendus est filij quoq; personã cõprehendere: præsertim cum fieri possit, ut pater antè decedat, quàm sciret procuratorẽ suũ egisse, & ita iniuriarũ actio redeat ad filiũ. Sed & si nepoti iniuria facta fuerit, & procurator aui propter hãc causam iniuriarũ aget: non solum filij, sed etiã nepotis personã cõprehendẽda erit in stipulatione. Quid enim prohibet & patrem & filiũ, antequã scirent procuratorẽ egisse, decedere: quo casu iniquũ est, fideiussores nõ teneri, nepote iniuriarum agente. Planè ceteros creditores, præter dominũ eiusq; heredes, aliosq; de quib. dominus cauere tenebatur, hęc uerba, Ad quem ea res pertinet: nõ continent. Hęc de ipsa cautione rem ratam haberi, dicta sunt: nunc de actione inde descendente est dicendum. Si itaq; dominus id quod gestũ est, ratũ non habuerit: cõmittitur ratam rem haberi stipulatio, & oritur ex stipulatu actio. Siue igitur dominus petat, siue compensatione utatur, committitur statim hęc stipulatio. Nã qualiter quis cundẽ actũ retractat, qui

qui à procuratore actus est: committi stipulationem oportet. Planè si dominus à sententia iudicis procuratore uicto prouocauit, stipulationis defecit conditio: cum ad auxilium commune superatus confugisset. Idem dicendum, si dominus minor uiginti quinque annis per in integrum restitutionem id quod gestum est, resciderit. Item quoties domino, quamuis ipse antea egisset, rursus agenti non obstat exceptio rei iudicatæ, non debet procuratori, si dominus actum non habuerit ratum. Ut puta procurator ad exhibendum egit, & cum aduersarius absolutus esset, quia non possidebat: cum possessionem eiusdem rei nactus esset, egit cum eo dominus ad exhibendum. Nam hoc casu procurator eiusque fideiussores non tenentur: quoniam hæc alia res est. & si dominus egisset, mox absoluto, quia non possideret, ex integro ageret: nõ obstat rei iudicatæ exceptio. Præterea si alius postea quam uerus dominus contra id quod gestum est, uenerit: rem ratam haberi stipulatio non committitur. quemadmodum in falso procuratore postea agente responsum est. Planè si, cum procurator cauisset ratam rem dominum habiturum, & dominus postea uendidisset eundem fundum, emptor fundum petierit: stipulationem ratam rem haberi committi, Iulianus scribit. Idem dicendum, si hæres domini, domino, antequam sciret negocium gestum esse, mortuo, ratum non habuerit, uel alius ad quem ea res pertinet, de

quo

quo dominus etiam cauere tenebatur. Rem autem ratam haberi hoc est, comprobare agnoscereq; quod actum est à falso procuratore. Nec tantum uerbis ratum haberi potest, sed etiam actu. Vnde si eam litem, quam procurator inchoauit, dominus comprobans persequatur, non est commissa stipulatio. Si tamen eo tempore ratum habuerit dominus, quo iam agere amplius non potest, ista rati habitione nihil agitur. Nam cum procurator ab eo aes alienum exegerat, qui tempore liberaretur, et ratam rem dominum habiturum cauerat: deinde post tempus, liberato iam debitore, dominus ratam rem habuerat: posse debitorem agere cum procuratore, Africanus existimauit: hoc argumento, quod si nulla stipulatio interposita fuisset, condictio locum aduersus procuratorem habitura erat: in locum autem conditionis interponi stipulationem. Idem Africanus respondit, bonorum possessionem ab alio agnitam ratam haberi oportere eo tempore, quo adhuc in ea causa sit, ut peti possit. Itaque post centesimum diem ratam haberi non posse. Planè licet procurator talis sit factus, ut per eum amplius agere dominus non possit, puta furiosus uel mortuus: nihilominus quod antea per eum gestum est, ratum haberi potest. Præterea ratum habere dominus debet, cum primum certior factus est: quod tamen cum quodam spacio temporis accipi debet: sicut in legato, cum de repellendo quaereretur,

spa-

spacium quoddam temporis adsumitur, nec minimum
 nec maximum, et quod magis intellectu percipi, quam
 locutione possit exprimi. Si autem semel ratum habue-
 rit dominus gestum à procuratore, quamuis ratione
 minorennis ætatis aduersus id in integrum restitui pe-
 tat, tamen stipulatio de rato non committitur nisi forte et
 de casu in integrum restitutionis in stipulatione ratiha-
 bitionis nominatim sit cautum. Ratum autem dominus habe-
 re non uidetur, non solum si aduersus stipulatorem agat,
 sed etiam si à stipulatore conuentus eo nomine compensa-
 tione uel deductione utatur. Non autem committitur sti-
 pulatio, si dominus ab alio quam qui de ratum habendo sti-
 pulatus est, petierit: dummodo nihil intersit eius qui
 stipulatus est ab alio peti. Alioquin si quis uni ex reis
 promiserit rem ratam dominum habiturum, aut amplius
 eam non peti: dicendum est, stipulationem committi, si
 ab eo petatur, qui eiusdem obligationis socius est, uel
 à fideiussore. Non autem distinguitur, utrum debitam, an
 indebitam pecuniam procurator, qui de rato cauit, ac-
 ceperit. Nam utroque casu, domino ratum non habente,
 stipulatio committitur. Planè si aliam rem postea petat
 dominus, quam procurator antea petierat: ex stipulatu
 de rato agenti exceptio nocebit: nisi forte cum pro-
 curator totum antea petiisset, dominus postea partem
 petat. Idem dicendum, si procurator iudicium de heredi-
 tate ediderit, deinde dominus fundum ex ea hereditate
 petierit: quia si uerus procurator fuisset, exceptio
 rei iudicatae dominum submoueret. Plerumque au-
 tem

Item stipulatio ratã rem haberi cõmittitur his casib. quib. si uerus procurator egisset, domino aut ipso iure, aut per exceptionem actio inutilis esset. Planè etsi dominus ratum non habuerit quod à procuratore gestum est, & ob id ipso iure stipulatio sit cõmissa: si tamen postea pœnitentia ductus ratum rursus habuerit, ex stipulatu de rato agenti doli mali exceptio nocet. Vnde si dominus à proposita actione destiterit: Paulus putat non cõmitti stipulationem Amplius non peti. Sed & si is qui de rato cauit, successerit ei quem ratum habiturum promisit, de rato stipulatio non committitur. Planè si dominus de eadem re egerit, quamuis litem amiserit, nihilominus stipulatio cõmittitur. dominus tamen procuratoris defensionem suscipiens, non inutiliter doli mali exceptione aduersus debitorem utetur: quia naturale debitum manet. Sed & hoc casu, quo dominus rursus agens succubuit, nõ nisi impendia litis in actionem ex stipulatu de rato ueniunt. Præterea stipulatio de rato inutilis efficitur, si cum procurator antea alicui status controuersiam mouisset, ideoq; de rato cauisset, dominus postea rursus agens obtinuerit, & stipulator seruus eius fuerit iudicatus: cum etsi quæ fuisset actio, eam domino adquisiuisse intelligeretur. Postremò si semel actione proposita actum sit, rursus agenti obstabit exceptio: nisi fortè ex alia causa agatur. Nam in id committitur stipulatio, quod intersit agentis.

Et

Et ideo sæpius ex ea stipulatione agi potest, prout inter sit agentis quod litigat, quod consumit, quod aduocat, quod damnatus soluit: sicuti in stipulatione damni infecti accidere potest, ut is qui stipulatus sit, subinde agat. Cauet enim, si quid ibi ruet, scindetur, fodietur, edificabitur. Finge ergo, subinde damnum dari: non erit dubium, quin agere possit. Nam si toto damno computato tunc agendum est: propemodum non antè aget, quàm dies stipulationis præterierit: intra quem si damnum datum sit, stipulatori cautum erit. Quod uerum non est. Hactenus an, si dominus ratum non habuerit quod à procuratore gestum est, committatur de rato stipulatio, & ex stipulatu actio competat, discussum est. nunc reliquæ huius actionis circumstantiæ perpendendæ sunt: quibus scilicet, item aduersus quos competat? quid in ea ueniat petendum? quando detur? quiq; sint eius euentus? Si quis igitur stipulatus fuerit, Titium heredemq; eius ratum habiturum, & Titius pluribus heredibus relictis decesserit: is solus tenetur, qui non habuit ratum, isq; solus ex heredibus stipulatoris aget, à quo fuerit petitum. Venit autem in hac actione id quod actoris interest, id est, quantum ei abest, quantumq; lucrari potuit. Proinde quamuis debitã pecuniam dominus exegisset ac percepisset: licet procurator nihil perceperit, nihilominus stipulatio de rato committitur: quia uero procuratore agente, exceptionem rei iudicatæ

uel

uel similem nactus fuisset, & ita debitam etiam pecu-
 niam potuisset retinere. In hac autem stipulatione nō
 est cogitandum rei promittendi uel stipulandi com-
 pendium, sed quid intersuerit eius qui stipulatus est,
 ratum haberi quod gestum est. Ideoq; & impendia li-
 tis in hac actione ueniunt tum prioris tum postero-
 ris iudicij. Quod tamē stipulator pœnae nomine præ-
 stitit, actione proposita non repetit: puta cum procu-
 rator in rem ageret, cautionem dedit ratam rem do-
 minum habiturum: postea uicto eo reuersus dominus
 iterum de eadem re egit, & cum reus haberet posses-
 sionem, nolletq; eam restituere, magno condemnatus
 est: in amplius fideiussores non tenentur. hoc enim
 non debet imputari fideiussoribus, quod ille propter
 suam pœnam præstitit. Sed etsi procurator quinqu-
 aginta petijt, & dominus centum petat: tenebuntur
 fideiussores in quinquaginta tantum, & quanti in-
 tersuit differri quinquaginta actionem. Planē quo-
 ties pœna stipulationi subiecta est: non amplius que-
 ritur, quanti stipulatoris intersit rem ratam dominū
 habuisse, sed quanta sit pœna stipulationi inserta. I-
 deoq; quāuis dominus pro parte ratū habuerit, pro
 parte ratum nō habuerit: nihilominus in solidum pœ-
 nae stipulatio cōmittitur: licet aliās nō nisi pro ea par-
 te, pro qua dominus ratum nō habuisset, cōmittere-
 tur. Si tamē uel stipulator uel promissor plurib. hære-
 dib. relictis decesserit, ex quib. unus ratum nō habue-
 rit;

rit, uel ab uno fuerit petitum: non nisi pro eius parte pœnalis quoq; stipulatio cōmittitur. Nunc quādo cōpetat hæc actio, uidendum. Quo loco sciendum, non antè competere hanc actionem, quàm constet dominum ratum nō habuisse. Si tamen indebitum procuratori solutum sit, agi statim ex hac stipulatione aduersus procuratorem potest, ut ratum habeat dominus, quo possit dinosci, utrumne domino condici debeat id quod indebitum solutum sit, si is ratū habeat: an uerò procuratori condicendum sit, si dominus ratum nō habeat. Planè interdum, etsi cōstat dominum ratum nō habere id quod à procuratore gestum, tamē actio proposita inhibetur, donec posterius iudicium à domino susceptum fuerit finitum: puta si procurator alicui status controuersiam mouit, & succubuit: hoc enim casu domino rursus de eadem re agente stipulatio quidem committi uidetur: sed non antè ex ea agi poterit, quàm de libertate iudicatum fuerit: quia si seruus sit iudicatus, inutilis fit stipulatio, ut paulò superius dictum est. Postremò, quod ad euentus propositæ actionis pertinet, sciendum, quòd dominus qui solutionem procuratori factā ratam non habet, pecuniam quam à procuratore accepit, conditione indebiti eidem restituere teneatur. Procurator autem qui indebitam pecuniam exegit, domino solutionem ei factam ratam non habente, cōdictione indebiti non tenetur: cum in locum condi-

tionis

tionis interposita sit de rato cautio. Hæc de ratihabitione eiusq; actione sint dicta.

IUDICIO SISTI.

CAP. XI.

Altera iudiciariæ cautionis species est, iudicio sisti. Nam reus conuentus, siue in rem siue personali actione cõueniatur, iudicio sisti cauere tenetur, quòd in iudicio. uel per se uel p̄ procuratorem permansurus sit usq; ad terminũ litis. Sed & dominus qui seruum in crimine capitali defendit, sistendum eum satisfdato promittere iubetur. In noxali quoq; actione dominus seruum iudicio sisti promittere. uel iudicium pro eo accipere cõpellẽdus est. Regulariter aut̄ qui iudicio sisti cauere tenetur, nõ nisi datis fideiussorib. liberatur. Possessores tamẽ immobiliũ rerũ satisfdare nõ cõpelluntur. Possessor aut̄ is accipiẽdus est, qui in agro uel ciuitate rẽ soli possidet aut ex assc. aut pro parte. Sed et qui uectigalẽ uel emphyteuticum agrum possidet, possessor intelligitur. Item qui solam proprietatem habet, possessor intelligendus est. Eum uerò qui tantum usumfructum habet, possessorem non esse, Vlpianus scripsit. Creditor quoque, qui pignus accepit, possessor non est, tametsi possessionem habeat aut sibi traditã, aut precario debitori cõcessam. Sanẽ si fundus in dotẽ datus sit, tã uxor q̄ maritus propter possessionẽ eius fundi

q a pos.

possessores intelliguntur. Diuersa est causa eius qui
 fundi petitionem personalē habet. Tutores quoq; pu-
 pilli nomine conuenti, siue pupilli corū, siue ipsi pos-
 sideant, possessorum loco habentur. Sed & si unus ex
 tutoribus possessor fuerit, idem dicendum erit. Posses-
 sori aut̄ prodest possessio, ne ad satisfdandū teneatur,
 quamuis res litigiosa sit, & cum ei possit. Possessor
 enim quis necne sit, tempus cautionis spectandū est.
 Et sicut ei qui post cautionē uendidit, nihil obest: ita
 nec prodest ei qui post cautionē possidere cœpit. Por-
 rō præter possessores rerum immobilium satisfdare quo-
 que non cōpelluntur uiri illustres, item ij qui in sa-
 cris scrinijs militant, & ministeriani Cesaris, nec non
 scholares. Qui tamen omnes, licet satisfdare nō com-
 pellantur, iuratoriam cautionem præstare tenentur.
 Nūc per quos & quales iudicio sisti satisfdari debeat,
 uidendum. Qui igitur satisfdant, pro rei qualitate fi-
 deiussorem locupletem dare debent: exceptis neces-
 sarijs psonis: ibi .n. qualiscūq; sufficit: ueluti pro pā-
 rēte, pro patrono, pro patrona, liberisue suis: uel uxo-
 re, nurūuc. Et in eum qui nō accepit, cum sciret eā ne-
 cessitudinem personarum, quinquaginta aureorum
 iudicium competit: quoniam pro locuplete accipi-
 tur fideiussor in necessarijs personis. Et hæc quidem
 intelliguntur, si quis pro necessarijs suis fideiusserit,
 quòd admittendus sit hic fideiussor qualiscunq;. Idem
 dicendū, si quis nō pro suis, sed pro necessarijs ipsius
 acto-

actoris in ius uocatis fideiussert. Nam ita Prætor ait: Si quis parentem, patronum, patronam, liberos, aut parentes patroni, patronæ, liberòsue suos, eumue quem in potestate habebit, uel uxorem, uel nurum in iudicium uocabit: qualiscunq; fideiussor iudicio sistēdi caussa accipiatur. Quod ait Prætor, Liberòsue suos: accipimus & ex fœmineo sexu descendentes liberos. Parenti quoq; datur hoc beneficium, nō solum si sui iuris, sed etiamsi in potestate sit alterius. Et filius fideiussor pro patre fieri potest, etiamsi in alterius potestate sit. Nurum & pronurum & deinceps accipere debemus. Quod ait Prætor, Qualiscunq; fideiussor accipiatur: hoc quantum ad facultates, id est, etiam non locuples. Alias autem non sufficit locupletem esse fideiussorem facultatibus, nisi etiam locuples sit cōueniendi facilitate: de qua re dictum quoq; supra cap. 9. Porro si agens in rebus cōueniatur, fideiussorem de eadem schola, non extraneum offerre cōpellitur, quem defensor loci estimauerit. Si quoq; ministerianus Cesaris cōueniatur, actuarium, uel ex sua schola aliquem fideiussorē dare potest. Si item alius scholaris, eiusue uxor, mater aut liberi conueniatur, aliquis ex eius schola fideiussor dari potest. Postremò clericus cōuentus œconomum dare fideiussorem potest. Hactenus per quos & quales iudicio sisti satisfādum sit, adeoq; de ipsa satisfadatione iudicio sisti satis est dictum. Nunc de actione quæ ex hac satisfadatione

seu cautione proficiscitur, est dicendum. Si quis igitur
 iudicio sisti satisfecerit, uel alio modo cauerit: si qui-
 dē nō sistatur reus in iudicio, regulariter cōmittitur.
 iudicio sisti stipulatio, & ex stipulatu oritur actio. In-
 dem dicendum, si sistatur quidē, sed nō in ea causa, in
 qua fuit tēpore cautionis. Nā si quis quēpiā iudicio
 sisti promiserit, in eadē causa eum debet sistere. In ea
 dem autē causa sistere hoc est, sistere ut actori, persecu-
 tio loco deteriore nō sit: quāuis exactio rei possit esse
 difficilior. Licet. n. difficilior exactio sit: tamē dicēdū
 est, uideri in eadē eum causa stitisse. Nā etsi nouū es
 alienū cōtraxisset, uel pecuniā pdidisset, uideretur ta-
 mē in eadē causa stitisse. Ergo & q alij iudicatus si-
 stitur, in eadē causa sisti uidetur. Sanē qui nouo priu-
 legio utitur, nō uidetur in eadē causa sisti. Idē dicen-
 dū, si seruus sisti promissus promissoris esse deserit,
 uel actio amissa sit: uel is q pari loco erat in litigādo,
 coeperit esse duriore, uel loco uel psona mutata. Itaq;
 si seruus ei q in foro promissoris cōueniri nō pōt, ue-
 ditus, aut potētiori datus sit: magis est, ut nō uideatur
 in eadē causa sisti. Sed etsi noxæ deditus sit, Ofiliis nō
 putat in eadē causa sisti: cū noxæ deditio ceteris
 noxalē actionē perimi putet. Sed alio iure utimur. nā
 ex precedentib. causis nā liberatur noxæ deditus. p-
 inde enim noxa caput sequitur, ac si uenisset. Si autē
 seruum in eadē causa sistere quis promiserit, & liber
 factus sistatur: siquidē de ipso cōtrouersa est capita-
 lium

Num actionū iniuriarumq; nomine, nō rectè sistitur:
 quia aliter de seruo supplicio & uerberib. satisfit, ali-
 ter de libero uindicta sumitur, uel cōdemnatio pecu-
 niaria. Quod uerò ad ceteras noxales causas ptinet,
 etiā in meliorē causam uidetur puenisse. Sed si statu-
 liberū sisti promissum sit, in eadē causa sisti uidetur,
 quāuis liber sistatur: quòd implicitus ei casus liberta-
 tis fuerit. Qui duos homines in iudiciū sisti promisit,
 si alterū exhibeat, alterū nō: ex promissione nō uide-
 tur eos stitisse, cū alter corū nō sit exhibitus. Si q; ta-
 men ancillā sistere promiserit, quæ pregnās erat: etsi
 sine partu eā sistat, in eadē causa eā sistere intelli-
 gitur. Is quoq; q non iusto tēpore sistit, quasi nō stitcrit
 actione proposita tenetur. Iustum aut tēpus sistendi
 illud est, de quo inter stipulantē et promittentē cōue-
 nit. Sin aut nihil de eo conuenerit, arbitrio iudicis il-
 lud moderādum pmittitur. Prætor tamen uicena mil-
 lia passuum in singulos dies dinumerari iubet, præter
 eum diem, quo cautum promittitur, et in quem siste-
 re in iudicium oportet. Talis enim itineris dinumera-
 tio neutri litigatorum onerosa est. Sed etsi post tres
 aut quinq; pluresue dies, quā iudicio sisti se reus
 promisit, secum agēdi potestatem fecerit, nec actoris
 ius ex mora deterius factum sit: equū est dici, defendi
 eum debere per exceptionem. Qui autem apud acta
 exhibiturū se esse promisit, etsi officio nō caueat, ad
 exhibendum tamē cogitur. Idem dicendum de eo qui

inuenturum se spopoderit: nã & hic ad exhibendum tenetur. Is quoq; qui, cum iudicio sisti satisfacere non teneretur, nihilominus satisfecit: si nõ stiterit, tam se q̄ fideiussores suos obligat. Interest tamẽ hoc casu, utrum per errorem satisfecit promissum sit, an ex cõuentione. Si per errorem, danda fideiussoribus exceptio: si ex cõuentione, minimẽ danda. Nam & Iulianus scribit: Si iudicio sistendi causa pluris quã statutum est per ignorantiam promissum fuerit, exceptionem dari debere: si autem ex cõuentione tantẽ summã promissio facta sit, exceptionem pacti cõuentioni replicatione infirmendam. Quoties uerò seruus iudicio sistendi causa, ut ipse litigaturus, uel ab alio stipulatur, uel ipse promittit: nec committitur stipulatio, nec fideiussores tenentur: quia seruus conueniri uel conuenire non potest. Idem dicendum & si quis alij, qui agere non potest, fideiussorem iudicio sistendi causa dederit. Procurator tamen domini sui nomine utiliter iudicio sisti stipulatur, siue poenam adijciat, si status non fuerit, siue non adijciat: nam hoc posteriore casu, si non sistatur, nõ procuratoris, sed eius cuius negocium gestum est, interesse spectatur: ut quantum domini litis interfuit sisti, tantum ex ea stipulatione nõ stato reo procuratori debeatur. Idẽ dicendũ, et quidẽ fortius, si procurator ita stipulatus esset. Quãti ea res erit: ut hãc cõceptionẽ uerborũ nõ ad ipsius, sed ad domini utilitatẽ relatã interprete-

pretenitur. Porro aduersus actionē propositā exceptio
 datur ei, qui cū ad iudiciū uenire uolebat, à magistra
 tu retentus est, & retentus sine dolo malo ipsius. nā si
 ipse hoc adfectauit, uel causam præstitit, non prode-
 rit ei exceptio. Ac ipsius quidem dolus ei oberit, cæte-
 rorum non oberit, qui dolo malo fecerunt, ut retine-
 retur. Sed si priuatus eū detinuerit, nullo modo pro-
 derit hæc exceptio: sed actio ei datur aduersus eum
 qui eum detinuit, in id quod eius interest: nisi forte
 ab aduersario sit detentus. Sed & si seruus aduersarij
 domino sciente, & cum posset non prohibente, dolo
 fecerit, quo minus reus in iudicio sistat: danda exce-
 ptio est aduersus dominum, ne ex dolo serui dominus
 lucretur. Si uero sine uoluntate domini seruus hoc
 fecerit, noxale iudicium dandum est, nec factum ser-
 ui domino obesse debet: nisi hætenus, ut ipso careat,
 quando ipse nihil deliquit. Sed & si duo rei stipulan-
 di sint, & uni debitor iudicio se sisti cum pœna pro-
 miserit, alter autem impedierit: exceptio aduersus
 alterum reo danda est, si socij sint: ne profit ei dolus
 propter societatem. Præterea si iudicio sistendus ua-
 letudine, uel tempestate, uel ui fluminis prohibitus
 se sistere non potuit, exceptione adiuuatur: quia etiā
 lex xli. Tabul. si iudex uel alteruter ex litigatoribus
 morbo fontico impediatur, iubet diem iudicij esse
 diffusum. Tempestatem autem hoc loco intelligere
 debemus, siue marina, siue terrestris sit: & talem,

que impedimento sit itineri uel navigationi. Vis fluminis etiã sine tempestate accipienda est, si magnitudo eius impedimẽto sit, siue pons solutus sit, uel nauigiũ non stet. Si quis tamẽ, cũ posset nõ incidere in tempestatem, uel in uim fluminis, si antè profectus esset, uel tempore opportuno nauigasset, ipse se art.auerit: exceptio ei deneganda erit, causa tamen cognita. Nam neq; sic arctandus est, ut possit ei dici: Cur nõ multo antè profectus es, q̃ dies promissionis ueniret? neq; iterum ei permittendũ, si qd sit quod ei imputetur, causari tempestatẽ uel uim fluminis. Quid enim, si cũ Romæ esset, ipso tempore promissionis sistendi, nulla necessitate urgente, uoluptatis causa in municipium profectus sit? nõne indignus est, cui exceptio patrocinetur? Aut quid, si tempestas quidẽ in mari fuit, terra autẽ iste potuit uenire, uel flumen circumire? æquẽ dicendum est, non semper ei exceptionem prodesse: nisi angustie non patiebantur terra iter metiri, uel flumen circumire. Præterea si uel flumen sic abundasset, ut impleisset omnem locum, in quo sisti oportuit, uel aliqua fortuita calamitas eundem locũ euertisset, uel præsentiam uenienti periculosam fecisset: ex bono & æquo etiam hinc exceptio ei accommodãda est. Sed & si mulier, quam sisti oportuit, grauida sit: exceptionem ei dandam, Labeo ait. Idem dicendum, si post partum decubuerit, quasi ualitudine impedita sit. Idem est & si quis furere cœperit: nam qui furore in-

re impeditus est, ualetudine impeditur. Sed & si is quē sisti oportuit, reipub. causa abesse cœperit: exceptio deneganda non est, præterquã si seruus reipub. causa abesse dicatur: hic enim reipub. causa abesse nequit. Si quis item municipalis muneris causa sine dolo malo suo impeditus, in iudicio secundum suã promissionem non stitit: æquissimum est, ei exceptionem tribui. Simili modo, etsi ad testimoniũ desideratus, ad iudicium occurrere nõ potuit, erit ei subuentendum. Sed & si quis rei capitalis antè condemnatus iudicio sistere se nõ potuit, meritò et huic ignoscitur. Rei autè capitalis condemnatũ accipere debemus, qui morte exilioue coercitus est. Dixerit aliquis: Quò ergo hæc exceptio damnato? respondebitur, fideiussori eius esse necessariam: aut fortè in exiliũ abiit, & defensori eius exceptio ista proderit. Dãnato autè hæc exceptio datur, non etiã capitis reo factò nondũ damnato. Planè si uinculis uel custodia militari impeditus, ideo nõ stitit: in ea erit causa, ut exceptione utatur. Præterea si quis funere domestico impeditus nõ uenit, debet et exceptio dari. Item si quis in seruitute hostiũ fuit, ac per hoc in iudicium non stitit, debet exceptione adiuuari. Sed & si decesserit, qui fideiussorem dedit iudicio sistendi causa: nõ debebit Prætor iubere exhiberi eum. Quòd si ignorans iusserit exhiberi, uel post decretũ eius ante diẽ exhibitionis decesserit: deneganda erit actio. Si autem post diem exhibitionis decesserit,

aut

aut amiserit ciuitatem, utiliter agi potest: nisi forte actio, ob quam sisti reus debuit, morte eius fuerit extincta. Sed etsi pro condemnato fideiussert, & condemnatus decesserit, aut ciuitatem Romanam amiserit: rectè nihilominus cum fideiussore eius agetur. Idem est et si dolo fideiussoris uel promissoris reus ante diem perierit. Planè si quis pro alio sponderit sub pœna, quatenus eum intra certum tempus tradat, & tempore existente representare eum non possit: liberatur à pœna promissa, si uel postea intra sex menses eum exhibeat, uel eum defendere sit paratus: dum tamen in hoc posteriore casu contrarium non conuenierit, uel usq; ad finem iudicij eum defendat, uel deniq; sex menses, intra quos eum tempore elapso exhibere potuit, non sint elapsi. Sanè reo latitante, ita demum fideiussores eum defendere uidebuntur, si uel unus ex his eum pro solido defendat: uel omnes, uel quidam ex his unum procuratorem dederint, in quem iudicium transferatur. Sed plura de absente defendendo uide infra cap. prox. Præterea si tutor iudicio sisti promiserit, & stipulationi non obtemperauerit, & interea pupillus adoleuerit, aut mortem obierit, aut etiam abstentus sit ab hæreditate: denegabitur & ex stipulatu actio. nam & ipsius rei, quæ petebatur, si tutor iudicatus fuerit, & eorum quid acciderit, non esse dandam in eum actionem iudicati, probatum est. Sed etsi cum alio de ipsa re, cuius nomine

iudicio

iudicio sisti promissum est, agatur, hæc ex stipulatus actio denegatur: puta, si duo rei promittendi sint, & unus ad iudicium non uenerit, cõtemp̃ta sua promissione iudicio sistendi causa facta, actor autem ab altero rem petat: ab altero pœnam desertionis petendo exceptione submouebitur. Aequè si à patre facta fuerit promissio iudicio sistendi causa ex filij cõtractu, deinde de re actor egerit cū filio: exceptione submouebitur, si cū patre ex eius promissione agat. Contrà idem erit, si filius promiserit, & actor egerit cum patre de peculio. Etsi autem principalis actio, cuius nomine iudicio sisti cautum est, per exceptionem elidi potest: nihilominus proposita actio competit. Sic si cum iudicio sisti promiserò, qui iam tempore liberatus esse dicatur: quamuis fortè iam actione non teneatur, actio tamen in me danda est, ut uel exhibeam cum, uel defendam ut ueritas inquiretur. Non tamen exigimus reum iudicio sisti, si de negotio, propter quod iudicio sisti promiserit, fuerit transactũ. Sed hoc ita, si modò prius id negociũ transactum fuit, quàm sisti oporteret. Ceterum si postea transactum est, exceptio doli opponi debet. Quis enim de pœna promissa laboret post negotium transactum? cum transacti negocij exceptionem putauerit quis nocere, quasi etiam de pœna transactum sit: nisi contrarium specialiter partibus placuerit. Causa autem, ob quam iudicio sisti promissum est, ante diem exhibi-

exhibitionis finita, non committitur iudicio *sisti* sti-
 pulatio, quamuis & alia actio eidem contra eundem
 competeret: nisi fortè temporalis actio, si non stite-
 rit, ob hoc in periculum caderet. Hactenus exceptio-
 nes, quæ actioni ex stipulatu iudicio *sisti* obijci pos-
 sunt, enumeratæ sunt: quarum tamen plures infra suis
 locis proponuntur. Sed hæ exceptiones ita demum com-
 petunt, si non illis specialiter per pactum sit renuncia-
 tum: nam illa generalis conuentio in stipulatione ap-
 posita, ne ulla exceptio obijciatur, nihil operatur.
 Etsi autem seruum quis in iudicio *sisti* promiserit, uel
 alium qui in aliena potestate est, iisdem exceptionibus
 utitur, quibus si pro libero uel patrefamilias fideiuf-
 sisset: præterquam si reipub. causa diceretur abesse. Nã
 seruus reipub. causa abesse non potest, ut supra quoque
 dictum est. Porro actio proposita ita demum ad hære-
 dem stipulatoris transit, si et principalis actio, ob quam
 iudicio *sisti* cautum est, heredibus eius competit: alio-
 quin heredibus non datur, quemadmodum exemplo
 iniuriarum actionis Paulus ostendit. Idem dicendum
 de heredibus promissoris, ut hac actione ex stipula-
 tu non teneantur, nisi & principalis actio aduersus
 eos transfret. Secundum quod, etsi fideiussores dati
 erunt, minimè dabitur in eos actio mortuo reo, si non
 post longum tempus decesserit: alioquin ad iudicium
 uenisset, & litem cum eo contestari actor potuisset.
 Præterea si contra promissum reus non stiterit, in tan-
 tum

tum actio datur, quanti ea res erit. quod ueram quantitatem continet, nisi certa quantitas in stipulatione sit adiecta. Itaq; siue in duplum est actio, cuius nomine cautum est, siue tripli, siue quadrupli tanti fideiusfor tenetur, quanti res esse intelligetur. Planè si quis reum criminis, de quo satisfecit, non exhibuerit, poena pecuniaria plectitur: & si dolo nõ exhibeat, etiam extra ordinem est damnandus. Sed si neque in cautione, neque in decreto Præsidis certa quantitas comprehensa est, ac ne consuetudo quidem ostenditur, quæ certam formam habeat: Præsides de modo pecunie, quæ inferri debet, statuet. Hæc de eo, quid ueniat in actione proposita petendum. De tempore autem huius actionis instituendæ illud notandum, si intra sex menses post commissam iudicio sisti stipulationem fideiusfor reum sistere paratus sit, interim actionem hanc inhibendam esse. Etsi autem homo sisti promissus ante diem dolo promissoris perijt: non tamen antè poena ex stipulatu peti potest, quàm dies promissionis uenerit: tota enim stipulatio in diem collata esse uidetur. Hæc de cautione iudicio sisti, eiusq; actione sint dicta. cuius ad fine remedium est, ut sisti promissus ad iudicium retrahatur inuitus, uel actor in bona eius mittatur, & alia, quæ supra suo loco exposita sunt. Nunc de tertia cautione, iudicatum uidelicet solui, dicendum est.

I N S T I T U T I O N U M
I U D I C A T U M S O L V I .

C A P . X I I .

VNde cautio hæc iudicatum solui sit appellata; facile est intelligere. Namque stipulabatur quis, ut solueretur sibi quod fuisset iudicatum. Reum autem conuentum iudicatum solui satisfacere debere, supra diximus. Quod tamen ita uerum est, si per alium reus iudicium suscipiat. alioquin si per se ipse iudicium sustineat, ad propositam cautionem præstandam non compellitur, siue in rem siue personali actione conueniatur: quanquã iure antiquo in actione in rem aliter obseruabatur. Sed & reus qui immobilia bona possidet, quamuis per procuratorem defendatur, iudicatum solui satisfacere nõ tenetur: uerum sufficit nuda repromissio: de qua re copiosius supra capite proximo dictum est. Sanè si reus iudicatum solui non satisfecit, saltem defensor eius ad eandem satisfactionem præstandam tenetur. Siquidem nemo defensor in aliena re sine satisfactione idoneus esse creditur: nec obstat, quãuis sub gestorũ testificatione procurator factus sit. Sed etsi filius defendit absentẽ patrẽ, uel contra pater filium, satisfacere iudicatum solui debet. Etsi locupletissimus uel consularis sit, non uidetur defendere, nisi satisfacere fuerit paratus. Procurator quoque actoris; si ei ab aduersario in ipso litis exordio defensionis allegatio fuerit opposita, quasi absentis in hac parte procurator satisfactionem super

exci-

excipienda lite prestare cogitur: qua non precedente, lis que ei data est, ulterius procedere à iudice nō conceditur. proinde is qui ad communi diuidundō iudicium datus est agendum, idem ad defendendum quoq; uidebitur datus, duplici cautela interponēda. Planē tutores & curatores pupillum uel adultū defendentes, iudicatum solui satisfacere non tenentur. Idē dicendum de domino, qui serui sui nomine noxali iudicio conuenitur. Is tamen qui alienum seruum suum esse fatetur, & ideo noxali actione eius nomine conueniri potest, ad satisfaciendum causa cognita tenetur. Postremō satisfactionis propositæ ad fine remedium est, rei litigiosæ sequestratio: de qua re supra suo loco dictum est. Hactenus de ipsa satisfactione iudicatum solui diximus. nunc de actione eius est dicendū. Cuius triplex causa est. Nam iudicatum solui stipulatio tres clausulas in unum collectas habet: de re iudicata, de re defendenda, & de dolo malo. Competit ergo actio proposita, si uel id quod iudicatum est, non soluatur, uel reus non defendatur, uel deniq; quid in defendenda causa dolo malo sit commissum: puta si in cautione de rato heredum personæ dolo promissoris sint omisse. Ut autē actio proposita competat, necesse est ut utiliter stipulatio iudicatum solui fuerit interposita: nam quoties uiciosè cautum uel satisfactū est, non uidetur cautum. Proinde ex stipulatione alterius actori actio est deneganda: nisi fortē procurator, tutor

f uel

uel curator ipsius sit stipulatus. Procuratorē autē acci-
 pere debemus, cui mandatum est, siue huius rei tantum
 mandatū suscepit, siue etiam uniuersorū bonorū. Sed
 et si ratum fuerit habitū, procurator uidetur. Item si,
 antequam mandarē tibi ut fundum peteres, satis acce-
 peris petiturus fundum, & postea mandatu meo age-
 re institueris, fidciussores tenentur. Quamuis autē ex
 liberis, uel ex parentibus aliquis interuenerit, uel uir
 uxoris nomine, à quibus mandatū non exigitur: non
 tamen cōmittitur stipulatio, nisi fuerit ei mandatum,
 uel ratū habitum. quòd enim eis agere permittitur e-
 dicto pratoris, non facit eos procuratores. Itaq; si ta-
 lis persona interueniat, ex integro erit cauendū. Sed
 & quod de tutore diximus, ita accipiendū, si is fuerit
 qui tutelam administrabat. Sed si tutor non esset, tu-
 toris appellatione non continebitur, quinimo etsi tu-
 tor fuerit, non tamen quasi tutor negociū administra-
 uerit, uel dum ignorat, uel ex alia causa: dicendū erit,
 non cōmitti stipulationē. Nam edicto Pratoris illi tu-
 tori agendi facultas datur, cui à parente, maiore uel
 parte tutorū eorum, uel cuius de ea re iurisdictio fuit,
 tutela permissa erit. Item si tutor esse proponatur re-
 gionis alicuius uel prouinciae, uel rerū Italicarū: con-
 sequens erit dicere, stipulationē ita demū committi, si
 ex ea causa egerit, quae ad administrationē earū per-
 tinebat. Postremò curatorem accipiemus furiosi uel
 furiose: item pupilli, pupillae, ceterorūq; puta adole-
 lescentis,

defcentis, uel si alterius cuius curator sit: nam his casibus ipsi cuius cura gesta est, committetur stipulatio. Hæc de eo, si alius quàm actor iudicatus solui sit stipulatus: Præterea extinguitur stipulatio hæc, si petitor post satisfactionem ante iudicium acceptum hæres possessori extiterit. Sed & si defensor absentis in dominum postea iudicium transtulerit: fideiussores ob rem iudicatam, quos defensor dedit, non tenebuntur, sed nec pignora que dederunt. Secus tamen, si ex parte actoris translatio litis fiat: tunc enim dicimus, committi iudicatum solui stipulationem à reo factam: nec interest, dominus, an procurator satis acceperit. Sed etsi à domino uel procuratore in procuratorem iudicium transferatur: non dubitatur, quin committatur stipulatio. Præterea si quis ad aliquem iudicem iturus stipulatus est iudicatum solui, & aget apud alterum, non committetur stipulatio: quia non huiusmodi iudicis sententia fideiussores se subdiderunt. Idem dicendum, si cum, quod Sempronius iudex iudicasset, solui satisfactum esset, reo sententia Sempronij absoluto; & appellatione ab actore interposita, iudex appellationis rem condēnauerit: hoc enim casu non committitur iudicatum solui stipulatio, nisi forte ei quod Sempronius iudicasset, adiectum sit: Qui uel in eius locum substitutus erit. Sed et si fuero à fideiussore procuratoris stipulatus iudicatum solui, quasi in rem acturus, & postea in personam egero, uel alia actione acturus aliam

dictauero: non committitur stipulatio: quia de alio ~~de~~
 etum uidetur, de alio stipulatio interposita est. In hac
 stipulatione, quia plures cause sunt una quantitate
 conclusæ, si committeretur statim stipulatio ex uno ca-
 su, amplius ex alio comitti non potest. Vtputa, si cum
 reus rem non defenderet, postea ex eremodicio sen-
 tentiam sit passus: ob rem iudicatam clausula non co-
 mittitur: quia ob rem non defensam stipulatio com-
 missa esset: non aliter ac si, cum quis stipulatus esset,
 Si naus ex Asia uenerit, aut si Titius consul factus fue-
 rit: naus prior ex Asia uenerit: hoc enim casu com-
 missa semel stipulatione, quamuis postea Titius quo-
 que consul factus fuerit, amplius tamen ea non com-
 mittitur. Planè si unus ex fideiussoribus ob rem non
 defensam conuentus sit, deinde postea ea res defen-
 datur: alter fideiussorum ob rem iudicatam conue-
 niri potest. Et si reus promittendi duobus heredibus
 relictis decesserit, alter rem non defendat, alter defen-
 dat: is qui non defendit, ob rem non defensam conue-
 niri potest: ille qui defendit, ob rem iudicatam. quonia in
 unius eiusdemq; persona non posse committi has duas
 clausulas creditur, et semper praualet rei iudicate
 clausula, eaq; sola committitur. Vt aut committatur
 iudicatum solui stipulatio, non sufficit cum ea perso-
 na acceptum esse iudicium, quæ stipulatione compre-
 hensa est: sed oportet etiam causam persone eandem
 esse, quæ stipulationis interponende tempore fuit. Et
 ideo;

LIBER SECVNDVS. 267

ideo, si is qui procurator datus est, heres extiterit domino, atq; ita acceperit iudicium, siue etiam prohibitus acceperit, non committitur stipulatio. Nam & alias responsum est, si quis absentem defendens satisfecerit, deinde uel procurator ab eo datus, uel postquã heres ei extiterit, iudicium acceperit: fideiussores nõ generi. Idem dicendum, si cum tutor pro pupillo iudicatum solui satisfecisset, tutela postea sit finita, & actio in ipsum pupillum transferatur: maxime si pro absente pupillo uel pro infante satisfecit. Porro cum supra dixerimus, etiam ob rem non defensam committi iudicatum solui stipulationem: hæc regula præter exceptiones hæctenus enumeratas, & alias recipit speciales, de quibus nunc dicetur. Nã stipulatio hæc, Quãdiu res non defendatur: simulatq; defendi cœperit, aut defendi debere desierit, resoluitur. Sed qualis defensio exigatur, ne committatur stipulatio, & quarum personarum, uidendum est. Et sanè, si extrinsecus persona defensoris interueniat, hoc est eius qui proposita actione conueniri non potest, neq; procurator ab eo qui potest conueniri, datus est: stipulatio committitur, si non & ipse iudicatum solui satisfecerit, nisi forte à stipulatore sine satisfactione admittatur. Nam si eum qualemcunque stipulator admiserit: consequens erit dicere, stipulationis istius nullam partem committi: quia sibi imputare debet, qui talem defensorem admisit. Sed etsi ante acceptum iudicium pro-

r ; curator

curator datus prohibitus fuerit à domino, uel aliã
 causa eius mutata sit: siquidem actor ignorã causam
 eius mutata esse egerit: non aliud dici potest, quã
 stipulationem committi. Sin uerò sciens egerit, stipu-
 latio non committitur. Ceterum si ex fideiussoribus,
 qui iudicatum solui cauerant, existat defensor: placuit
 ob rem iudicatam stipulationem non committi, cæte-
 raq; eadem esse, atq; si extraneus defensor existat. Idẽ
 dicendum, uno ex pluribus hæredibus, alijs cessanti-
 bus, defensionem suscipiente. Planè si plures fideiusso-
 res defendere fuerint parati, non sufficit ut unusquis-
 que eorum pro parte sua defendat, uel defensorem
 substituat: sed nisi quisq; in solidum defendat, uel unũ
 dent procuratorẽ omnes (desiderante scilicet hoc a-
 ctore) cõmittetur stipulatio ob rem nõ defensam. Nã
 & plures hæredes necesse habebunt unũ dare procu-
 ratorẽ: ne defensio per plures scissa incõmodo aliquo
 adficiat actorẽ. Aliud est in hæredibus actoris, quibus
 necessitas non imponitur, ut per unũ litigent. Planè si
 aduersarius plures intẽdat actiones, & in singulas sin-
 guli existant defensionem suscipere parati: absens re-
 ctè uidetur defendi. Ex his patet, non uideri rem bo-
 ni uiri arbitrato defendi, quæ non in solidum defensa
 sit: ideoq; committi ob rem non defensam stipulatio-
 nem. Sed & illud sciendum est, ibi rem esse defenden-
 dam, ut rectè defendatur, ubi debet agi. Porro si plu-
 res fuerint fideiussores, posteaquam cum uno lis con-
 testata est ex clausula ob rem non defensam, ipse reus
 potest

potest suscipere defensionē. quo casu is, cum quo actū fuerit, absolui debet. Iam tamē fideiussore, qui iudiciū acceperat, dānato, frustra defensionē reus suscipit. Ceterū et si solutū fuerit, postquā iudicatū est, repetitio erit eius quod solutū est. Si tamē ex duobus fideiussorib. qui iudicatū solui sponponderant, alter ob rem nō defensam partē suā soluerit, nihilominus res defendi poterit: nec tamē is qui soluerit, repetet: stipulatio enim pro parte eius perēpta est, perinde ac si acceptū ei factū fuisset. Postremò nō uidetur defendere, qui in iure interrogatus nō respondet. Haftenus de eo, si res defendatur, an et quatenus ob rē nō defensam stipulatio nō cōmittatur, dictū ē. nūc si res nō defendatur, quatenus stipulatio nō cōmittatur, uidēdū. Et sanē ob rē nō defensam stipulatio nō cōmittitur, quādiu pōt existere q̄ defendat. Existere uerò q̄ defendat pōt, quādiu lis ex stipulatione nō fuerit cōtestata. Sed etsi iustam causam reus habeat, cur iudiciū accipere nolit, actio ob rē non defensam deneganda erit: quia uir bonus arbitraturus nō est, ut q̄ iustā excusationē adferret, defendere cogeretur. Planē quāuis reus, postq̄ iudicatū solui promisit, demēs factus sit, nihilominus stipulatio cōmittitur, si nemo eū defendat. Idē dicēdū, quāuis reus post iudicatū solui stipulationē in magistratu sit, nec inuitus in ius uocari possit: nā nisi res boni uiri arbitrato defendatur, fideiussores tenētur. U. alijs aut casib. qb. Praetor accipere iudiciū nō cogit,

res non uidebitur indefensa esse. Ideoq; si fortè lis finita fuerit, ad quã defensio erat necessaria, uel solutione, uel transactione, uel acceptilatione, uel quo alio modo: consequenter placuit, euanescere ob rem non defensam clausulam. Planè si seruus, qui in rem actione petebatur, lite contestata decesserit, deinde possessor litem deseruerit: nihilominus fideiussores pro lite defendenda dati tenentur, quamuis res litigiosa in rerum natura esse desierit: quoniam expedit de euictione actionis conseruandæ causa, item fructuũ nomine rem iudicari. Sed etsi reus, pro quo satisfatum est, soluendo esse desierit, stipulatio nihilominus re non defensa committitur. Quoties aut per actore steterit, quo minus res defendatur, non committitur stipulatio. Ideoq; si eum hominẽ, quem à Titio petierã, pro quo satis de lite acceperam, Titius liberum heredemq; reliquerit: siquidem reuera ipsius fuit, dicendum est, iudicium in eum transferri: & si non patiatur id fieri, committi stipulationẽ. Si aut meus petitoris fuerit, neq; iussu meo hereditatẽ adierit, fideiussores tenebuntur ob rem non defensam. Si aut adierit me iubete: stipulatio euanescit. Sed et si meus fuerit, et idcirco differã aditionẽ, ut cum uicero, tunc eum iubeã adire, & interim ob rem non defensam agere uelim: nõ committetur stipulatio: qã uir bonus nõ arbitraretur. Postremo de ultima clausula iudicatũ solui stipulationis, hoc est, dolũ malũ abesse abfuturũq; esse: notandum, quod

quod et in futurū tēpus permanens factū demōstret. Verbum enim Abfuturūq; esse, plenissimū est, et ad omne tempus refertur, ut si aliquo tempore non abfuerit dolus (quoniam uerum sit non abfuisse) cōmittatur hęc clausula, etiam ex dolo hęredis. Sin autem adiectum sit, Si huiusmodi rei dolus malus nō aberit, quanti ea res erit, dare spondes: etiā ob extranei dolum promissor de pœna tenebitur. Doli autem mali clausula, sicut reliquę stipulationes, in quibus tempus nominatim adiectum non est, ad principium stipulationis refertur. Hactenus de causis, earumq; exceptio nibus, actionis ex stipulatu Iudicatum solui. Sequuntur nunc reliqui huius actionis loci: et primū, Quibus ea detur. Proinde si procurator meus Iudicatum solui satis accepit, mihi ex stipulatu actio utilis est: sicut iudicati actio mihi indulgetur. Sed etsi agat procurator meus ex ea stipulatione me inuito, nihilominus tamen mihi ex stipulatu actio tribuetur. Que res facit, ut procurator meus ex stipulatu agendo exceptione debeat repelli: sicut cum agit iudicati non in rem suam datus, neq; ad eandem rem procurator factus. Nam licet procuratori commissā sit stipulatio, tamen domino erit danda utilis ex stipulatu actio, directa penitus tollenda. Hęredibus quoq; datur, et aduersus hęredes, non tamē omnibus, nec aduersus omnes: sed ijs duntaxat qui uicissent, aduersus uictos: hisq; aduersus quos res defensa non esset, ad-

Aduersus
quos datur.

r s uersus

uersus eos qui rem non defendissent. Non aut̄ quem-
 admodum ex stipulatione procuratoris domino da-
 tur utilis ex stipulatu actio, ut dictum: ita quoq; ex
 promissione procuratoris aduersus dominum actio
 danda est. Nam si procurator meus iudicatum solui
 satisfecerit, in me ex stipulatu actio non datur. Sed
 etsi defensor meus satisfecerit, in me ex stipulatu a-
 ctio non datur. quia nec iudicati mecum agi potest.
 Porro iudicatum solui stipulatio expeditam habet
 quantitatem: in tantum enim committitur, in quantum
 iudex pronūciauerit. Quilibet autem fideiussorum
 non nisi pro parte uirili tenetur. Ceterum in hac sti-
 pulatione post rem iudicatā statim dies cedit: sed ex-
 actio in tēpus reo principali indultū differtur. Quo-
 ties autē ex stipulatione iudicatum solui ob rem non
 defensam agitur cum fideiussoribus, nō est iniquum
 cauere dominum priore iudicio absolui: quia omissa
 cautione fideiussores mandati iudicio non consequē-
 tur, aut certē cogentur dominum priore iudicio de-
 fendere. Quod autem hoc iudicio fideiussores pre-
 stiterunt, mandati iudicio recuperant: nisi (ut dictum
 est) cautionem ab actore non exegerint de reo prin-
 cipali priore iudicio absoluendo, uel eum non defen-
 derint. Quamuis autem sine mandato defensionem
 rei principalis susceperint et uicti sunt, utiq; quod
 ob rem iudicatam prestiterunt consequentur. Sum-
 ptus tamen litis minimē petent, Si autem obtinue-
 rint,

Quid &
 quantum ue-
 niat in ea?

Quando
 detur?

Euentus.

*vint, poterunt & sumptus litis consequi: quasi iuxta
mandatum, etsi non mandatum fuerit. Si uerò fi-
deiusfor defensionem sibi specialiter non mandatam
omiserit, ob id mandati iudicio domino non tene-
bitur: in quantitatem enim interuenit, & hoc illi fuit
mandatum, non in defensionem. Postremò de iu-
dicatum solui stipulatione & hoc notandum, quòd
per eam actio iudicati non nouetur: quia hoc solum
agitur hac stipulatione, ut & fideiussoribus cau-
tum sit, non ut ab obligatione iudicati discedatur.
In arbitrio itaque actoris est, utrum ex stipulatu, an
iudicati actione agere uelit. Hactenus de cautioni-
bus in iudicio præstandis, adcoque de actibus iudi-
ciorum litis contestationem præcedentibus dictum
est. Sequitur nunc de litis contestatione, & actibus
iudicialibus qui eam consequi solent.*

Ad fine re-
medium.

DE LITIS CONTESTATIO-
ne, deq; iureiurando ob calumniam
dando, & alijs huiusmodi
iuramentis.

CAP. XIII.

Litis contestatio definitur, quòd sit, cum iudex
p narrationē negocij causam audire cœperit,
quā litis cōstitutionē seu statū cause Rhetores
appellant:

Quid sit R.
tis cōtestat
tio?

Quando lis
cōtestāda?

De iuramē
to calum-
nia.

Ex quibus
causis iurā-
dum de ca-
lumniā?

appellant: ea quomodo sit faciēda, aliās copiosius ex-
stendi. Tempus autem litis cōtestandæ definitur post
viginti dies ab editione libelli, ut interim reo facultas
sit deliberandi, & exceptiones dilatorias, si quas pu-
tet se habere, obijciendi, uel transigendi: ultra duos
menses tamen litis contestatio differenda nō est. Lite
autē contestata, statim, antequam ad alia procedatur,
iuramentum calumniæ præstandum est, etiam aduer-
sario illud remittente. Idq; ideo, ne homines faciliē ad
litigandum procedant, sed ut sacramenti timore con-
tentiosa litigantium instantia compescatur. Non so-
lum autem in primordio litis hoc iusiurandum præ-
standum est, sed etiam quoties probatio ab aduersa-
rio exigitur, exigens eam prius de calumniā iurare
debet, quod non causam differendo huiusmodi alle-
gationem proposuerit, siue propter literas fuerit cer-
tatum, siue propter instrumenta, siue quæstio seruo-
rū exposcatur, siue quid aliud, in quo necessitas pro-
bationis incumbit. Ideoq; si quis ab argentario ratio-
nes sibi edi petierit, iurare debet. Sed et si quis aduer-
sario deferat iusiurandum litis decisorium, ipse prius
de calumniā iurare tenetur: de qua re infra suo loco
plura dicentur. Planè ne quis sæpius in eadem lite iu-
rare cogatur, iuramento calumniæ in primordio li-
tis præstando apponi debet hæc clausula generalis:
Si quando (per totam scilicet litem) probationes ab
aduersario suo requirat, quod non per causam id fa-
ciat

ciat extrahende litis, sed quia reuera sibi necessariã fore ab aduersario suo exhibendam probationem arbitretur. quo iureiurando generali semel præstito, deinceps à iurãdo liberatur quis, quamuis multas ab aduersario probationes requisierit. Porrò iuramentum calumniæ præstant actor simul & reus, aduocati, tutores & curatores utriusq; partis, sed & iudex ipse. Actor quidem iurare debet, non calumniandi animo litem se mouisse, sed existimando se bonam causam habere. Reus autem iurabit, quòd putans se bona instantia uti ad reluctandum peruenerit. Sed & uterq; tam actor quàm reus, generale illud iuramentum, de quo iam dictum est, præstabit, scilicet quòd non protrahẽde litis animo, sed quòd reuera sibi necessarium putet, probationes ab aduersario sit expecturus. Sed & uterq; iurabit, quòd nihil penitus uel iudicib. patrociniij gratia, uel cuiusq; alij personæ ex eadem causa quocunq; modo dederit promiseritue, aut postea daturus sit uel per se uel per quamcunq; aliam personam, exceptis his quæ aduocatis suis pro aduocatione præbẽt, aut alijs quibus leges dari permittunt. Vtriusq; partis aduocati iurare debẽt, quòd omni uirtute sua, omniq; ope, quod iustum & uerum existimauerint, clientibus suis inferre procurabunt, nihil studij relinquentes, quod sibi possibile est: non autem cõdita sibi causa cognita, quòd improba sit, uel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus

Qui de calumnia iurare debent?

Quid iurandum?

bus composita, ipsi scientes prudētesq; mala conscientia liti patrocimabuntur. Sed & si certamine procedente aliquid sibi tale cognitum fuerit, à causa recedent, ab huiusmodi communionē sese penitus separantes. In litibus, qui per tutores aut curatores agitantur, iuramenta quidem tutores aut curatores subibunt, sed nullo ex hoc præiudicio generando ijs, quæ sub tutela uel cura eorum degunt. Postremò iudices iurabunt, omnimodo sese eum ueritate & legum obseruatione iudicium disposituros: & ante sedem iudiciale sacrosanctæ Scripturæ deponi iubentur, & permanere usq; ad litis terminum, & definitiue sententiæ recitationem. Hoc autem iuramento calumnie iurat quisq;, quod credit & existimat uerum & iustum esse, licet causæ natura forsitan alia est. Porro

Ubi iurandum? quamuis hoc iusiurandū in iudicio regulariter præstari debeat: tamen propter dignitatem uel sexum personæ in domo litigatoris sacramentum præstant, altera parte uel procuratore eius præsentē. Quod dicendum quoq; est, si litigator ob aduersam ualitudinem uel aliam similem causam ad iudicem uenire non possit. Sed etsi eum abesse contingat in alijs locis, apud præsidem aut defensorem eius loci, quo degit, iusiurandum præstare iubetur. Quanquam autem

Quib. præsentibus iurandum? aduersario uel eius procuratore præsentē iusiurandum præstandum est: tamen si mulier sit, quæ propter honestatem uitæ extraneis se uiris ostendere

stendere non consuevit: tunc & absente aduersario nisi cohortales iuramentum ab ea suscipient. Hoc iuramentum perinde ac alia tactis sacrosanctis Euan-gelijs præstandum est statim (ut diximus) in litis primordio, lite iam contestata. Quòd si actor noluerit subire sacramentum hoc, actio ei denegatur. Sin autem reus hoc sacramentum subire recusauerit, in ijs capitulis, quæ narratione comprehensa sunt, pro confesso habetur, & licet iudicij sententiam proferre, prout ei & ipsa rei qualitas suggererit. Hæc omnia pro ueteris calumnie actione introducta sunt, quæ in desuetudinem abiit, & in partem decimam litis actorum multabat.

Quomodo iurandum?

Euentus iuramenti præstandi.

Ad fine rei medium.

DE PROBATIONIBVS.

CAP. XIII.

Lite contestata, iuramentoque calumnie præstito, sequitur probatio: qua deficiente, contra cum cui probandi onus incumberebat, sententia ferenda est, quamuis instrumenta periisse conueratur, neque apud eos qui rem gestam ignorauerunt, amissorum instrumentorum habita testatio ad probationem ueritatis quidquam prodesse potest. Planè si quis in seruitutem petatur, instrumentorum furtum monstrare sufficit. Sed et confessio aduersarij à probandi onere releuat: quoniã confessus pro iudicato habetur, ut infra suo loco docebitur. Potest quoque is, cui probandi onus incumbit, aduersario iusiurandum

An probandum?

Utri probatio incumbat?

de rei ueritate deferre, ut uel iuret uel iusiurandum referat: de quo infra etiam dicetur. Quoties autem queritur, utri probatio incumbat, actorine, an reos hæc in ea re sequenda regula est, ut affirmanti, non neganti probandi onus imponatur. Ei enim incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. proinde is qui uoluntatem mutatã dicit, hoc probare debet. Et qui dolo dicit factum aliquid (licet in exceptione) docere debet dolum admissum esse. Planè regula hæc suas habet exceptiones, quarum prima hæc est: Si is qui negat, antea fuerit confessus in scriptis uel sine scriptis: hoc enim casu postea rursus neganti probatio incumbit. Nimis enim indignũ esse indicatur, ut quod sua quisq; uoce uel scriptura dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioq; proprio resistere. Planè si quis indebitum quasi debitum promiserit uel cauerit generaliter, non adiecta causa, ex qua debeat: si postea debitum fuisse negauerit: non ipsi neganti, sed affirmanti debitum fuisse probatio incumbit. Secus, si specialiter causas, ex quibus debeat, in cautione expressit. Sed & is qui exceptione non numeratæ pecuniæ utitur, quamuis se eam pecuniam debere cauerit, & ita sibi numeratam quodammodo confessus sit: tamen probandi onere releuatur, & qui numeratã eam dicit, probare tenetur: præterquam si argentario cautum sit: hic enim, si ei agenti non numeratæ pecuniæ exceptio obijciatur;

nume-

numeratam eam esse probare nō habet necesse. Præterea qui indebitum cōdicit, quamuis id quod soluit, debitum fuisse neget: tamen id quod negat, probare tenetur. Quia præsumptio pro eo est qui accepit. Qui enim soluit, nunquam ita resupinus creditur, ut facile suas pecunias iactet, & indebitas effundat. Si tamen reus, cui indebitum solutum condicitur, solutionem sibi factam negauerit, fueritq; conuictus: tunc postea debitum fuisse affirmanti probatio incumbit, non neganti. Etenim absurdum est, eum qui ab initio negauit pecuniam accepisse, postquam fuerit conuictus eam accepisse, probationem non debiti ab aduersario exigere. Sed & si is qui indebitum soluisse dicitur, uel pupillus sit, uel minor, uel mulier, uel fortè uir quidē perfectæ ætatis, sed miles, uel agri cultor, & forensium rerū expers, uel aliàs simplicitate gaudens, & desidiæ deditus: tunc is qui accepit pecunias, ostendere debitas ei fuisse solutas, & si non ostēderit, eas redhibere debet. Sed hoc ita, si totam summam indebitam fuisse solutam, is qui dedit, cōtendit. Si autem pro parte queritur, quòd pars pecuniæ solutæ debita non est, uel quod ab initio quidem debitum fuit, sed uel dissoluto debito postea ignarus iterum soluit, uel exceptione tutus errore eas pecunias dependit: ipse omnino hoc ostendere debet, quòd uel plus debito persoluit, uel iam solutam pecuniam per errorem repetita solutione dependit: uel tutus excep-

tionē

ptione nesciens suam proiecit pecuniã: secundum generalem regulam, quæ eos qui opponendas esse exceptiones affirmãt, uel soluisse indebita cõtendunt, hæc ostendere exigit. Præterea in cõdictione indebiti reo incumbit probatio debitum fuisse, non actori indebitum condicenti, si non quidem solutio, sed cautio tantum indebiti cõdicatur: nisi fortè actor causas speciales, ex quib. debeat, cautioni inseruerit, de quo paulo superius dictum est. Et hæc quidè de cõdictione indebiti. Sed et neganti, nõ affirmanti probatio incumbit, si præsumptio sit pro affirmãte: nam hic est præsumptionis effectus, ut aduersariũ probandi necessitate oneret: cuius exemplum iã in cõdictione indebiti propositũ est: in hac enim regulariter præsumptione pro eo esse qui accepit, dictũ est: ideoq; negãti debitum, nõ affirmãti, probatione imponi. Huc accedit, quod Vlpianus dicit: Cum ex præsumptione libertas præstata esse uidebitur, hæredis est contrariã uoluntate testatoris probare. Insuper iustum negãti, nõ affirmãti probatio incumbit. Nã ita Paulus: Ab ea parte, quæ dicit aduersariũ suũ aliquo iure prohibitũ esse, specialiter lege uel cõstitutione id probari oportet. Et alibi idẽ Paulus: Si qs neget (inquit) emancipatione ritè factã, ipsum præstare debere probatione. Huius ratio est, quòd aliquo facto posito, quod ipso iure actione uel exceptione pariat, præsumitur illud et in casu proposito eandẽ uim habere, nisi contrariũ doceatur.

teatur. Præterea si filius in potestate patris se esse neget, ipsi negati probatio incumbit; cum pro patre sit præsumptio: quemadmodum et si quis ex seruitute in libertatē proclamet, seruūq; se esse neget liberū se esse probare debet. Sed et si falsum dicatur in instrumentū, tã neganti q̄ affirmati probatio à iure imponitur. Sanè ex eo solo neganti probatio imponi non debet, quòd affirmas se probare nō posse cōtendat: sed si nō probauerit, causa cadit: nisi fortè aduersario iuraturū dum deserat: hoc. n. casu negans aut iurare debet, aut iurandum affirmanti referre, aut causa cadere: de qua re infra suo loco dicetur plura. Porro quæadmodum affirmati, nō neganti probatio incūbit: ita quoque actor actionē et reus exceptionē suā probare debet. cuius tamen utriusq; eadē sunt exceptiones, quas iam enumerauimus. Hactenus utri probandi onus incumbat, dictum est: nunc p̄ quæ probatio fieri possit, uidentum. Et sanè quatenus per instrumenta & testes probatio fiat, dicetur in capitib. sequentibus. Nō solū autem per hæc probatio fit: sed etiam signis, alijsq; argumentis similibus, iudici fides fieri potest. proinde & fama probat: & scriptura domestica alijs aduinculis adiuta pro scribente probandi uim habet, quanquā per se sola ad probationē nō sufficit. Cōfessio quoq; aduersarij in epistola uel alia scriptura, alioue modo facta, contra confitentem probatio- nis uim obtinet non minimam: contra quam tamen

Per quæ
probandū:

3 2 probatio

probatio in contrarium admittitur. Itaque si contra-
 rium fuerit probatum, confessio ipsi confitenti non
 præiudicat: nisi fortè iudicialis sit confessio, non ex-
 tra iudicialis: cōtra hanc enim nō admittitur proba-
 tio in cōtrariū, sed cōfessus pro iudicato habetur. de
 qua re infra copiosius tractabitur. Sed & si testator
 in testamento uel codicillis ex causa depositi uel alia
 simili se debere scripserit, et adiecerit se iurasse quòd
 uelit restituere: credēdū est scripturæ, nec in cōtrariū
 admittitur probatio. Planè si sine iurisiurādi mentio-
 ne cōfessus sit: in cōtrariū probatio admittitur. Quo
 probato, debiti quidē actio negatur, sed ex fideicom-
 misso actio superest. de qua re infra in legatis dicetur
 copiosius. Sed et si testator iureiurādo modū patrimo-
 nij sui declarauit, ei standū est, etiā si cōtrarium pro-
 bari possit: creditorib. tamen ipsius defuncti ex hoc
 nullum præiudicium generatur. Planè si testator ei
 qui ex testamento capere non potest, se debere scri-
 pserit: in fraudem legis confessio à testatore facta
 præsumitur. idcōque alijs probationibus deficienti-
 bus, huic scripturæ testatoris fides nulla est adhiben-
 da. Sed & si procurator debitoris scripserit, omnia
 creditoribus esse soluta: non probat contra procu-
 ratorem, quasi nihil ei à domino debeat. Item si in
 instrumento super alia re facto alterius instrumen-
 ti mentio fiat: ex hoc non introducitur obligatio, ut
 ea quæ in altero instrumento continentur, exigi pos-
 sint.

sint: nisi alterum illud instrumentum exhibeatur, uel alio modo debitum probetur. Epistolæ quoque probationis uim habent, non autem obligationis. Ideoq; probatio in contrarium admittitur. Ex solutione quoque & alio simili actu interdum debitum præsumitur. Vnde si constat defunctum usuras soluisse, heredem quoq; tam ad sortem quam ad usuras soluendas obligatum esse probatur. Inter alios tamē res gesta, alijs non præiudicat. Ideoq; licet quidam de hæredib. partem quasi debiti hæreditarij soluerint, cæteri tamen cohæredes ob hoc ad solutionem, nisi debitum fuerit probatum, urgeri non debent. Factū uerò defuncti præiudicat eius hæredibus, ut iā dictum est. Planè solutio partis uel usurarum præsumptionē tantum debiti facit, nō aut obligationem. Ideoq; si contrarium fuerit probatum, solutio semel atq; iterum per errorem facta soluenti non præiudicat. Census quoq; et monumenta publica probandi uim habet, et quidē ipsis testibus potiozem. In summa, quæ argumēta cuique rei probandæ sufficiāt, nullo certo modo satis de finiri pōt. Sicut nō semper, ita sæpe sine publicis monumentis cuiusq; rei ueritas deprehenditur. aliās numerus testium, aliās dignitas & authoritas, aliās ueluti cōsentiens fama cōfirmat rei, de qua quæritur, fidē. Itaq; iudex non utiq; ad unā probationis speciem cognitionem statim alligare debet, sed ex sententia animi sui existimare cum oportet, quid aut credat, aut

parum probatū sibi opinetur. Sanè de eo, an quis filius alicuius sit, probādo Imp. Antoninus: Probationes (ait) quæ de filiis dātur, nō in sola affirmatione testiū cōsistunt: sed & epistolas, quæ uxorib. missæ allegantur (si de fide earum cōsistat) nonnullā uicem instrumentorum obtinere, decretum est. Planè sola professio uel adseueratio nuncupantium filios, ius filiationis nō tribuit, sed presumptionē quandā facit, quæ cōtrariā probatione possit elidi: quemadmodum & professio matris iratæ filium spurium dicētis ueritati nō præiudicat. Quod ad subiectum partem probandum attinet, sciendum, non faciliè credendum subiectū eum, quem ambo parētes dicuntur charum filium habuisse. De libertate & ingenuitate probanda hæc regulæ in iure traduntur: quòd patris, aui uel auic, necnō et fratris libertate probata, ex eo filij uel nepotis uel fratris libertas nō probetur: cum in liberali causa matris, nō patris uel fratrum inspiciatur cōditio. itē, quòd soli testes ad ingenuitatis probationē nō sufficiāt. Origo cuiusq; nō sola nominis similitudine probatur, sed ex ipsis rebus probationes sumendæ sunt. Cum de ætate hominis queritur, rescriptum extat, durum & iniquum esse, diuersis professionib. prolatis, ei potissimum stare, quæ noceat: sed causa cognita ueritatē excuti oportere, & ex eo potissimum annos cōputari, ex quo præcipuè fidem in ea re cōstare credibilis uidetur. Aetas autē probatur ex natiuitatis scriptura,

aut

aut ex alijs demonstrationib. legitimis. Matris quoq; profectio de etate filiorum recipitur: sed & aui recipienda est. Solutio debiti probatur, si in rationib. creditoris scriptum sit solutū esse: sed & si chirographū debitori redditum sit: dummodò nō cōtra uoluntatē creditoris. Sed et probatur solutio p̄ apochā, de quo infra cap. prox. itē triū annorū cōtinuorū solutione p̄sionis uel usurarū probata, etiā p̄cedentiū annorū pensiones solutæ p̄sumūtur. Per testes quoq; solutio probari potest, dummodò si in scriptis sit cōtractū, per quinq; testes idoneos & summæ atq; integræ opinionis, qui p̄stō fuerint solutioni celebratæ, probetur. Si tamē uel sine scriptis contractū sit, uel apocha casu fortuito amissa probetur, etiā pauciores testes in probāda solutione sufficiūt. Præterea cū queritur, an q̄s malæ fidei possessor sit? probatio nulla est, si dicatur illum in re cōparanda stipulatione euictio nis sibi prospexisse. Dominium rerū probatur nō solum instrumentis, sed etiā quibuscunq; alijs argumentis & iudicijs. Ad probationem tamen dominiij non sufficit locatio ei facta, qui postea dominiij controuersiam mouet: cum inscientia dominiij propriij & errātis nullum habeat consensum. Liberatio siue remissio debiti per quæ probetur, exponetur alibi, ubi de liberationib. tractatur. Sed & rescriptum est, cā per hoc p̄sumi: cum creditor defuncto debitori sepius ex alia caussa soluiisset, nec sui crediti compensationem

unquam desiderauerit. De matrimonio probando illud cauetur in iure, quod non solum tabulis, sed et personis comparatis, uitaque coniunctione considerata, pendendum sit. In publico crimine probando requiruntur idonei testes, uel apertissima documenta, uel indicia indubitata et luce clariora. Dolus quoque ex indicijs perspicuis probari debet, quanquam interdum ex ipso facto dolus apparet. ut in eo qui rem alienam domo inuito surripit, uel homicidium facit, aliud uel delictum uel crimen committit: hoc enim dolo ab eo factum esse praesumitur: nisi contrarium probetur. Sed et in contrarium causis interdum factum ipsum dolum praese fert. Sic dolus est, si procurator nolit persequi, quod persequi potest: aut si non exegerit, quod exigere potest: aut si nolit soluere, quod exegerit. Sic dolo facit, qui petit quod redditurus est. Plane ex quantitate precij dolus a uenditore commissus non praesumitur, nec qualitas causae principalis dolum in transactione commissum esse arguit. In eo, an memoria operis extet, probando si sufficit testimonium de auditu: et cum omnium haec est opinio, nec audisse, nec uidisse, cum id opus fieret, neque ex his audisse, qui uidissent aut audiuissent, et hoc infinite similiter sursum uersum accideret: tum memoriae facti operis non extare credendum est. De naufragio cum quaeritur, debet examinari duo uel tres de nauis, qui melius scire possunt ueritatem. eis aut omnibus ob interitum deficientibus, ex liberis nauarum

uel

uel magistrorum nauis inquisitio facienda. Postremò, tacita fideicommissa frequenter sic deteguntur, si proferatur chirographum, quo se cauisset is cuius fides eligitur, quod ad eum ex bonis defuncti peruenerit, restitutum. Sed & ex alijs probationibus manifestissimis idem fit. In summa, quæ argumenta cuiq; rei probande sufficiant, nullo certo modo (ut antea quoque diximus) satis definiri potest. Ideoq; hæc res arbitrio iudicis permittenda. Nunc ad reliquas probationis circumstantias transeundum. Et quod ad tempus probationis attinet, sciendum, exceptionem à reo oppositam, siue peremptoriam siue dilatoriam, tunc demum probandam, cum actor suam probauerit actionem: si modò uel ius uel factum actionis à reo fuerit negatum. quanta uerò & quoties probationum causa dilatio danda sit, dictum supra de dilationibus. de tempore itaq; probationis nunc nihil amplius dicitur. Sequuntur euentus probationis. quorum primus est, quod si fuerit probatum, quod aduersarius negauerat, uel aduersarius ipse postea fuerit confessus: in duplum aduersus inficiantem detur actio: nisi forte inficianti iusiurandum sine probatione delatum sit, isq; postea malit confiteri quod antea negauerat, quam iurare: hoc enim casu à dupli pœna eximitur, & tantum ad impensas litis tenetur. Similiter si quis, cum antea negasset, postea dicat se soluisse: non in duplum condemnandus est, cum simplum soluerit, sed in

s 5 alterum

alterum tantum. Sed & actor, qui literas suas à reo propositas negauerit, fueritq; cōuictus, litem perdit, & alterum tantum insuper soluit. Tutor quoq; & curator negans, non pupillus uel is qui sub cura est, & cuius causa agitur, punitur. Quamuis autem poena inficiationis soluta sit, p hoc tamē nō minuitur poena altera, quae iure actionis uel dupli, tripli uel quadrupli debetur. Planē si in rem agatur, reusq;, postquam negauerat, rursus confiteatur, aliq; exceptione utatur: non nisi translatione possessionis à se in actorem punitur. Sed & in legatis & fideicommissis, si is à quo legatū uel fideicommissū relictū esse dicitur, postquā relictū à se negauerat, cōfiteatur à se relictū, sed exceptiōe uelit uti: omnino soluere cogendus est. Haec si fuerit probatū, uel ab aduersario confessum, quod prius negatum est. Si autem non fuerit probatum id quod ab aduersario negatum est: is cui probandi necessitas incubuit, causa cadit: nisi fortē aduersario iusiurādū detulerit, isq; iurare nolit, neq; iusiurandū referat: uel referat quidē, & is cui relatū est iurauerit. hoc enim casu etiā nō probās obtinebit. de qua re infra suo loco dicentur plura. Idem dicendum, si à iudice causa cognita non probanti iusiurandum deferatur. Sed & si praesumptio sit pro eo cui probationis necessitas incumberebat, probandi onus in aduersarium transfertur: ut paulo superius dictum est. Sunt igitur probationis ad finia remedia, praesumptio

nes, item iusiurādi delatio. Planè actor uel reus, quod adseuerat probare se non posse profitendo, aduersarium necessitate probandi contrarium, uel dicendi possessionis suæ titulum non adstringit. Nam cogi possessorem ab eo qui expetit, titulum suæ possessionis dicere, inciuile est, præter eum qui dicere cogitur, utrum pro possessore, an pro hærede possideat: item, utrum in solidum, an pro parte hæres sit: & huiusmodi quædam alia, de quibus dicetur infra in interrogationibus in iure faciendis. Hæc de probationibus in genere sint dicta. nunc de quibusdam probationis speciebus dicendum est, & primum quidem de instrumentis.

DE INSTRUMENTIS.

CAP. XV.

Instrumentorum nomine latius quidem sumpto et omnia accipiuntur, quibus causa instrui potest. Et ideo tam testimonia quàm personæ instrumentorum loco habentur. Angustiore autem significatione instrumenta denotant tantum tabulas siue scripturas ad probandum confectas, de quibus in hoc capite dicitur. Fiunt igitur scripturæ & instrumenta ob id, ut quod actum est, per eas facilius probari possit: quod si aliunde constet, etiã sine instrumentis ualet id quod actum est: nisi nominatim conuenerit, ut instrumentum conficiatur: hoc enim casu, antequam instrumentum fuerit perfectum, contractus perfectus non censetur: ideoque

Definitio
instrumen
ti.

Finis instrū
mētōrum,

pœni-

De ordinā
dis & confi
ciendis in-
strumētis.

poenitentiae locus est. In ordinandis uerò seu conficiē-
dis instrumentis hæ regule præscribuntur. Ut tabel-
liones, qui instrumentorum conficiendorum officio
præfident, ipsi per se omnibus modis & instrumenti
conficiendi mandatum accipiant, & cum absoluitur
interfint. Ut instrumenta primùm in protocollum re-
digant, ponendo diem instrumenti celebrati & alia,
quæ in huiusmodi protocollis prænotari solent. Ut Im-
peratoris nomen præponant, deinde consules, indi-
ctionem, necnon menscm & diem, quo instrumentū
conficitur: tempusq; illud non obscuris & obsolctis,
sed uulgaribus literis denotent. Ut testes quoq; in con-
tractibus celebrandis adhibeantur, & in instrumen-
tis denominentur, instrumentaq; subscribant: nisi for-
tè quantitas, de qua instrumentum conscribitur, quin-
quaginta libras auri iure quidem antiquo, iure autē
nouo unam libram auri non excedat. Sed etsi non in
urbibus, uerum in agris, ubi magna simplicitas est, &
neq; scriptorum uel multorum testium copia est, scri-
pturæ fiant: ista instrumentorum solennitas non re-
quitur. Non autem refert, quamuis in foro & publi-
cè instrumenta conficiantur, & per tabelliones abso-
luta sint: nam nihilominus & ipsa, antequam summa
imponatur manus, scriptis designatam testium præ-
sentiam desiderant. Non autem pauciores quàm quin-
que testes requiruntur: nisi fortè is qui contrahit, li-
terarum sit peritus, seq; subscribat: tunc enim tres
testes

testes sufficiunt. Planè si is qui contrahit, contentus sit chirographo eius, cum quo contrahit: non potest postea, quasi solennitas instrumenti defuerit, contractum infirmare: nisi forte conuenerit, ut præter chirographum illud contractus in instrumentum solenne redigeretur. hoc enim casu, quãdiu illud perfectum non est, constat pœnitentiæ locum esse: ut supra quoq; est dictum. Postremò in instrumentis conficiendis requiritur etiam, ut ipsi qui contrahunt, subscribant: aut si ipsi literas nesciunt, alium qui pro ijs subscribat, adhibeant. Porro in exercendis litibus eandem ad probandum vim obtinent tam fides instrumentorum, quàm depositiones testium. dummodò instrumenta sint perfecta, testibusq; adhibitis & subscriptionibus subiectis absoluta, secundum ea quæ iam dicta sunt. Oportet tamen iudices conari, ut si qua signa chartis adscripta inuenerint, ipsa quoq; disquirant & recognoscant: cum ex illis etiam multa elucescant. Planè falsum instrumentum nullam fidem meretur: quod etiã de suspecto instrumento dicendum est: nisi forte is qui eo instrumento utitur, ueritatem eius probauerit. Si tamen falsum instrumentum fuerit pronunciatum, res iudicata pro ueritate accipitur, nec ulterius probatio in contrarium admittitur: nisi inter alios iudicatum sit. Sed et si is qui fidem instrumento adstrinxit, postea illud, cum falsum diceretur, noluerit exhibere: quasi falsa chartula nullas habebit uires aduersus

De exceptionibus aduersus instrumenta.

aduersus eū, contra quē prolata est: si modò is qui exhiberi sibi desiderat, de calūnia iurauerit: & alter, quòd scriptura sine dolo suo perierit, iurare nolit. quod tamen ita obtinet, si non prior controuersia finita sit. alioquin si iam plenissimum finem accepit, & neq; per appellationem suspensa est, neq; per solitam retractationem adhuc lis uiuere speratur: sufficit semel instrumento fidem esse factam. Sanè cum instrumenti fides suspecta est, ad comparationem literarū etiam deueniri solet: & si quidem literæ inter se similes appareant, instrumento creditur: sin autem dissimiles inter se reperiantur, ei credendum non est: nisi fortè testes cum instrumento consentiant. Sæpè numero etenim tempus & ætas hominis, sæpe item morbus ingrauescens scripturæ dissimilitudinē efficit: interdum etiam calami & atramenti mutatio. Sed de comparatione literarum infra dicentur plura. Porrò ea quoque scriptura, qua proferens antea se non usurū esse professus est, uel quam ipse antea falsam dixit, proferenti minimè prodest. Sed & si scriptura non proferentis nomen contineat, uel eius cui proferens successit, sed alterius cuiusdam: ea scriptura non proferentem uel recitantem, sed quem tenor scripturæ designat, adiuuat. Authenticis quoque, non exemplis credendum. Exempla tamen actorum, manu commentariensis siue notarij adnotata, fidem merentur. Sed & instrumentis
siue

siue chirographis exustis, tutores ex inuentario creditum probare possunt. Si etiam probatur, contra uoluntatem eius qui in instrumento continetur, illud confectum esse: nullius est momenti. Errores quoque eorum qui instrumenta conscribunt, ueritati præiudicium adferre non possunt. Vnde si aliud actum, aliud scriptum probetur, plus ualeat id quod est actum, quam quod est scriptum: nisi forte id quod in ueritate actum est, ipso iure non subsistat. Ut puta Lucius Titius, cum haberet filiam in potestate Scia, Pamphilo seruo alieno in matrimonium collocauit, cui etiam dotem dedit, quam sub titulo depositi in cautionem contulit, & postea denunciatione nulla à domino facta pater deceffit, mox & Pamphilus seruus: quæsitum, qua actione Scia pecuniam petere possit, cum ipsa patri hæres extiterit? Paulus respondit, quoniam dos constitui non potuit, ex causa depositi actione de peculio pecuniam repetendam. Planè si in fraudem legis aliud actum, aliud scriptum esse doceatur: neutrum ualeat. Veluti si filiusfamiliæ, qui mutuum accepturus erat, fideiusserit, alio reo dato, & ita ipse pecuniam acceperit, quasi alij mutuo datam. Sed & alio modo plus ualeat scriptura, quam id quod actum est: puta si testator alij fundum, alij usumfructum eiusdem fundi legauerit hoc proposito, ut alter nudam haberet proprietatem: tunc enim contra uoluntatem ipsius

ipsius testatoris usufructus inter eos communicabitur, cum proprietate uel fundum detracto usufructu alteri legare debuerit. Porro non solent quæ abundant uitiare scripturas. Nam necessaria prætermissa inuoluntate contractum, & testatoris officium uoluntati, non abundans cautela. Vbi autem pugnantia inter se in instrumento inueniuntur, neutrum ratum est. Sed & scripturæ diuersæ fidem sibi inuicem derogantes, ab una eademque parte prolata, nihil firmitatis habere poterunt. Plures tamen causæ plurium debitorum in eodem instrumento contentæ, ei non officiant. Hactenus exceptiones aduersus instrumenta enumeratae sunt. nunc de instrumentis exhibendis & comparatione literarum dicendum est. Exhibenda autem & edenda instrumenta sunt regulariter quidem apud iudicem. Interdum tamen & alibi causa cognita edi possunt, & fides illis fieri exemplo testium examinadorum in alijs locis degentium. Non autem semel, sed sæpius instrumenta edi debent: dummodo aduersarius qui denuò ea sibi edi petit, de calumnia iurauerit, & instrumenta casu fortuito perdit non sint, idque is qui edere denuò debet, præstito iureiurando affirmauerit: de quo paulo superius etiam dictum est. Sed & plura de instrumentis exhibendis dicta sunt supra cap. 6. lib. eod. & de tabulis testamenti exhibendis alibi locus erit differendi. Nunc ad comparationem literarum accedendum. Si itaque ad unam

omnes

De exhibē
dis instru-
mentis.

De compa-
tione lite-
rarum.

Omnes testes mortui sunt, aut etiam absint fortè, aut alioqui per testes qui subscripserunt, fidem imponere facile non sit, neque tabellio qui instrumentum absoluit (si quidem forense & publicum fuerit) supersit, ut à se confectis testimoniū præstare possit, aut nõ agat domi: si quidem negetur manus alicuius esse, cõparatio literarum assumenda uel eorum qui absoluerunt, uel qui subscripserunt: dummodò omnis alia probatio deficiat, & nihil fraudulenter actum sit, quod probabiliter fortè ueritatem possit abscondere, eaq; præstito iureiurando affirmant ij qui comparationem literarum desiderant. Quibus tamen contra- bentes liberare se possunt, si uelint, & utriq; in hoc conueniant, ut instrumenta insinuent, & apud acta profiteantur. Sed & hi qui cõparationē faciunt, iurare debent, quòd neq; lucri causa, neq; inimicitijs, ne que gratia tenti huiusmodi faciant comparationem. Quibus iuramentis præstitis, cum summa atq; exactissima diligentia comparatio literarum procedet. Neq; temere iudice; oportet scripturarū fidē ex aliarum comparatione admittere. Sed & non licet comparationem facere, nisi ex scriptura forensi, hoc est facta coram iudice, uel ex scriptura publica, uel denique ex chirographis quæ trium testium subscriptionibus sint firmata, prius imposita fide literis testium ex illorum depositione saltem duorum, non ex comparatione literarū testium. Ex alia aut scriptura

comparationem fieri lex uetat, & ne ex ea quidem, quã quis in semetipsum conscriptã profert. Planè ex scriptura ab aduersario prolata cõparationem facere non prohibemur. Postremò, non solùm literarum ipsius tabellionis, qui instrumentũ conscripsit, cõparatio faciendã, sed & subscriptionũ testium & contrahentium: ut ex multis cõparationibus una quedã ex omni parte fides colligatur efficiaturq;. Hæc de cõparatione literarũ, sed & de instrumentis in genere dicta sunt. nunc de quibusdam instrumentorum speciebus specialiter est differendum: nimirum de apochis & antapochis. Aponcha itaq; regulariter solutionem probat. Nam pecuniæ solutæ professio collata instrumento maiorem rei gestæ probationem continet, quàm si chirographum acceptæ mutue pecuniæ fuisset redditum. Desiderantur tamen in ijs testes, testiumq; subscriptiones: de qua re supra in ordmandis & conficiendis instrumentis diximus. Ab eo uerò apochã conscripta, cui solui non potest, non prodest debitori: nisi quatenus solutio facta proficeret. Sed & si contrarium doceri potest, solutionem uidelicet factam non esse: apochã expirat. Siquidem inter acceptilationẽ & apochã hoc interest, quòd acceptilatione omnimodo liberatio cõtingit, licet pecunia soluta non sit: apochã non aliã, quàm si pecunia soluta sit. Planè si debiti remittẽdi animo apochã conscripta sit, ea debitori prodest ad exceptionẽ etiã pecuniã

Despo-
chis.

pecunia non soluta. Sed & apochis, quæ publicarum functionum gratia siue in solidum siue ex parte soluta esse conscribuntur, nulla exceptio non numeratæ pecuniæ potest opponi. Idem dicendum, si super deposito uel dote accepta apocha conscripta sit: nam & huic non numeratæ pecuniæ exceptio non obstat. Sed & in alijs omnibus apochis post triginta dies, à tempore conscriptæ apochæ numerandos, non numeratæ pecuniæ exceptio cessat. Postremò apocha publica à tabulario non subscripta fisco non præiudicat. Prius tamen exactor, qui pecuniam accepit, à fisco conueniendus est, si sit soluendo. Hæc de apochis. Antapochas à debitore accipere solet creditor ad solutiones annuas sibi factas probandas, teneturq; debitor huiusmodi antapocham uel apochæ exemplum cum subscriptione sua creditori exigenti præstare. Quo tamen negligentia uel debitoris uel creditoris omisso creditori non præiudicatur: cum hoc quod pro quibusdam introductum est, inferre eis iacturam rationi æquitatis minimè conueniat. Hæc de instrumentis. sequitur de testibus.

De antapochis.

DE TESTIBVS.

CAP. XVI.

TEstimoniorum usus frequēs ac necessarius est, et ab his præcipuè exigendus, quorū fides nō uacillat. Supflua aut̄ multitudo testiū à iudice refrenanda est.

De examinandis testibus.

est, & numerus testium moderandus, ut quem numerum necessarium esse putauerit, solum euocari patiatur: ne effrenata potestate ad uexandos homines superflua multitudo testium protrahatur. Parentes & liberi inuicem aduersus se nec uolentes ad testimoniū admittendi sunt. Item reus publici iudicij à dicendo testimonio aduersus accusatorem arcetur: Si tamen alioquin inimicitias alere dicantur, aut actione contendere pecuniaria, non prohibetur testimonium dicere: huiusmodi tamen questione in tempus exceptionum reseruata. Idem dicendum, si ex aliqua alia causa testis non idoneus dicatur, idq; ipsum controuertatur: tunc enim nihilominus testis examinandus est, & controuersia ista in tempus exceptionum reseruanda. Plures qui à dicendo testimonio arcentur, enumerabuntur infra inter exceptiones. Regulariter autem apud ipsum iudicem, ubi causa agitur, testes producendi sunt, & ab eo examinandi. Alia enim auctoritas est presentium testium, alia testimoniorum. Vnde & Imp. Hadrianus testibus se, non testimonijs crediturum rescripsit. Plurimum enim in excutienda ueritate etiam uox ipsa & cognitionis subtilis diligentia adfert. Nam & ex sermone, & ex eo quā quis constantia, quā trepidatione quid diceret, quemadmodum & cuius existimationis quisque in ciuitate sua sit, quaedam ad illuminandam ueritatem in lucem emergunt. Non tamē temerē testes euocandi sunt per
lon-

longum iter: & multo minus milites auocandi sunt à signis uel muneribus perhibendi testimonij causa. Ideoq; his casibus examinatio testium committi potest iudici eius loci, in quo testes degunt, uel defensori loci uel præsi diuinciæ: qui depositionibus sub utriusque partis præsentia factis, eas ad iudicem, apud quem lis contestata est, remittet. Quod tamen in ciuilibus tantum causis obtinet. Nam in criminalibus, ubi de maximis rebus uersatur periculum, omnibus modis necesse est testes prodire in conspectum iudicis, & ibi quæ comperta habent ac cognita edocere. Sed & consuetudo loci in euocandis testibus est attendenda. Nam si probabitur, sæpe in aliam ciuitatem testimonij gratia plerosque euocatos esse: non est dubitandum, quin euocandi sint, quos necessarios in ipsa cognitione deprehenderit qui iudicat. Nulli tamen magistratui licet episcopos cogere, ut perhibendi testimonij causa in ius prodeant: sed mittendi ad eos sunt ex personis iudici apparentibus, ut propositis sanctis Euangelijs, prout sacerdotes decet, dicant quæ nouerunt. Præterea ad officium iudicis pertinet cauere, ut testibus ad iudicium uenturis sumptus competentes à producente præstentur: cum id ipsa iusticia persuaदेat, ab eo sumptus itineris recognosci, qui euocandas personas sua interesse crediderit. Sed & aduersarium, contra quem testes producuntur, à iudice citari oportet, ut

t 3 sistendis

sistendis testimonijs intersit. Testis quoque inuitus ad dicendum testimonium à iudice cogi potest. Lege tamen Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne inuito denunciatur, ut testimonium litis dicat aduersus socerum, generum, uitricum, priuignum, sobrinum, sobrinam, sobrino uenatum, eos uel qui priore gradu sint: item ne liberto ipsius, liberorum uel eius, parentum, uiri, uxoris uel. Et ut nec patroni patronæ uel aduersus liberos, neque liberti aduersus patronum cogantur testimonium dicere. Sed & in dicta lege Iulia generi appellatione sponsum quoque filiae contineri placet: item soceri, sponse patrem. Præterea inuiti testimonium dicere non coguntur senes, ualetudinarij, milites, & illi qui cum magistratu reipub. causa absunt, & quibus uenire non licet. Item inuiti testimonium non dicunt publicani: item is qui non detrectandi testimonij causa aberit: item is qui quid exercitui præbendum conduxerit. Sed nec pupillis testimonium denunciari potest. Illud incunctabile est, ut si res exigat, non tantum priuati, sed etiam magistratus (si in præsentia sint) testimonium dicant. Item Senatus censuit Prætorem quoque dare debere testimonium in iudicio adulterij causa. Mediator negocij ad dicendum testimonium compelli non potest, nisi forte utraque pars in testimonium eius consentiat, seque contentos fore his quæ ipse dixerit, profiteantur. Nimis quoque graue
est

est, aduersarium cogi ut ipse de domo sua testes aduersus se producat. Sed & testes uocati, qui per quindecim dies iudicem examinaturum expectarint, illis diebus elapsis discedere possunt, nec rursus inuiti sunt retrahendi. Episcopus quoque ad dicendum testimonium cogi non potest. Non autem ad fidei iussores præstandos testes cogendi sunt, se in iudicio ad futuros & permansuros, donec testimonium dixerint: sed tantum ad iuratoriã cautionẽ de hoc præstandã. Sed & iurisiurandi religione testes, priusquã perhibeant testimonium, arctandi sunt: & si qui humiliores sunt, & in dicendo testimonio uariant, tormentis subiici possunt. de qua re supra libro proximo dictum est. Porro non semel tantum, sed & sæpius in eadem causa testes producere licet: dummodo id fiat ante publicationem attestatorum, seu antequam testificata sint didicita. Planè quarta testium productio non aliter admittenda est, nisi is qui testes produxit, testificata non perceperit, neque eorum habuit inspiciendi copiam, neque ipse, neque aliquis aduocatorum eius: aduersarius uerò perceperit solus, & exceptiones aduersus ea opposuerit, non producenti tamen edidit, quo minus per exceptiones re comperta, ea demum quæ testificatis suis desunt, apponat: tunc enim etiam quarta productio testium hanc petenti danda est, præstito prius ab ipso iuramento, quòd testificata neque perceperit,

¶ 4 neq;

neq; horum inspiciendi copiam habuerit, neque ipse neque aliquis aduocatus, qui ue eius gerat negocia, neq; dolo aliquo aut machinatione aut arte quartam testium productionem fieri petat: sed quia testimonijs per denunciationem petitis prius uti non poterit. Ac si id factum fuerit, usque ad quartam productionem testium licentia est uti testibus, sed non per longum temporis interuallum, ne per hanc causam lites nimium protrahantur: sed omnino ipsis quedam adhibenda celeritas, prout iudex id faciendum putauerit. Hæc de examinandis testibus sint dicta. Nunc de exceptionibus aduersus testes dicendum, si prius illud admonuero, testes, si uel falsum testimonium perhibuerint, uel cõtraria inter se dixerint, uel deniq; ob dicendũ testimonium quid acceperint, falsi pœna coerceri: de qua re supra quoq; libro proximo de falsis est dictum. Regulariter autem dictis testium standum est, uerumq; eos deposuisse præsumendum: nisi non sit legitimus testium numerus. Qui autem sit legitimus testium numerus, in quibusdam casibus definitum est. In quibus numerus definitus non est, in hisce ergo duo testes sufficiunt: pluralis enim locutio duorum numero contenta est. Vnius igitur testimonium in quacunque causa admittendum non est, quamuis præclaræ curiæ honore præfulgeat. In testimonijs etiam fides, dignitas, mores, grauitas examinanda est. Et ideo testes qui aduersus fidem testationis suæ

uac il-

vacillant, audiendi non sunt. In primis autem cōditio cuiusq; testis exploranda est, utrum decurio, an plebeius sit: & an honestæ & inculpatae uitæ, an uerò notatus sit & reprehensibilis: an locuples uel egens sit, ut lucri causa quid faciliè admittat: uel an inimicus sit aduersus quem testimonium fert, uel amicus ei pro quo testimonium dat. Planè si ea rei cōditio sit, ut arenarium testem, uel similem personam admittere cogamur, sine tormentis testimonio eius credendum non est. Ei quoq; qui ob testimonium dicendum uel non dicendum pecuniam accepisse conuictus fuerit, credendum non est. Sed & in testimonium accusator citare non debet eum qui in iudicio publico reus erit, aut qui minor uiginti annis erit. Lege Iulia de ui cauetur, ne hac lege in reum testimonium dicere liceat ei, qui se ab eo parente uel eius liberauerit: qui uel impubes erit: quiq; iudicio publico dānatus erit: qui eorum in integrum restitutus non erit: qui uel in uinculis, custodiae publica erit: qui uel ad bestias, ut depugnet, se locauerit: qui uel palam quæstum faciat, fecerit uel. Planè neq; lex Iulia de ui, & repetundarum, & peculatus, neq; lex Rhemnia in publicis iudicijs calumniae damnatos testimonium dicere non uetuerunt: ueruntamen quod legibus omissum est, non omittendum religione iudicantium, ad quorum officium pertinet, eius quoq; testimonij fidem, quod integre frontis homo dixerit, perpendere. Ob carmen

† § quod;

quoq; famosum dānatus intestabilis fit. Hæretici quoque a dicendo testimonio arcentur. Inter se tamen hæretici testimonium perhibere possunt, digni uidelicet litigatoribus testes, exceptis Manichæis & quibusdam alijs, quibus omnis legitimus actus interdictus est. Hæreticis autem iudicialia tantummodo testimonia contra orthodoxos interdicitur. Testamentaria uerò testimonia, et quæ in ultimis clogijs uel in contractibus consistunt, propter utilitatem necessarij usus, eis sine ulla distinctione permittuntur: ne probationum facultas angustetur: exceptis tamen ijs hæreticis, quos ne inter hæreticos quidem testes esse posse iam diximus. Sed & pro orthodoxis & republica hæreticis testimonium ferre est permissum contra hæreticos, non contra orthodoxos. Serui quoque testimonium recipiendum nõ est. Si tamen alia probatio desit, serui responso credendum est: nisi uel pro domino suo, uel contra dominum testimonium perhibeat. Mulier testimonium dicere in testamēto quidem non poterit: aliàs autem posse testem esse mulierem, argumento est lex Iulia de adulterijs, quæ adulterij damnatam testem produci uel dicere testimoniũ uctat. Domestici testimonij fides iure ciuili improbat: idonei enim nou uidentur esse testes, quib. imperari potest, ut testes fiant: testisq; idoneus pater filio, aut filius patri non est. Præterea produci testis non potest, qui antè in eundem reum testimonium dixit.

Quod

Quod autem supra diximus explorandum, an testis inimicus sit aduersus quē testimoniū fert: nō ita accipi debet, quasi sub prætectu inimicitiarū omnino de trahenda sit fides testimonio uel quæstioni, sed causa cognita aut habēda fides, aut nō habēda. Nā cum q̄s latrones tradidit, quibusdā rescriptis continetur, non debere fidē haberi eis in eos, q̄ eos tradiderunt. Quibusdam uerò, quæ sunt pleniora, hoc cauetur, ut neq̄ de stricto habeatur, ut in cæterorum persona solet: sed causa cognita æstimetur, habēda fides sit, necne. Plerique enim, dum metuunt, ne fortē adprehensi eos nominent, prodere eos solent, scilicet impunitatem sibi captantes: quia non facilē eis indicantibus proditores suos credatur. Sed neque passim impunitas eis per huiusmodi prodiones concedenda est, neque transmittenda allegatio dicentium idcirco se oneratos, quōd eos ipsi tradidissent. Porro pater & filius qui in potestate eius est, item duo fratres qui in eiusdem patris potestate sunt, testes utique in eodem testamento uel eodē negotio fieri possunt: quoniā nihil nocet, ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi. Parentes et liberos inuicem aduersus se ad testimonium admittendos non esse, supra dictum est. Sed nec libertus contra patronum, et seruus cōtra dominum testimoniū perhibere potest. Mādati quoq̄; cauetur, ne patroni in causa, cui patrociniū præstiterunt, testimoniū dicant. Quod et in executoribus

toribus negotiorum obseruandum est. Præterea testis qui contractui uel solutioni uel alij negotio probando non interfuit, uel casu, non rogatus interfuit, non probat. Sed & nullus idoneus testis in re sua intelligitur. Ideoq; omnibus in causa propria dicendi testimonij facultatem iura submouerunt. Palam autem est, eam propriam esse causam, cuius emolumentum uel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Adhiberi uerò testes possunt non solum in criminalibus causis, sed etiam in pecuniarijs litibus. Sed ad ingenuitatis probationem soli testes non sufficiunt. Solutio quoq; eius debiti, quod per scripturam contractum est, per testes solos probari non potest: nisi quinque sint testes idonei & summæ atq; integræ opinionis, qui præstò fuerint solutioni celebratæ, ut supra quoq; cap. 14. dictum est. Absente quoq; aduersario testes examinati non probant: nisi forte aduersarius citatus examini adesse noluerit, idq; per contumaciam, non ex iusta causa impeditus. Testi quoq; qui sine iureiurando deposuit, non creditur. Sed & testes apud compromissarium iudicem examinati, apud ordinarium iudicem fidem non faciunt, nisi denuò examinētur, uel aliud in compromisso inter partes conuenerit, uel deniq; testes mortui sint. Testis quoq; qui nõ uiua uoce deponit, sed in scriptis testimonium perhibet, non probat. Testibus etiam contraria deponentibus non creditur. Si tamen ex pluribus testibus quisq; non sibi, sed

bi, sed alteri testi contrarius est: statur alterutri parti testium. quo casu non ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia quæ rei aptiora & uero proximiora esse iudex compererit: nisi fortè in numero sit magnus excessus, & utriusq; partis testes eiusdem dignitatis ac fidei: hoc enim casu creditur potius his quæ à pluribus prolata sunt. Si etiam testes non dispari numero tam pro libertate quàm contra libertatem dixerint: pro libertate magis pronuncian- dum esse, sæpe constitutum est. Postremò solam testationem prolatam, nec alijs legitimis admimiculis causam adprobatam nullius esse momenti, certum est. Hæc de exceptionibus aduersus testes dicta sunt. Sed & plures huiusmodi exceptiones dependent ex arbitrio iudicis. Si quidem Imp. Hadrianus rescripsit, cum qui iudicat, magis scire posse quanta fides habenda sit testibus. Nam Iunio Varo legato prouinciæ Ciliciæ ita rescripsit: Tu magis scire potes, quanta fides habenda sit testibus: quin & cuius dignitatis, & cuius existimationis sint: & qui simpliciter uisi sunt dicere, utrum unum eundemq; & præmeditatum sermonem attulerint, an ad ea quæ interrogaueras, ex tempore uerisimilia responderint. Planè si quis testibus usus fuerit, iudemq; testes aduersus eum in alia lite producatur: non licebit ei personas eorum excipere: nisi ostenderit, inimicitias inter se et illos postea emer- sisse,

ex quibus testes repelli leges præcipiunt: nõ admittuntur tamen ei licentia ex ipsis depositionibus testimonium eorum arguere. Sed & si liquidis probationibus datione uel promissione pecuniarum eos corruptos esse ostenderit: etiam eam allegationem integram ei seruari leges uolunt. Hæc de testibus.

DE CONFESSIS ET INTERROGATIONIBUS IN IURE FACIENDIS. CAP. XVII.

OMnem probationem superat confessio aduersarij. Confessus enim pro iudicato est: quia quodammodo sua sententia damnatur. Cuique autem sua, non aliena confessio nocet. Ideoq; procuratores, tutores & curatores fateri nõ sufficit. Vnde si defensor in iudicio interrogatus, an is quem defendit, hæres, uel quota ex parte sit? falso responderit: ipse quidem defensor aduersario tenebitur: ipsi autem quem defendit, nullum facit præiudicium. Sed & si procurator, aut tutor, aut curator, aut quis alius confiteatur absentem uulnerasse: confessoria in eos utilis actio danda est. Præterea in pupillis confessis tutoris authoritas exigitur. Sed & minor à confessione sua in integrum restitui potest. Nihil autem interest, uerum an falsum quis sit confessus, nec admittitur probatio in contrarium. Proinde si is, cum quo lege Aquilia agitur, confessus est seruum

Seruum se occidisse: licet non ipse, sed alius seruum
 occiderit, ex confesso tenetur. Similiter si quis, quum
 hæres non esset, interrogatus responderit ex parte
 se hæredem: sic conuenietur, atque si ex ea parte hæ
 res esset: fides enim ei contra se habebitur. Planè con
 fessiones ita ratae sunt, si id quod in confessione ue
 nit, & ius & natura recipere potest. Vnde is qui pa
 trisfamiliâs suum respondit esse seruum, non te
 netur noxali actione. ac nec si bona fide liber homo
 mihi seruiat, mecum noxali iudicio agi potest. & si
 actum fuerit, manebit integra actio cum eo qui ad
 misit. Idem dicendum, si eum qui in potestate pa
 tris esset, respondiſsem filium meum. Nam ita me ob
 ligari Paulus ait, si ætas eius pateretur, ut filius meus
 esse possit: quia falsæ confessiones naturalibus conue
 nire debent. Propter quæ fiet, ut patrisfamiliâs no
 mine respondendo non obliger. Sed & falsis confes
 sionibus respondentes ita obligantur, si eius nomine,
 de quo quis interrogatus est, cum alio actio sit: quia
 quæ cum alio actio esset, si dominus esset, in nosmeti
 psos confessione nostra conferemus. Proinde si quis
 hominem uiuum falso confiteatur occidisse, et postea
 paratus sit ostēdere hominē uiuū esse: cessat Aquilia,
 quāuis cōfessus sit se occidisse: hoc enim solū remittit
 actori confessoria actio, ne necesse habeat docere reū
 occidisse. Cæterum occisum esse hominē à quocunq;
 oportet. Hoc apertius est circa uulneratū hominem:

nam

nam si confessus sit uulnerasse, nec sit uulneratus: estimationem cuius uulneris faciemus? uel ad quod tempus recurremus? Proinde si occisus quidem non sit, mortuus autē sit: magis est, ut non teneatur de mortuo, licet confessus sit. Planē si ante aditam hereditatem seruum hereditarium meum esse respondeam, teneor: quamuis actio aduersus heredem, qui nondum adijt hereditatem, competere nondum possit: quia domini loco habetur hereditas. Præterea certum confessus pro iudicato erit: si incertum, non erit. Veluti si corpus sit confessus, si Stichum uel fundum dare se oportere. quo tamen casu urgeri debet, ut certum confiteatur. Is quoq; qui errat, nō fatetur. Vnde si quis interrogatus an patri hæres esset, respōderit, mox prolato testamento inuentus sit exhæredatus: æquissimum est ei succurri. Idem dicendum, si quis heredem se ex testamento esse responderit, & mox falsum, uel inofficiosum, uel irritum testamentum fuerit pronūciatum. Sed & qui iusto ductus errore negauerit se heredem, uenia dignus est. Planē error confitentis releuat quidem eum, ne confessoria actione conueniri possit, uel ne pro iudicato habeatur: sed à probandi onere non releuat eum: qui enim confessus est, quamuis per errorem, præsumptionem contra se habet, nisi errorem & contrarium probauerit: de quo supra dictum est. Sed & iuris error cōfidenti nihil prodest, etiam quoad confessoria actionem:

nem. Sed & qui propter culpam latã uel dolo proximam errauit, non adiuuatur. Nec etiam interest, quamuis sine interrogatione præcedente quis sit cõfessus. Planè si quis ultrò de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est: nonnunquam enim aut metu, aut qua alia de causa in se confitentur. Si alia quacunq; actione ciuili, uel honoraria, uel interdicto exhibitorio, uel restitutorio, uel prohibitorio cõuentus confiteatur: omne omnino, quod quis cõfessus est, pro iudicato habetur. Sed si quis absente aduersario confessus sit, pro iudicato non habebitur: quia nec qui iurat de operis obligatur, nec absenti quis condemnari solet. Certè procuratorem, tutorem, curatoremue præsentem esse sufficit. Præterea multum etiam refert, quo loco confessio facta sit. Nam Prætor ait: Qui in iure interrogatus responderit, pro iudicato est. In iure, sic accipiendum est, apud magistratum populi Romani, uel præsidem prouinciæ, uel alium iudicem. Ius enim is solus locus est, ubi iuris dicendi uel iudicandi gratia iudex consistat: uel si domi, uel in itinere hoc agat. Sanè extra ius confessio facta, quamuis non obliget confitentem, præsumptionem tamen aduersus eum facit, et non nisi contrariū probauerit liberatur, ut supra ostensum est. Præterea in criminalibus causis quæstionem ad extorquendã reo confessionem, nisi alijs etiã argumentis suspectus sit, non adhibendam, nec non confessionem huiusmodi

cum sua qualitate accipiendam, supra libro proximo diximus. Sed & in civili causa confessio licet poenitere, si nulla captio ex eius poenitentia sit actoris maxime si postea plenius instructus quid faciat, instrumentis uel epistolis amicorum de iure suo edoctus. Exceptionibus etiam, quae institutis in iudicio contra reum actionibus opponuntur, & is uti potest, qui ex sua responsione conuenitur: ueluti pacti conuenti, rei iudicatae, & caeteris. Vnde mortuo seruo, quem in iure interrogatus suum esse confessus est, non tenetur is qui respondit: quemadmodum & si proprius eius fuisset, post mortem eius non teneretur. Nam ut confessus obligetur, debet subesse actio principalis, quae nulla exceptione possit elidi. Planè qui non factum, sed ius confessus est, hoc est, non se promississe uel legatum esse, sed se debere: omnimodò tenetur, quamuis in confessione facti exceptione defenderetur. Vnde Iulianus ait, Confessum certum se debere legatum, omnimodò damnandum, etiamsi in rerum natura non sit: ita tamen, ut in estimationem eius damnetur. Et Ulpianus: Qui Stichum debere se confessus est: siue mortuus iam Stichus erat, siue post litis contestationem decesserit: condemnandus est. Planè si errore facti lapsus se debere confessus sit: exceptione defenditur, aut saltem per in integrum restitutionem ei succurritur. Porro qui interrogatus responderit, sic tenetur quasi

ex cōtractu eius obligatus, pro quo pulsabatur, dum ab aduersario interrogatur. Sed si à Pratore fuerit interrogatus, nihil facit Prætoris auctoritas, sed ipsius responsum siue mendacium. Sed & si fundum iudicem meum esse, tūque confessus sis: perinde teneberis, atque si dominij mei fundum esse pronunciatum esset. Iis autem solis ex confessione sua quis obligatur, qui in iure interrogassent. Vnde Procuratore Cæsaris ob debitum fiscale interrogante, si unus ex filijs, qui nec bonorum possessionem acceperat; nec heres erat, respondit se hæredem: à cæteris creditoribus hæreditarijs, qui in iure non interrogassent; ex responso suo conueniri non potest. Qui autem respondit se hæredem; nec adiecit pro qua parte heres sit, in solidum tenetur, ut infra suo loco dicetur: & qui confessus non restituit, in liti estimationem condemnatur. Dandum tamen tempus cum competenti cautela ad soluendam pecuniam. neq; enim damnum magnum est in mora modici temporis. Modicum autem tempus hic intelligendum est, quod post condemnationem reis indultum est. Notandum insuper, quòd in hac actione, quæ aduersus confitentem datur, iudex non rei iudicande, sed estimande datur. nam nullæ partes iudicantis in confitentes sunt. Puta enim, quòd qui conuenitur, fateatur se seruum uel animal occidisse, & paratus sit estimationem soluere, &

aduer-

aduersarius magni litem æstimet. Porro qui falso confessus est se teneri, dum se obligat sua confessione, uerum debitorem liberat: nisi forte confessus per exceptionem tutus sit, uel soluendo non sit: uel deniq; causa talis sit, ut uno ex duobus conuento & soluente, alter non liberetur. his enim casibus uerus debitor non liberatur. Flanè hoc posteriore casu, si defendendi ueri debitoris causa confessus sit, etiã debitori exceptio prodest: cum confessio mandati uel negociorũ gestorũ in actione cœperit esse obligatus. Postremò ex confessione non actio solum confessoria competit, de qua hæctenus est dictum, sed etiam exceptio. Ideòque qui in iure interrogatus, nihil sibi deberi respòdit, actionem amisit. Licet enim non transactionis, sed donationis hæc uerba esse quis accipiat: attamen is qui in iure confessus est, suam confessionem infirmare non potest. Hæc de confessionibus in iure factis sunt dicta. Ad quas eliciendas interrogationum facultas à iure aduersario concessa est, in locum interrogatoriarum actionum, quæ in desuetudinem abierrant. Nam de interrogationibus edictum Prætor proposuit: quia sciebat difficile esse eis, qui heredes bonorũue possessorem conuenirent, probare alium esse heredem bonorũue possessorem: quia plerunq; difficilis probatio hereditatis est. Voluit autem Prætor adstringere eum qui cõuenitur ex sua in iudicio responsione, ut uel cõfitendo uel mentiendo se

De interrogacionib: in iure faciendis.

Ratio interrogacionũ.

do se oneret: simul ut de portione, pro qua quisq; hæres extiterit, ex interrogatione certioretur. Est autem interrogatio tunc potissimum necessaria, cum in personam est actio, & ita si certum petatur: ne dum ignoret actor, qua ex parte aduersarius defuncto hæres extiterit, interdum plus petendo aliquid damni sentiat. Non autem solum in hoc casu interrogandi facultas actori conceditur, sed & ubicunq; iudicem æquitas mouerit, æquè oportere fieri interrogationem, dubium non est. Ideoq; non alienum est, eum à quo damni infecti stipulari uelimus, interrogari in iure, an ædes uel locus eius sit, ex quo damnum timeatur, & pro qua parte: ut si neget suum prædium esse, ne damni infecti caueat: aut cedere, aut si resistendum putauerit, quasi dolo uersatus, tradere cõpellatur. Illud queritur, an quis cogatur respondere, utrum ex testamento hæres sit: et utrum suo nomine ei quæsitæ sit hereditas, an uerò per eos quos iuri suo subiectos habet, uel per eum cui hæres extitit? Summatim igitur Prætor cognoscere debet, cum quæretur, an quis respondere debeat, quo iure hæres sit: ut si ualde interesse compererit, plenius respondere iubeat. Quæ obtinere debent nõ solum in heredibus, sed etiam in honorarijs successoribus. Iulianus scribit, eum quoq; cui hereditas restituta est, debere in iure interrogatum respondere, an hereditas ei sit restituta. De etate quoq; interrogatus interdum respondere debet. In

Quid, seu de qua re interrogatio facièda.

speciali uerò actione non cogitur possessor dicere,
 pro qua parte eius sit: hoc enim petitoris munus est,
 non possessoris. Quod etiã in Publiciana obseruatur.
 Si de peculio agatur, non oportet respõderi à patre
 uel domino, an in potestate habeat filium uel seruũ:
 quia hoc solum queritur, an peculium sit apud eum,
 cum quo agitur. Porro interrogatus in iure cogitur
 respõdere, quòd si tacet, in ea causa est, ut instituta a-
 ctione in solidum cõueniatur: nam qui omnino nõ re-
 spondet, contumax est: contumaciã autem poenã hãc
 ferre debet, ut in solidum conueniatur: quia Præto-
 rem contemnere uidetur. Nihil autem interest, siue à
 Prætoře interrogatus sit, siue ab aduersario. Si ue-
 rò seruus interroget uel interrogetur, nulla inter-
 rogatio est. Sed & alius pro alio non debet respon-
 dere cogi: de se enim debet quis in iudicio interroga-
 ri, hoc est, cum ipse conueniatur. Vnde si filius, cũ pro
 patre suo ageret, tacuit interrogatus: omnia perinde
 obseruanda erunt, ac si non esset interrogatus. Plane
 is qui absentem defendit, eius nomine interrogatus si
 non respondit: poenam non defendentis subit. Ut au-
 tem tacens in solidum teneatur, requiritur ut in iu-
 re, uel apud iudicem, non extraiudicialiter sit inter-
 rogatus. Præterea qui interrogatur, an hæres, uel
 quota ex parte sit, uel an in potestate habeat eum, cu-
 ius nomine noxali iudicio agitur: ad deliberandum
 tempus impetrare debet: quia si perperam confessus
 fuerit,

Euentus in
 interrogatio
 num.

fuerit, incommodo adficiatur. Et quia hoc defun-
 ctorum interest, ut successores habeant, interest et
 uiuentium, ne precipitentur, quamdiu iuste delibe-
 rant. Sed et si interrogatus an hæres sit, controuer-
 siam hæreditatis ab alio patiatur, nõ cogitur respon-
 dere: ne aut negando se hæredem, præiudicet sibi
 aut dicendo se hæredem, illigetur etiam ablata sibi
 hæreditate. Filio quoque qui se abstinuit, si interro-
 gatus an hæres sit tacuerit, succurrendum est: quia
 hunc qui abstinuit, Prætor non habet hæredis loco.
 In rei uendicatione, uel alia simili possessor interro-
 gatus, nõ cogitur dicere titulum suæ possessionis, nec
 pro qua parte eius sit res uel possessio, quæ admodum
 supra quoque dictum est. Hactenus, si interrogatus
 tacuerit, quid iuris sit, expositum est. Idem autem iu-
 ris est, si interrogatus responderit quidem, sed non
 ad interrogatum. Nam omnino non respondisse ui-
 detur, qui ad interrogatum non respondit. Qui ta-
 men interrogatus, an ex dimidia parte hæres sit, re-
 sponderit, Hæres sum: ad interrogatũ uidetur respon-
 disse. Sed et nihil interest, neget quis, an taceat in-
 terrogatus, an obscure respondeat, ut incertum di-
 mittat interrogatorem. Itaque in iure interrogatus, an
 fundum possideat: respondere cogendus est, et quo-
 tæ ex parte fundum possideat: ut si minore ex parte
 possidere se dicat, in aliã partẽ, quæ nõ defenderetur,
 in possessionẽ actor mittatur. Idem et si dani infecti

caueamus. Nam & hic respondere debet, quota ex parte eius sit prædium, ut ad eam partem stipulationem accommodemus. Poena autem non repromittentis hæc est, ut in possessionem eamus: et ideo eò pertinet scire an possideant. Sed & qui interrogatus heredem se responderit, nec adiecerit ex qua parte: ex asse respondisse dicendus est: nisi forte ita interrogetur, an ex dimidia parte hæres sit, & responderit, Hæres sum: hic enim (ut dixi) ad interrogatum respondisse uidetur. Sed & si interrogatus quis, an ex asse hæres esset, responderit se ex parte heredem: si ex dimidia esset, nihil nocet ei responsum. Præterea & is in solidum tenetur, qui falso ad interrogatum respondet, & negat id quod est. Si ergo, cum esset ex semisse hæres, dixerit se ex quadrante heredem: mendacij hanc poenam feret, quòd in solidum conuenietur: non enim debuit mentiri, dum se minoris portionis heredem adseuerabat. Interdum tamen iusta ratione potest opinari se heredem ex minore parte: quid enim, si nescit partem sibi adcreuisse, uel ex incerta parte fuit institutus: cur ei responsum noceat? Qui ergo iusto errore ductus negauerit se heredem, uenia dignus est. Sed & si quis sine dolo malo, culpa tamen respondit, dicendum erit absolui eum debere, nisi culpa dolo proxima sit. Sanè si seruus non sit unius, sed plurium, et omnes mæriti sunt eum in sua potestate non esse, uel quidam

ex

ex illis, aut dolo fecerunt quo minus sit in potestate: unusquisq; eorum tenebitur in solidum: quemadmodum tenerentur, etsi haberent in potestate. Is uero qui nihil dolo fecit, quo minus in potestate haberet, uel non negauit: non tenebitur. Hæc de eo, si interrogatus uel tacuerit, uel ad interrogatum non responderit, uel obscure responderit, uel deniq; mentitus sit, sunt dicta. Si autem interrogatus confessus sit, ex sua confessione conueniri potest: de qua re supra eodem capite dictum est. Hactenus ergo de confessis, & interrogationibus in iure faciendis. Sequitur de iureiurando.

DE IUREIURANDO.

CAP. XVIII.

Maximum remedium expediendarum litium in usum uenit, iurisiurandi religio: qua uel ex pactione ipsorum litigatorum, uel ex auctoritate iudicis deciduntur controuersie. Iurisiurandum enim speciè continet transactionis, maioremq; habet auctoritatem quam res iudicata, cuius uicem obtinet: quum ipse quis iudicem aduersarium suum de causa sua faciat deferendo ei iurisiurandum. Sed & iurisiurandi conditio ex numero esse uideri potest nouandi delegandiue: quia proficiscitur ex conuentione. Solutionis quoq; loco cedit: & acceptilationi non est absimile iurisiurandum. Is itaq; cui probandi onus incumbit,

Vfus iurisiurandi & familia.

Causa iurisiurandi

u s bit,

iurandi
cum suis
exceptioni-
bus.

bit, cum probatione destituitur, potest aduersario de-
ferre iusiurandum, ut aut iuret aut soluat. Nam ita
Prætor ait; Eum à quo iusiurandum petetur, soluere
aut iurare cogam. Alterum igitur eligat reus, aut sol-
uat aut iuret. Si non iurat, soluere cogendus erit à
Prætorè: nisi reserat iusiurandum aëtori. Manifesta
enim turpitudinis est & confessionis, nolle nec iura-
re, nec iusiurandum reserre. Prodigus tamen, si defe-
rat iusiurandum, audiendus non est. Idemq; in cæteris
similibus ei dicendum est. Nam siue pro pacto con-
uento, siue pro solutione, siue pro iudicio hoc iusiur-
randū cedit, non ab alijs delatū probari debet, q̄ qui
ad hæc habiles sunt. Sed & qui non cõpelluntur iudi-
cium accipere, nec iurare cõpellendi sunt: ut legati
provinciarū. Item si patronus libertā suam duxerit
uxorē, nō cõpellitur iurare de rerū amotarū iudicio:
& in quib. casibus nō permittitur exceptionē nō nu-
meratæ pecuniæ opponere uel ab initio, uel post ta-
xatum tempus elapsū: in his nec iusiurandum offer-
re licet. Quoties aut propter rem iuratur, nec paren-
ti nec patrono remittitur iusiurandum. Propter rem
uerò iusiurandum exigitur, ueluti de pecunia credi-
ta, cum iurat aëtor sibi dari oportere, uel reus se da-
re non oportere. Idem est, cum de pecunia constituta
iusiurandum exigitur. Pupillo non defertur iusiuran-
dum: nec aliq̄ q̄ de cuius facto queritur. Ideoq; pater
amouentis iurare nō cogitur: cum iniquū sit, de alie-

no facto alium iurare. Is ergo cogitur iurare, qui amouisse dicitur: & idcirco nec heres eius, qui quæ uemouisse dicetur, iurare cogetur. Procurator quoque non cõpellitur iurare, nec defensor. Planè cum etiam à pupillorũ tutoribus uelut ab ipsis pupillis relicta fideicommissa uideantur: si fideicommissum relictum negetur, ad iusiurandum tutor adigi potest. Non autem necesse habet actor de omnibus rebus iusiurandum deferre, ueluti de rebus amotis. nam permittitur de quibusdam rebus iusiurandum deferre, de quibusdã probare. Sanè qui iusiurandum defert, prior de calumnia iurare debet, si hoc exigatur: deinde sic ei iurabitur. quòd si de calumnia iurare nolit, denegabitur ei actio, quamuis aduersarius iurare nolit. Sibi enim imputet, qui processit ad delationem iurisiurandi, nec prius de calumnia iurauit. Planè hoc iusiurandum de calumnia parentibus ac patronis iusiurandum deferentibus remittitur. Si quis iusiurandũ detulerit, & necdum eo præstito, postea utpote sibi allegationibus abundantibus hoc reuocauerit: iterũ ad sacramentum ei recurrere nõ licet. Satis enim absurdũ est, redire ad hoc, cui renunciandũ putauit: & cũ desperauit aliam probationẽ, tunc denuò ad religionẽ conuolare. Datur autem ei, cui iusiurandũ delatũ est, facultas, si malit, referendi iusiurandum: & si is qui petet, cõditione iurisiurãdi relati nõ utetur, iudiciũ ei Prætor nõ dabit. Acquisimè enim hoc facit: cũ nõ de-

bea

beat displicere conditio iurisiurandi ei qui detulit. Referens autem iusiurandum de calumnia prior iurare non cogitur: neq; enim ferendus est actor, si conditioni quam ipse detulit, de calumnia uelit sibi iurari. Planè iusiurandum quod ex conuentione extra iudicium defertur, referri non potest. Sed & si in causa delicti iusiurandum delatum sit, referri id non debet. Sic enim Vlpianus: Si quis in rerum amotarum iudicio delatum sibi iusiurandum referre uelit, non uidetur Prætor id permisisse: non magis quàm si quis ei qui furti agat, iusiurandum referat, an ipse fur sit. Tale deniq; iusiurandum referri debet, quale delatū est. quod tamen non perpetuò uerum est: neq; semper consonans est, per omnia referri iusiurandum quale defertur: forsitan ex diuersitate rerum uel personarum quibusdam emergentibus, quæ uarietatem inducunt. Ideoq; si quid tale inciderit, officio iudicis conceptio huius iurisiurandi terminanda est. Iusiurandum autem deferri potest uel in principio litis, uel in medio, uel in ipsa definitiua sententia: post sententiam, siue ea in rem iudicatam transierit, uel per appellationem suspensa sit, frustra defertur. Si deniq; is cui iusiurandum delatum est, dubitet: aut remittendum ei iusiurandum est, aut spacium dandum, ut certioretur, & sic iuret. Quod idem dici debet de actore, cui refertur iusiurandum, dubitante. Porro delato iureiurando, illud regulariter quidem apud ipsum

Vbi iuran-
dum.

ipsum iudicem præstandum est: uerùm ad egregias personas, eosq; qui ualetudine impediuntur, domum mitti oportet ad iusiurandum præstandum. Sed & si iusiurandum desertur absenti, lite fortè per procuratorem uentilata, debet uenire ad iudicem: uel si iudex existimauerit, ad eum mittendum est, ut eo loco ubi est, sub actorum testificatione iuret, uel referat uel recuset iusiurandum delatum. Sed plura de loco iurandi præstandi diximus supra in iuramento calumnie. Iurari autem oportet, ut delatum est iusiurandum. Cæterùm si ego detuli ut per Deum iurares, **Quaforma tu per caput tuum iurasti, uel filiorum tuorum: non iurandum.** erit ratum habendum iusiurandum. Quòd si exegi ut per salutem tuam iurares, & iurasti: stabitur. Omne enim omnino licitum iusiurandum, per quod uoluit quis sibi iurari, idoneum est: & si ex eo fuerit iuratum, Prætor id tuebitur. Contra qui per salutem suam iurat, licet per Deum iurare uideatur (respectu enim diuini numinis ita iurat) attamen si non ita specialiter iusiurandum ei delatum est, iurasse non uidetur. Et ideo ex integro solenniter iurandum est. Planè si quis illicitum iusiurandum detulerit, scilicet improbate publicæ religionis, pro eo habetur atque si iuratum non esset. Vnde diuus Pius iurijurando, quod propria superstitione iuratum est, non esse standum rescripsit. Porro si is cui delatum iusiurandum est, iurauerit: **Eventus iurandi præstiti.** exceptione iurandi defenditur. de qua

118 INSTITUTIONVM

qua re infra dicitur. Sed & interdum ex iureiurando praestito obligatur quis, & obligat deferentē. puta si quis iurauerit me ei uendidisse rem centū: non solum exceptione utitur: sed & ex empto agere poterit, ut ei cetera praestentur: id est, ut res tradatur, & de euictione caueatur. Sed & ipse ex uendito tenetur, ut precium soluat: nisi forte de hoc ipso iuratio est, quod precium sit solutum. Idem dicemus et si quis societatem fecisse iurauerit. Nam & is pro socio poterit conueniri. Item si quis iurauerit ob decē pignori dedisse fundū, non alias pignoratitia agere potest, quam si decē soluerit. Sed & in decem ex iureiurando suo potest conueniri. Idem dicendum, si quis iurauerit rem sibi ab uxore in dotem datam esse. nam et hic uxori utilis de dote actio datur. Porro si iureiurando praestito, postea iurans de periurio fuerit cōuictus, fustibus castigatur, uel ad tempus exulat. periculum autem corporis, uel maiestatis crimen, etsi per principis uenerationem quodam calore fuerit peieratū, inferri non debet. Pupillus uero peierare non uidetur: quia sciens non uidetur fallere. Sed & qui iurato iudicio sisti promisit, non uidetur peierasse, si ex concessa causa hoc deseruerit. Imp̄p. quoq; Seuerus & Antoninus rescripserunt, gratiam se facere iurisiurandi ei qui iurauerat, se ordini non interfuturū, & postea duumuir creatus esset. Hæc de ipso iureiurando sunt dicta: nunc de actione & exceptione iurisiurandi dicen-

De actione
& exceptione
iurisiurandi.

dicendum. Si itaq; delato uel relato iurciurando iuratum sit: iuranti ex eo iureiuratio tam actio quam exceptio datur. Idem dicendum, si delato iureiuratio id postea remissum sit. nam et hoc casu ei cui remissum est, perinde ac si iurasset, tam actio quam exceptio iurisiurandi competit. Remittit autem iusiurandum, qui deferente se, cum paratus esset aduersarius iurare, gratiam ei facit, contentus uoluntate suscepti iurisiurandi. Quod si non susceperit iusiurandum, licet postea parato iurare, actor nolit deferre, non uidetur remissum. Nam quod susceptum est, remitti debet. Planè iurisiurandi gratiam facere pupillus non potest. Absenti uero et ignorantia iurisiurandi gratiam fieri posse, responsum est. Sed et per epistolam iurisiurandi gratia fieri potest. Postremo et ei qui detulit, uel delatum retulit iusiurandum, tam actio quam exceptio iurisiurandi datur; si aduersarius iurare recusauit: quamuis postea iurare sit paratus. Porro si ex eo agatur uel exceptio obijciatur, quod iuratum esse dicatur, et ab aduersario iuratum esse negetur, cum de eo ambigetur: exceptioni aduersus iurisiurandi actionem locus est. Idem dicendum, si iurauit te deferente, non iurasse te dari tibi oportere: nam aduersus utilem actionem, qua hoc quaeritur, an iuraueris tibi dari oportere, opponenda est exceptio iurisiurandi perimentis questionem actione comprehensam. Sed et cum iusiurandum et actionem et exceptionem inducat, si forte reus ex-

tra iur-

Causa huius
ius actionis
& exceptio-
nis:

tra iudiciū actore inferēte iurauerit se dare nō oportere, & actor reo referente dari sibi oportere, uel contrā: posterior causa iurandi potior habebitur: nec tamen præiudicium perituro alterius fiet: quia non queritur, an dare eum oporteat, sed an actor iurauerit. Ait Prætor: Si is cum quo agetur, conditione delata iurauerit. non frustra adiicitur, Conditione delata. Nam si reus iurauerit nemine ei iusiurandum deferente, Prætor id iusiurandum non tuebatur: sibi enim iurauit. Alioquin facilimè quisque ad iusiurandum decurrens, nemine sibi deferente iusiurandum, oneribus actionum se liberaret. Sed & ab eo delatum iusiurandum, qui ad hoc habilis non est, pro non delato habetur: neque filius uel quisquam alius iusiurandum citra uoluntatem domini litis deferendo præiudicium ei facere potest. Vnde si petitor iurauit possessore deferente, rem suam esse: dabitur quidē ei actio, sed duntaxat aduersus eum qui iusiurandum detulit, eosq; qui in eius locum successerunt: Cæterum si aduersus alium uelit prærogatiua iurandi uti, nihil ei proderit: quia non debet alij nocere, quod inter alios actū est. Sed & si possessori delatum erit iusiurandum, & iurauerit rem petitoris non esse: aduersus eum solum petentem exceptione utetur, non alium. Ei enim soli nocere debet iusiurandum, qui detulit, eiusq; hæredibus. Planè si tutor qui tutelam gerit, aut curator furiosi prodigi ue
iufiu-

iusiurandum detulerit : ratum id haberi debet etiam aduersus eum, cuius tutela uel cura gesta est. Sed et procurator quoque quod detulit, ratum habendum est, scilicet si aut uniuersorum bonorum administrationem sustineat, aut si id ipsum nominatim mandatum sit, aut si in rem suam procurator sit. Alias autem procurator deferens iusiurandum audiendus non est, quamuis de rato caueat: siue enim dominus petat, cogetur reus docere liquidò se iurasse: posita scilicet exceptione. Siue ex stipulatione de rato agat, necesse habebit ipse de periurio suo docere. Si itaque mandatum fuit procuratori ut petat, ille autem iusiurandum detulit: aliud fecit quam quod mandatum est. Defensor quoque municipum uel cuiusuis corporis iusiurandum deferre potest, si super hoc mandatum habeat. Sed et iudex causa cognita iusiurandum deferre potest, et ita ei aduersus quem iuratum est, etiã inuito præiudicare. Seruus quoque quod detulit, uel iurauit, seruatur, si peculij administrationem habuit. Huic enim solui quoque recte potest. Et de peculio actio in dominum danda est, si actori seruus detulerit iusiurandum. Eadem et in filiofamiliã dicenda sunt. Sed et in duobus reis stipulandi ab altero delatum iusiurandum etiam alteri nocebit. In popularibus quoque actionibus iusiurandum exactum aduersus alios proderit, si bona fide exactum fuerit. Hæc si aduersus alium quam qui detulit, iurandi actio uel

* exceptio

exceptio proponatur, dicta sunt. Porro pupillus tuto-
 re authore iusiurandū deferre debet. Quod si sine tu-
 toris autoritate detulerit, exceptio quidē obstabit,
 sed replicabitur: quia rerū administrandarū ius ei nō
 cōpetit. Sed & si pubes, minor tamen uiginti quinq;
 annis, detulerit, & hoc ipso captū se dicat: aduersus
 exceptionē iusiurandi debet id replicari: uel saltē
 Prætor cognoscere debet, an captus sit, & sic in inte-
 grū restituere: nec enim ut quisq; minor est, statim et
 circumscriptū se docuit. Propterea exceptio ista siue
 cognitio statutū tēpus post annū uicesimūquintū non
 debet egredi. Præterea si quis iusiurandū in fraudem
 creditorū detulerit debitori, aduersus exceptionē iu-
 risiurandi replicatio fraudis creditoribus dari debet.
 Sed & si fraudatur detulerit iusiurandū creditori, ut
 iuraret decē sibi dari oportere, mox bonis uēditis ex-
 periri uolet: aut denegari debet actio, aut exceptio op-
 ponitur fraudatorū creditorū. Si quis iusiurandū detu-
 lerit, & hoc reuocare maluerit: licet quidē ei hoc fa-
 cere, & alias probationes, si uoluerit, præstare: ita ta-
 mē, ut huiusmodi licentia ad litis tantūmodō terminū
 præstetur. Post definitiuā autē sententiā, quæ prouoca-
 tione suspensa nō sit, uel quæ postq̄ fuerit appellatū,
 corroborata fuerit: nullo modo reuocare iuramentū,
 & iterū ad probationē uenire cuiquā cōceditur: ne
 repetita lite, finis negocij alterius causæ fiat exordiū.
 Is autē cui delatū est iusiurandū, statim suscipere &
 præstare iusiurandū debet: alioquin si nō statim susce-
 perit,

LIBER SECVNDVS. 114

perit, quāuis postea iurauerit, iusiurandum illi nihil prodest: si tamē dubitat, interdū causa cognita spaciū illi dandū est ad deliberandū, ut supra quoq; diximus. Quacūq; aut actiōe q̄s cōueniatur, si iurauerit, proficiet ei iusiurādū, siue in personā, siue in rē, siue in factū, siue p̄nali actiōe, uel quauis alia agatur, siue de interdīcto. Sed & si de cōditione personæ fuerit iurātū, Prætor iusiurandū tuebitur. Vt puta detuli tibi iusiurandū, & iurasti te in potestate mea nō esse: tuendū erit iusiurandū. Sed & de eo iurari potest, an prægnans sit mulier, uel nō sit: & iurijurando standū. Et si de possessione erat quæstio, seruari id oportet: si forte quasi prægnans ire in possessionē uolebat, & cū ei cōtradiceretur, uel ipsa iurauit se prægnantē, uel cōtra eam iurātū est. Nam si ipsa, ibit in possessionē sine metu: si contra eam, non ibit, quāuis uerē prægnās fuerit. proderitq; mulieri iuranti iusiurandū, ne cōueniatur quasi calūniæ causa uentris nomine fuerit in possessione, ne ue uim patiatur in possessione. Sed nō eousq; iusiurādū prodest, ut post editū partū nō queratur, ex eo editus sit, an nō sit, cuius esse dicitur: qui a iusiurandū alteri neq; prodest, neq; nocet. Matris igitur iusiurandū partui nō proficiet, nec nocēbit, etsi mater detulerit, et iuret ex eo prægnās nō esse. Plurē quod dictū est, iusiurādū alterius alteri nō prodesse, id distinctionē recipit. Nā si seruus iurauerit rem domini esse, uel dominum dare non oportere: actio

✱ 2 uel

uel exceptio domino indulgenda est, sibiq; aduersarius imputabit, qui seruo detulit iusiurandum. Multo magis proderit patri religio filij, cum quo etiam iudicium consistere poterit. Sed & si pater filium dare non oportere iurauerit: & patri & filio danda exceptio iurisiurandi. Iusiurandum quoq; defensoris uel procuratoris ei ab aduersario delatum prodest, exceptionemq; domino parit. Idem dicendum erit, si datus ad petendum procurator reo deserente iurauerit dari domino oportere: nam actio domino danda erit. Sed & si fideiussoris defensor iurauerit, reo datur exceptio, cum à fideiussore exactum iusiurandum proficit etiam reo: si modò ideo interpositum est iusiurandum, ut de ipso contractu & de re, non de persona iurantis ageretur: uel fideiussor non iurauerit non se fideiussisse. Contra reo iurante fideiussori etiam proficit: quia & res iudicata secundum alterutrum eorum utriq; proficiet. Planè si controuersia inter creditorem & pupillum fuerit: siquidem ita conuenerit, ut ab omni conditione discederetur, si pupillus iurasset, isq; iurauerit se dare non oportere: iusiurandum fideiussori quoq; pupilli proderit: quia naturalis obligatio hac exceptione tolletur, & soluta pecunia repeti poterit. Sin uerò creditor quidem se mutuum dedisse contendat: pupillus aut hoc solo defendatur, quòd tutor eius non interuenerit, & hoc tale iusiurandum interpositum est: hoc casu fideiussorè Prætor nō tuebitur.

Si aut liquidò adprobari nō potest quid actū sit, et in obscuro erit (ut plerunq;) de factō, an de iure inter creditorē & pupillū controuersia fuerit: tantūq; deferēte creditore pupillū iurasse: intelligere debemus actū inter eos, ut si iurasset dari nō oportere, ab omni cōditione discederetur. Atq; ita & solutā pecuniā re peti posse, & fideiussoribus exceptionē dari debere, existimandū est. Ex duobus reis promittendi eiusdem pecunie, si alter iurauit, alteri quoq; prodesse debet. Sed & auctoris iusiurandū prodest successorī, etiā si in rē successerit. Nam ita Prætor ait: Eius rei, in qua iusiurādū delatū fuerit, neq; in ipsum, neq; in eū ad quē ea res pertinet, actionē dabo. Nihil aut refert, cuius sexus etatis ue sit q iurasse dicitur: omni enim modo custodiri debet iusiurādū aduersus eū, q cōtētus eo, dū deferret, fuit: quāuis pupillus nō uideatur peierare: quia sciēs fallere nō uideatur. Planē si illicitū iusiurādū delatū fuerit, improbatē scilicet publicæ religionis: pro eo habendū, ac si iuratū nō esset, suprā diximus. Aduersus exceptionē aut iurisiurādi replicatio dolimali nō debet dari: cū Prætor id agere debeat, ne de iureiurādo cuiusquā queratur. Proinde dato in reiurādo nō aliud queritur, q̄ an iuratū sit, remissa questione an debeatur: quasi satis probatū sit iureiurādo. Ideoq; probatio in cōtrariū nō admittitur, quāuis peieratum esse doceatur: cū per iusiurandū transfactū uideatur, et sufficiat periurij poena. Planē si quis

legatū uel fideicommissū exegerit, & testamēto nō ap-
 parente, ab herede iusiurādū ei delatū sit, usq; iuraue-
 rit sibi legatū uel fideicommissum relictū esse, itaq; il-
 lud perceperit, posteaq; manifestū factū sit nihil eū
 penitus relictū esse: repeti ab eo legatū uel fideicom-
 missum iam solutū potest, nullumq; lucrum ex huius-
 modi periurio ei accedit. Sed & si à iudice alicui ius-
 iurandū sit delatū, posteaq; noua instrumenta inuēta
 esse dicantur: permittitur ex integro causam agere,
 iureiurando non obstante. Solent enim sepe iudices
 in dubijs causis exacto iureiurādo secundū eū iudica-
 re qui iurauit. aliās si inter ipsos litigatores iureiurā-
 do transactū sit negociū, nō cōceditur eandē causam
 retractare. Planè ita demū ex iureiurando uel actio
 uel exceptio datur, si ex ipso factō, de quo iuratū est,
 actio uel exceptio cōpeteret, si id fuisset probatū: a-
 lioquin exceptio, quæ ipsi factō obstarēt, iuriurādo
 quoq; obstabit: puta si iurauero usumfructū alicuius
 rei uel meum esse, uel mihi dari oportere: eatenus
 mihi competit actio, quatenus si uerè usumfructū ha-
 berē, duraret: quibus uerò casibus amitteretur, non
 cōpetit mihi actio. Vnde si iurauero usumfructū mihi
 dari oportere: non aliter dari debet, quàm si caueam
 boni uiri arbitrato me usurū, & finito usufructu resti-
 tuturū. Itē si iurauero te Stichū mihi dare oportere,
 qui nō sit in rerū natura: nec æstimationē mihi pro-
 stare reus debet, nisi ex causa furtiua, uel propter mo-

ram:

Datunc enim etiã post mortẽ serui estimatio præsta-
 tur. Si quoq; pater iurauerit in peculio nihil esse: pa-
 ter ita cõuenietur, ut post acquisiti peculij ratio ha-
 beatur. Hęc tamẽ ita obtinẽt, si specialiter quid factũ
 esse uel non esse iuratũ sit: alioquin si generaliter iu-
 ratũ sit, nihil deberi: nullius exceptionis ratio habe-
 tur: quemadmodũ supra in confessionis quoq; actione
 dictũ est. Planẽ temporis præscriptio, quæ actioni in
 qua iuratum est, obstat, iurisiurandi actioni non ob-
 stabit. Quia iusiurandum uim obtinet litis cõtestate,
 post quã perpetuatur actio. Præterea si quis iuraue-
 rit id quod nec ius, nec natura cõcedit: uidetur iusiur-
 andũ uim nullã habere, exẽplo eius quod supra de
 cõfessis diximus. Si tamen rerũ, in quibus ususfructus
 propter abusum cõstitui nõ põt, iurauerit usumfructũ
 se habere, uel sibi deberi: iusiuradũ effectũ habebit, et
 ex eo iureiurãdo usumfructũ petere poterit, cautioẽ
 oblata. Iuramẽto autẽ præstato uel relato uel recusato,
 illud omnino sequẽdũ est, nullo loco prouocationi re-
 linquẽdo. Quis enim serẽdus ẽ ad appellatiõis ueniẽs
 auxiliũ in ijs q̃ ipse faciẽda procurauit? Planẽ si is cui
 iusiurandũ est delatũ uel à parte uel à iudice, hoc re-
 cusauerit, et iudex hoc omnino præstandũ existima-
 uerit, ideoq; quasi recusato iureiurãdo sententiã tulerit:
 is q̃ sacramentũ recusauit, uel hoc attestari põt: uel
 si forte nõ audeat, habet sibi inultima prouocatiõẽ re-
 positũ auxiliũ. Et si qdẽ iudex appellatiõis bene qdẽ

delatum iusiurandum, non ritè autem recusatū pronunciauerit : res secundum quod iudicatum est, permanebit. Sin autem nō ritè quidem illatum, rectè aut recusatum sacramentum pronunciauerit: tunc ei licebit emendare sententiam iudicis, quæ quasi ex recusato sacramento processit: & nihil penitus nec præiudicij nec iniusti dispendij cuiuscunq; incurret: sed et cause cursus ab initio usq; ad nouissimū terminū non impeditur, & lis æqua lance trutinabitur. Et hæc quidem, si delatū iusiurandum sit relatū: secus aut, si relatū recusatum sit, ut supra diximus. Præterea possessori, qui iurauit rē petitoris non esse, iusiurandum ad actionem non prodest, sed ad exceptionem tantum, etiā si is possidere coeperit, qui iusiurandū detulit: non enim rem suam esse iurauit, sed eius non esse. Proinde si cū possideret, deferente petitore, rē suam esse iurauit: consequenter dicetur amissa quoq; possessione, si is qui detulit iusiurandū, nactus sit possessionem, actionē in factū ei dandā. Exceptio aut iurisiurandi, nō tantū si ea actione quis utatur, cuius nomine exegit iusiurandū, opponi debet: sed etiā si alia: si modo eadē quæstio in iudicium deducatur: forte si ob actionē mādati, negociorū gestorū, societatis, cæterasq; similes iusiurandū exactū sit, deinde ex iisdem causis certū cōdicatur: quia per alterā actionē altera quoq; consumitur. Proinde colonus quoq; cū quo propter succisas forte arbores agebatur ex locato, si iurauerit se

se nō succidisse, siue à lege xii. Tabularū de arborib. succisis, siue ex lege Aquilia damni iniuriæ, siue interdicto Quod ui aut clam postea conuenietur, per exceptionem iurisiurandi defendi poterit. Is quoq; qui iurauit furtum se non fecisse, neque furti neq; conditione rei furtiue tenetur: nisi tanquam furis heredi ei condicatur. Sed si quis iurauerit se non rapuisse, non debet adiuuari hoc iureiurando & in actione furti & conditione: quia aliud est furtum fecisse, quod uel clam fieri potuit. Sed & que iurauit diuortij causa rem se non amouisse, non debet defendi per exceptionem, si cum ea in rem agatur: & si contendat suam esse, alio iureiurando opus est. Contrà si iurauerit suam esse, debet in actione rerum amotarum defendi. Et omnino hoc obseruādum est, licet per aliam actionem eadem questio moueatur, ut exceptio iurisiurandi locum habeat. Igitur si quis iurauit se non esse condemnatum: etiamsi ex stipulatu iudicatum solui ob rem iudicatam conueniatur, defendetur p̄ exceptionem. Contrà si, cum ex stipulatu iudicatiū solui cōueniretur, iurauit se dare non oportere: agenti iudicati non utiq; obstabit exceptio. Potest enim fieri, ut non sit commissa stipulatio, licet res iudicata sit: nisi ideo iurauit, quòd nec damnatum se esse diceret. Si actor deferat iusiurandum de sola constituta pecunia, & reus iurauerit: exceptione utetur, si de constituta conueniatur. Sed si de sorte, id est de

priore obligatione conueniatur, exceptio cessabit: nisi si de hac quoque iurauerit aduersario deserere. Ex his patet, si ex alia causa agatur, quam de qua iuratum est, iurisiurandi exceptionem non obstare. Idem dicendum est si de alia re agatur: nisi forte ex eadem causa ad aliam rem agatur: puta si libertus, deserere patrono, iurauit se libertum non esse: ratum enim habendum est iurandum, ut nec operarum petitio, nec bonorum possessio contra tabulas dari debeat.

Quibus & aduersus quos iurisiurandi actio uel exceptio competat. Quid ueniat in actione proposita.

Hæc de causis actionis et exceptionis iurisiurandi, earumque exceptionibus sint dicta. Ex quibus etiam patet, quibus et aduersus quos actio ista uel exceptio competat? Nam supra suo loco dictum, iurandum alterius alteri neque prodesse neque obesse debere, exceptis tamen certis quibusdam casibus. Nunc quid in actione proposita ueniat, uidendum. Et quidem id quod in principali actione, in qua iuratum est, uel iudicati actione uenire solet, si fuisset probatum: idem etiam in hac utili actione iurisiurandi uenire debet. Ideoque si, cum de hereditate inter me et te controversia esset, iurauero hereditatem meam esse: id consequi debebo, quod haberem, si secundum me de hereditate pronunciatum esset: et non solum eas res restituere debebis, quas tunc possidebas, sed et si quas postea cepisses possidere: perindeque habendum quod iuratum est, atque si probatum esset. Ideoque fructus etiam percepti ex re, quam meam esse iuravi, mihi restituendi

endi sunt. Sed & partum editum, foetusq; pecorum restituendos constat post iusiurandum delatum. Si mulier iurauerit decem dotis sibi deberi, tota ea summa praestanda est. Sed si iurauit se decem dedisse in dotem: hoc solum non erit quaerendum, an data sint: sed quasi data sint, quod ex eo reddi oportet, praestandum erit. Planè is qui iurauit, ex ea actione, quae inficiando crescit, aliquid sibi deberi: simpli, non dupli persecutionem sibi acquirit. Abundè enim sufficit exonerare petitorum probandi necessitate: cum omissa hac parte edicti, dupli actio integra maneat. Et potest dici, hoc iudicio non principalem causam exerceri, sed iusiurandum actoris conseruari. Porro actori delato uel relato iureiurando, si iurauerit, uel ei remissum sit sacramentum, ad similitudinem iudicati in factum actio competit. Sed & si quis iurauerit me ei uendisse rem centum, ex empto agere poterit, ut ei cetera praestentur, id est, ut res tradatur, & de euctione caueatur. Is tamen qui furtum sibi alicuius rei factum iurauerit, furti quidem actionem, non autem condictio- nis etiam causam nanciscitur. Iusiurandum uero à debitore exactum non solum exceptionem ei tribuit, sed actionem quoq; pignoratitiam, sed & indebiti conductionem: ut puta quum interposito eo ab omni controuersia discedatur. Postremò, quod ad euentus huius actionis uel exceptionis attinet, si damne-

Quae com-
petat actio,

Euentus
huius actio-
nis,

si damnetur quis post iusiurandum ex famoso iudicio, famosum cum effici magis est. Si quis autem aduersus unum ex duobus patronis iurauerit, se illius libertum non esse: multum fidei & authoritatis apud iudicem alter patronus habebit, quo magis solus patronum se probet: quod libertus iurasset, alterum patronum non esse. Si tamen constet, cum cui iuratum est, patronum fuisse: eius pars in iure patronatus alteri, aduersus quem iuratum non est, non adcrefcit. Ideoq; sue tantum, non etiam alteri debite partis bonorum possessionem in bonis liberti petere poterit. Hæc de iureiurando. Hactenus ergo de probationibus, & ijs quæ uicem probationum obtinēt, sit dictum.

DE ORDINE COGNITIONUM & officio iudicis.

CAP. XIX.

Probationes sequitur officium iudicis de ijs cognoscentis: de quo nunc simul & de cognitionum ordine differendum est. Quod igitur ad ordinem cognitionum attinet, hæc regule tradi solēt: quod prius de possessione quàm de uolentie crimine cognoscendum sit atque pronuntiandum: et prius de possessione quæ ui ablata dicitur, quàm de proprietate rei. Incerti enim iuris non est, orta proprietatis & possessionis lite, prius possessionis decidi oportere.

portere questionem competentibus actionibus, sine præiudicio tamen proprietatis: ut ex hoc ordine facto de dominijs disceptatione probationes ab eo, qui de possessione uictus est, exigantur. Cæterum si due cause in iudicium deducantur, quarum alteri per alteram futurum est præiudicium: maior causa ante minorem est expedienda. Per minorem enim causam maiori cognitioni præiudicium fieri nõ oportet: maior enim questio minorem causam ad se trahit. Rei autem maioris pecunie præiudicium fieri uidetur, cum ea questio in iudicium deducitur, quæ uel tota uel ex aliqua parte communis est questioni de re maiori. Eorum igitur iudiciorum, quæ de hereditatis petitione sunt, ea authoritas est, ut nihil in præiudiciũ eius fieri debeat: magnitudo enim & authoritas centuuiralis iudicij non patitur per alios tramites uiam hereditatis petitionis infringi. Proinde si is faciat controuersiam hereditatis, qui cum defuncto compromiserat: quoniam futurum est præiudicium hereditati, si arbiter sententiam dicat, interea inhibendus est arbiter. Aliud exemplum est, si cum fundum Titianum possideres, de cuius proprietate inter me & te controuersia esset, dico præterea uiam ad eum per fundum Sempronianum, quem tuum esse cõstat, deberi. In petitione uie exceptio, quod præiudicium prædio non fiat, utilis est: scilicet quod non aliter mihi uiam deberi probaturus sim, quam prius probauerim.

rim fundum Titianum meum esse. Idem dicendum,
 si cum fundi, quem tu proprium tuum esse dicis, par-
 tem à te petam, simul tecum communi diuidendo iu-
 dicio agere uelim: item si eiusdem fundi, quem tu
 possides, & ego proprium meum esse dico, fructus
 condicere tibi uelim. nam utrobique exceptio, quòd
 præiudicium fundo partiue eius non fiat, obstat. I-
 dem obtinet etiam in publicis accusationibus, ut ac-
 cusator prius criminibus, quæ ei ab aduersario ut
 grauiora, cædis uel uulnerum obijciuntur, respon-
 deat. Planè quamuis criminalis causa ciuili maior sit,
 tamen ciuilis ante criminalem exerceri potest. Sed
 & cum ciuili disceptationi principaliter motæ quæ-
 stio criminalis incidit, uel criminali prius institutæ ci-
 uilis causa adiungitur: potest iudex eodem tempore
 utranq; disceptationem sua sententia dirimere. quæ
 tamen sententia suam habet antinomiali in iure, ubi
 dicitur: Quoniam ciuili quæstione intermissa, sepe
 fit ut de crimine iudicetur, quod utpote maius meri-
 to minori præfertur: ex quo criminalis quæstio quo-
 cunque modo cessauerit, oportet ciuilem causam ue-
 lut ex integro in iudicium deductam distingui: ut fi-
 nis criminalis negotij ex eo die, quo inter partes fue-
 rat lata sententia, initium ciuili tribuat quæstioni. Pla-
 nè post finitam maiorem quæstionem, minorem in iu-
 dicium deduci posse, ex iam dictis patet. Cui concor-
 dare uidetur quod alibi dicitur: Si post litem de hære-
 ditate

Veritate contestatam res singulæ petantur, non ob stare
 exceptionem, quòd præiudicium hereditati non fiat:
 futuri enim iudicij, non facti nomine huiusmodi ex-
 ceptiones comparatæ sunt. Sed & si inter aliquos de
 hereditate controuersia sit, & reus à tertio quodam
 uel tanquam hæres conueniatur, uel ad rem aliquam
 hereditariam restituendam, non prodest illi aduer-
 sus tertium exceptio, quòd præiudicium hereditati
 non fiat: non tamen antè tertio restituere tenetur, ni-
 si prius cautione ab eo præstita, restitutũ iri id quòd
 acceptum est, euicta hereditate. de qua re infra suo
 loco dicetur. Planè causa maiore, utputa heredita-
 ria, in iudicium nondum deducta, minor causa pro-
 pter maiorem differenda non est: quemadmodum in
 liberali causa, quæ alioquin ob querelam inofficiosi
 testamenti differri solebat, responsum est. Si tamen
 hoc prætendatur, maius iudicium motum iri, iudex si
 causa cognita deprehenderit bona fide illud præten-
 di, tempus præstituere debet, idq; modicum: intra
 quod nisi fuerit contestatum, in minori causa nihilo-
 minus procedi debet. Sed & si per minorem causam
 maiori cognitioni nullum futurum est præiudicium,
 nihilq; inuicè habet commune, cessat exceptio pro-
 posita de minore causa ob maius iudicium differen-
 da. Præterea mota questione plagij & proprietatis,
 prius proprietatis q̄ plagij questio est determi-
 nanda. Idem discendũ, si generis simul & hereditatis
 questio

questio moueatur: generis enim questio prior de-
terminari debet. Idem in alia qualibet præiudiciali
causa obseruari debet. Vnde si de hæreditate et liber-
tate simul controuersia sit: prius agi causa libertatis
debet. Et si crimen aliquod inferatur ei quæ ingenua
esse dicitur, antè liberalis causa suo ordine agèda est:
quoniam necesse est antè sciri, si delictum probatum
fuerit, utrum ut in liberam & ingenuã, aut ut in an-
cillam constitui oporteat iudicium: Hæc de ordine
cognitionum. Porro quod ad reliqua iudicium offi-
cia attinet, antequam disputatio causæ concludatur,
iudices oportet in primis rei qualitatem plena inquî-
sitione discutere, & tunc utranq; partem sepius in-
terrogare, nunquid noui addere desideret: cum hoc
ipsum ad alterutram partem proficiat, siue definen-
da causa per iudicem, siue ad maiorem potestatem
referenda sit. Dubitandum tamen non est iudici, si
quid à litigatoribus uel ab ijs qui negocijs adsistüt,
minus fuerit dictum, id supplere & proferre, quod
sciat legibus & iuri publico conuenire. Vbi autem
decretum necessarium est, per libellum id magistra-
tus siue iudex expedire nõ potest: omnia enim que-
cunq; causæ cognitionem desiderant, per libellum nõ
possunt expediri. Porro mortuo iudice, quod eum iu-
dicare oportuerat, idem eum qui subditus est, sequi
oportet. Et de qua re cognouerit iudex, pronunciare
quoq; cogendus erit. Inciuile autem est, nisi tota lege
per spe-

perspecta, una aliqua particula eius proposita iudicare uel respondere. Nō omne uerō quod iudicis potestati permittitur, subijcitur quoq; iuris necessitati. Sic absentem contumacē iudex condemnare quidem potest, non autem omnimodō necesse habet. In iudicando autem iudex non ad sententias & consultationes aliorum respiciet, uerā ad leges: nō enim exemplis, sed legibus iudicandum est. Quum uerō duplex questio in iudicijs uertatur, iuris nimirum & facti: ante omnia iudici animaduertendum, utrum de iure, an facto contentio sit. Est enim aliud eius officium, si de iure: aliud, si de facto sit controuersia. In iuris questionibus in primis illud obseruare debet iudex, ne aliter iudicet, quā legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est: neq; distinguat, ubi non distinguit lex: sed erubescat sine lege loqui. Neq; enim iuris questio in arbitrio iudicis est, sed in legum auctoritate. In extraordinarijs tamen & causis cognitionibus iudici permissum est animi sui motum sequi: de qua re aliās copiosius disserui. Sed & si inter duo iusta queratur utrum iustus sit: quæ regulæ iudici sequendæ sint, supra de legum interpretatione diximus. Inter has una & hæc est, quod uoluntas legis uel testatoris uel contrahentium scripto sit præferendā: dummodo de uoluntate ista constet. alioquin in re dubia melius est uerbis edicti seruire: nec aliter à significatione uerborum recedi oportet, quā cum mani-

festum

festū est aliud sensisse testatorem. Planè nō ut iuris, ita facti quoq; quæstio ex legum authoritate pendet, sed potius ex arbitrio iudicis: ideoq; uoluntatis defuncti quæstio in æstimatione iudicis est: neq; enim, quæ argumenta cuiq; rei probāde sufficiant, ullo certo modo legib. definiri posse, supra diximus. Ideoq; cum de facto queritur, iudex nō ad unam probationis speciē cognitionem suā alligare debet, sed ex sententia animi sui existimare, quid aut credat, aut parum probatum sibi opinetur: cōfirmabitq; motum animi sui ex argumentis & testimonijs, quæ rei aptiora, & uero proximiora esse cōpererit. Proinde ad circumstātijs quoq; causæ respicere debet, estq; persona spectanda, an potuerit facere, & an antè tale quid fecerit, & an cogitauerit, & an sanæ mentis fuerit, etc. Planè deficientib. plenis probationibus, iudex alterutri parti in supplementum probationis iusiurandum deferre potest: de qua re supra quoq; capite proximo dictum est. hoc tamen à iudice fieri non debet, nisi causa cognita, si circumstantijs causæ perspectis illum aliquid moueat ad credēdum ei, cui probādi onus incumbat. Hic etiā considerandæ sunt presumptionum regule, quæ passim in iure habentur: ut de pariter mortuis puta parente cum filio. pereunte, ut ignoretur uter prior decesserit, et per cōsequens, utrius heredib. hæreditas debeatur, exemplo Imperatoris Hadriani credendum est patrem prius mortuum esse. Planè si cum filio

filio suo libertus simul perierit, intestati patrona legitima defertur hereditas, si non probatur superuixisse patri filius: hæc enim reuerentia patronatus suggerente dicuntur. Sed et si cū ita fideicommissum ab aliquo relictū esset, si sine liberis decesserit, postea ignoretur, utrum pater, an filius prior mortuus sit, & ita, utrum conditio extiterit uel defecerit: responsū est, uideri patrem superuixisse, atque ita conditionē extitisse. Idem dicendum, si pater cum filio impubere decessisse proponatur, ut dabitur uter prior decesserit: nam & hoc casu pater creditur superuixisse. Quod de patre diximus, idem de matre quoque intelligendum est, ut si cum filio pubere mater naufragio perierit, nec explorari possit uter prius extinctus sit: credamus filiū diutius uixisse. si autem cum filio impubere mater perierit, intelligamus priorem filium necatum esse. Proinde si mater stipulata esset dotē à marito, mortua filia in matrimonio, sibi reddi, & simul cum filia periisset: rescriptum est, commissam stipulationem nō esse, nec heredibus matris ex stipulatu actionem concedendam: nisi probassent matrem superuixisse. Idem dicendum, si extraneus, qui dotem stipulatus est, simul cum marito decesserit, uel cum ea, propter quam stipulatus est. item si dos uxori prælegata sit, & simul cum marito perierit. nam creditur maritus superuixisse. Idem in stipulatione quoq; de dote dicendum est, facta sub

hac conditione: Si in matrimonio mulier decesserit: nam stipulatio de dote locum habebit, si non probatur illa superstes uiro fuisse. Idem quoque dicendum in donatione marito ab uxore facta. Contra tamen, si uxori maritus donauerit, simulq; cum marito decesserit: in dubio praesumitur uxor superuixisse, & donatio ualere: maxime quod donator non superuiuat, qui rem condicere possit. Insuper si cum uni ex duobus heredibus, qui supremus moreretur, substitutio facta esset, ambo simul perierint, ut ignoretur uter prior decesserit: substitutus utriusque heres erit. Nam & qui unicum filium habet, si supremum morienti substituit, non uidetur inutiliter substituisse: & proximus adgnatus intelligitur etiam qui solus est, quiq; neminem antecedit: & hic ergo utriusque (quia neutri eorum alter superstes fuit) ultimi primiq; obierunt. Plane haec non carent antinomia, de qua relicet consulere Accursium. Porro in rebus dubijs & obscuris iudici praeter regulas haecenus propositas & aliae in iure praescribuntur, ut quoties equitatem desiderij naturalis ratio aut dubitatio iuris moretur, iustis decretis rem temperandam meminerit: & in re dubia potius reo quam actori faueat. In pari enim causa possessor potior haberi debet: siquidem fauorabiliores rei quam actores habentur. Ideoq; ubi de obligando quaeritur, propensior esse iudex debet, si habeat occasionem, ad negandum. Vbi de liberan-

do, ex diuerso facilius erit ad liberationem. Præterea in re obscura melius est fauere repetitioni, quam aduenticio lucro: & quoties in actionibus aut in exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis ualeat quam pereat. nam semper in dubijs id agendum est, ut quam tutissimo loco res sit bona fide contracta nisi cum aperte contra leges scriptum est. Ideoque si quis intentione ambigua uel oratione usus sit, id quod utilius ei est, accipiendum est: ambigua enim intentio ita accipienda est, ut res salua sit actori. In contrahenda tamen uenditione ambiguum pactum contra uenditorem interpretandum est: ut in stipulationibus contra stipulatorem: nisi forte uerba pro stipulatore sint clara & aperta, promissorque dicat aliud esse actum: hoc enim casu uerbis potius standum est, donec contrarium probetur. de qua re infra suo loco dicetur copiosius. Præterea in obscuris quod minimum est, sequimur: & quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est quod minimum habeat iniquitatis. Item quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit, quemadmodum & pro dotibus in ambiguo respondere melius est. Nam & alias in ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet, semperque in dubijs benigniora præferenda sunt. In obscuris insuper inspicitur solet quod uerisimilius est,

aut quod plerunque fieri solet. Ideoq; cum tempus in testamento adijcitur, credendum est pro herede adiectū, nisi alia mens fuerit testatoris: sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus additur. Hactenus regulas præsumptionum in rebus dubijs & obscuris enumerasse sufficiat: quarum tamen plures, sed speciales, passim in suis locis, ad quos peculiariter pertinent, proponuntur. Quæ regule summo iudicio egent, ne uideantur inuicem cōtrariæ, cogitandumq; eas non ius facere, sed esse quasi causæ coniectiones, ut ait Sabinus, ex quibus iudici, quid in rebus dubijs & obscuris sequendum sit, probabiliter saltem sit cōijciendum.

DE RELATIONIBVS ET
consultationibus, necnon de sententia
formanda & pronuncian-

da. CAP. XX.

Sane in rebus dubijs & obscuris iudici facultas conceditur superiores magistratus consulendi. Nā ita Imperator Iustinianus: Si quid iudices, dum cognoscunt, putauerint subesse dubij, damus eis licentiam de his nunciare nobis, & nos cōsulere, ut discāt quæ necessaria sunt, & ita quod agendū est explicent, & faciant iusta simul & rationabilia iudicia. Hisce contradicere uidetur alia eiusdē Imp, Iustiniani cōstitutio posterior, qua cauetur, ne qs iudicium

eum ullo modo aut tēpore in causis apud ipsos pro-
 positis relationem per suggestiones ad Imperatorem
 instituat, sed ut perfectē negociū examinet, et secun-
 dum quod ipsi iustū et legitimū uisum fuerit, iudicet:
 appellationis remedio ei qui sentētia lēsus fuerit, re-
 seruato. quæ cōstitutio uidetur quodammodò præce-
 dentib. contradicere, & consulendi licentiā auferre:
 quanquā Accursius eam interpretatur de facti tan-
 tum questionibus, in quibus ne antiquo quidem iure
 consulendi potestas concedebatur. Nam cauetur iure
 Pandectarum, iudicibus de iure dubitantibus præsi-
 des respondere solere: sed de facto consulentibus non
 debere præsidēs consilium impertire, uerū iubere
 eos, prout religio suggesserit, sententiā proferre: quo-
 niam hæc res nonnunquam infamet, & materiā gra-
 tie uel ambitionis tribuat. Planè Imperator quoque
 Constantinus uetuit, ne ad Imperatorem, quod plena
 instructione indigeat, consulendo mittatur. Sed &
 idē Imp. prohibuit, ne postquā à iudice in causa pro-
 nunciatum sit, relatio fiat. Porro ex prædictis cōstat,
 in dubijs rerum questionibus nō Imperatorem solū,
 sed & Præsides prouinciarum à iudicibus consuli po-
 tuisse. Nec tamē delegatus iudex ad præsidē delegan-
 tē causam, quā cognouit, & de qua pronunciare po-
 test, remittere poterat: nisi forte ita delegata esset cau-
 sa, ut remitteretur deleganti, uel meri esset imperij.
 In consultatione insuper iubetur iudex omnes omni-

no causas comprehendere, ut recitata consultatione, propemodum actorum recensione non sit opus: actis tamen nihilominus adiungendis. Sed & consultationis exemplum litigatoribus apud acta edere iubetur: ut si cui forte relatio minus plena uel cōtraria uideatur, is refutatorias preces similiter apud acta sine ali qua frustratoria dilatione offerat. Relatione auientependente, iudex sententiam suam pronunciare non debet. A' consiliarijs uerò ipsius Imperatoris ad hoc deputatis, partibus presentibus uel absentibus causa examinanda est: quo facto, secundum horum consilium Imperator rescribit, à quo rescripto prouocari non potest, ut infra dicitur copiosius. Haftenus de relationibus & consultationibus sit dictum. Porro si relatione omissa iudex ipse sententiam laturus est, iubetur deliberatione habita eam ponderare, nec precipitare: conceptamq; in libellum conferre. Curare autem debet iudex, ut omnino quantū possibile ei est, certae pecuniae uel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum est. de qua re inferius plura dicentur. Sed & si inter partes conuenierit quid pronuncietur: nō abs re erit, iudicem huiusmodi sententiam proferre. Et si reus per procuratorem iudicium suscepit, in procuratoris, non rei principalis personam sententia ferenda est: nisi forte illustris persona iniuriarum accusationem criminalem per procuratorem instituerit, uel sustinuerit. Necessarium

fiam sub conditione sententia ferri debet. Et expensarum ratio in sententijs habenda. Actorem quoq; iudex, si obnoxius fuerit inuentus, condemnare potest. Et tam latina quàm græca lingua iudices sententias proferre possunt. Decreta tamen à Prætoribus latinè interponi debent. U qui in sacro palatio sententias ferunt, iubentur non ex Imperatoris, sed ex propria persona interlocutorias proferre. Omnes autem iudices presentibus litigatoribus suas sententias pronuntiare iubentur, de qua re infra suo loco dicentur plura. Item iudices ipsi suas sententias recitare debent, non alijs mandare recitandas: nisi fortè præfectus prætorio, aut alia illustris persona iudicis munus sustineat. Sed & ex breuiculo seu scripto sententiæ recitari debent: quamuis per annotationem sit iudicatum. Hec de sententijs formandis & pronuntiandis dicta sunt. Sententia autem lata, iudicis officium cessat: & iudex, posteaquam semel dixit sententiam, iudex esse desinit, nec amplius corrigere uel mutare sententiam suam potest, etiam eodem die quo pronuntiatum est. semel enim malè seu bene functus est officio. Planè actorum uerba emendare, tenore sententiæ perseverante, non est prohibitum: & reliqua quæ ad consequentiam & declarationem iam statutorum pertinent, & priori sententiæ desunt, circa condemnandum uel absoluendum reum supplere licet, eodem tamen die. Quod de sententijs non mutandis dictum est,

ad mādāta uel edicta magistratus nō pertinet. Quod enim iussit uetuit ue Prator, contrario imperio tollere & remittere potest. Sed & multa indicta, si condemnatus non sit soluendo, in poenam corporalem commutari potest. Postremò & illud notādum, quòd acta apud se habita, si partes consentiant, & iudex hoc permiserit, possit iubere ea die circumduci: nisi uel negocium uel lis terminata est. Haftenus de actibus iudiciorum tam ante quam post litis contestationem contingentibus dictum est. Nunc de euentis & consequentibus iudiciorum erit dicendum.

DE APPELLATIONIBVS,
earumq; ad finibus aliquot re-
medijs. CAP. XXI.

Lata sententia, finitoq; iudicis officio, sequitur appellatio, res iudicata, iudicati actio, rei iudicatae executio: de quibus singulis & alijs similibus nunc ordine agetur. Appellandi autē usus quam sit uetus, frequens, quamq; necessarius, nemo est qui nesciat. quippe cum iniquitatem iudicantium uel imperitiam corrigat: licet nonnunquam bene latas sententias in peius reformet: neq; enim utiq; melius pronunciat, qui nouissimus sententiā laturus est. Regulariter igitur auxilium appellationis non est denegandum ei qui se sententia dicta laesum putat. Non tamen à quolibet iudice appellare licet. Siquidem à Principe appellare fas non est, cum ipse sit qui postremò
pro-

prouocetur. Idem dicendum de ijs qui nouo iure appellationibus in sacrum palatium introductis uice principis cognoscunt. Si tamen Princeps ad consultationem alicuius rescripserit, cum consultationis exemplum aduersario antea non fuisset exhibitum: ab huiusmodi rescripto prouocandi facultas nō denegatur. Secus si, cum consultationis exemplum utrique litigatori antea à iudice fuisset exhibitum, illi consensu id comprobarunt. A' delegato tamen principis ad delegantem principem prouocare non est prohibitum. Sed & à præfectis prætoriorum prouocare leges nō sinunt. In uicem tamen appellationis hoc casu introducta est supplicatio, & sententiæ retractatio: de qua re infra eodem capite dicitur. Planè à proconsulibus & comitibus, & ijs qui uice præfectorum cognoscunt, siue ex appellatione, siue ex delegatione, siue ex ordine iudicauerint, prouocari potest. Idem de legato proconsulis dicendum. A' Senatu uerò Romano appellari non posse Principem, Imp. Hadriani oratione effectum est. A' iudice quoque ex compromisso accepto appellari non posse, infra suo loco dicitur. attamen ab eo quem Præses utriusque partis consensu citra compromissum, iudicem dedit, uictus potest prouocare. Porro & in maioribus & in minoribus negocijs appellandi facultas est: nec enim iudicem oportet iniuriam sibi fieri existimare, eo quòd litigator ad prouocatio-

nis auxilium conuolauit. quantitas tamen cause in-
 terdum distinguit appellationis iudicem, ut infra suo
 loco dicitur. quo casu, si quis, cum una actione age-
 retur, quae plures species in se haberet, pluribus sum-
 mis sit condemnatus, quarum singulae notionem su-
 perioris iudicis non faciunt, omnes autem coniun-
 ctæ faciunt: pro coniunctis habentur. Præterea nulli
 officialium à sententia proprii iudicis prouocatio tri-
 buitur: nisi in eo tantum negotio, quod ratione ciui-
 li super patrimonio fortè apud proprium iudicem
 inchoauerit. Tam autem in ciuilibus quàm in crimi-
 nalibus causis appellatio concessa est. In criminalibus
 tamen distinctiones quaedam adhibentur, de quibus
 supra libro proximo dictum est. Ab executore sen-
 tentiæ appellare non licet. Sed ab eo qui malè senten-
 tiam iam interpretari dicitur, appellare licet: si ta-
 men is interpretandi potestatem habuerit. ueluti Præ-
 ses prouinciæ, aut procurator Cæsaris: ita tamen, ut
 in causis appellationis reddendæ hoc solum quæra-
 tur, an iure interpretatum sit. Quod de mala inter-
 pretatione dictum est, idem quoque dicendum, si exe-
 cutor sententiæ modum dicatur excedere: nam &
 hoc casu appellatio ab executore est permissa. De-
 negatur insuper appellatio, si res dilationem non re-
 cipiat: ueluti ne testamentum aperiatur: ne frumen-
 tum in usum militum in annonæ subsidia contraha-
 tur: ne uel scriptus hæres in possessionem inducatur.

Sed

Sed & si, ne id quod ex perpetuo edicto decernitur, fiat, appellatio fuerit interposita, non erit permittenda. Item quo minus pignus uendere liceat, appellari non potest. Idem dicendum, cum de possessione & eius momento causa dicitur: nam etsi hoc casu appellatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortitur effectum. Ita tamen possessionis reformationem fieri oportet, ut integra omnis proprietatis causa seruetur. Abstinentium insuper ab appellatione, quoties fiscalis calculi satisfactio postulatur, aut tributarie functionis solenne munus exposcitur. Planè lata sententia, quæ pertinet ad bona uacantia, & ad ea quæ ut indignis legibus cogentibus auferuntur, si quis putauerit prouocandum, est audiendus. In multis quoque inferendis appellationes admittuntur. Victo autem appellante, uictori ob expensarum condemnationem omissam appellatio concedenda non est: cum iudex appellationis, siue uictus appellationem suam prosequatur, siue non, officio suo eum in expensas condemnare possit. A sententia insuper definitiua, non ab interlocutoria appellari permittitur: nam non nisi audita omni causa atque discussa post sententiam dictam appellare conuenit. Ideoq; qui ideo prouocauerit, quòd ei dilatio sit denegata: non est audiendus. Planè si iudex questionem habendam in ciuili negotio interlocutus sit, uel etiam in criminali negotio, contra leges tamen: appellatio ab hac interlocutorie

tortā recipitur. Idē dicendū, si iudex fideiussorēs idō-
 neos uel nō idoneos esse pronūciauit. Præterea delatō
 uel relato iurciurādo, siue aduersarius, siue iudex de-
 tulerit, prouocatiōi locū nō esse, suprà ca. 18. diximus:
 nisi fortè recusato iurciurando iudex id præstandum
 esse pronunciauerit: ab hac enim sententia appellari
 posse, ibidem monuimus. Sed & si ob contumaciā
 rei actori iusiurandum in litem delatum à iudice sit,
 isq; iurauerit, & ex eo reus condemnatus sit: appel-
 lationis auxilium condemnato denegandum non est.
 Interdum Imperator ita solet iudicem dare, ne liceat
 ab eo prouocare: quo casu stabitur mandato Impera-
 toris. aliū autem iudicem ita dare non potest. Si quis
 autem professus fuerit, se à iudice non prouocaturū:
 indubitatè prouocandi auxilium perdidit. Sed & si
 quis bis prouocauerit in eadem causa, tertio in eadē
 lite super iisdem capitulis prouocatione uti prohibē-
 tur. Sciendum quoq; ex peremptorio edicto absentē
 condemnatum, si appellet, non esse audiendum: si mo-
 dō per contumaciā defuerit: si minus, audietur. Eius
 tamen excusatio non erit admittēda, qui ideo causam
 agere frustratur, quod dicit se libellum Principi de-
 disse, & rescriptū expectare. Planè si citatus non re-
 spondit, & ob hoc more solito pronunciatū est, cōse-
 stim aut pro tribunali iudicē scdentē adiūt. existimari
 pōt, nō sua culpa, sed parū exaudita uoce præconis de-
 fuisse. ideoq; restitui pōt. Qui autē condemnatus dilatio-
nem

nē ad soluendū pctijt, uel quolibet alio modo sentētie
 adqueuit: per appellationē litē instaurare nō potest.
 Idē dicendū, si intra decē dies à sententia lata prouo-
 cationē nō interposuerit: de qua re cū alijs similibus
 infrā in tēporibus appellationū dicetur. Sed & in de-
 bitis euidentibus & conuictis appellatio facillē admit-
 tenda non est. Ex his, an appellationi locus sit, patet.
 Nunc quibus appellandi ius cōpetat, uidendū. Et sanē
 regulariter quidē alij q̄ actori uel reo ius appellandi
 non est. ideoq; alius appellans nō est audiendus. quod
 tamē nō perpetuò uerū est: nā interdū alio condēna-
 to, alius, cuius interest, appellare pōt: qualis est q̄ per
 procuratorē expertus uictus est, nec procurator suo
 nomine appellat. Itē si emptor de proprietate uictus
 sit: eo cessante, auctor eius appellare poterit. aut si au-
 ctor egerit & uictus sit, non est deneganda emptorē
 appellandi facultas. Quid enim, si uēditor, qui appel-
 lare noluit, idoneus nō est? quin etiā si auctor appella-
 uerit, deinde in causa defensione suspectus sit uisus?
 perinde emptori defensio causa cōmittēda est, atq; si
 ipse appellasset. Idēq; ita constitutū est in persona cre-
 ditoris, cum debitor uictus appellasset, nec ex fide cau-
 sam defenderet. Quæ cōstitutio ita accipiēda est, si
 interueniēte creditore debitor de pignore uictus pro-
 uocauerit: nā absenti creditori nullū præiudiciū debi-
 tor facit. Sed et si quis in cohæredū præiudiciū se cō-
 dēnari patiatur, uel simile ob causam: cohæredib; uel
 alijs

alijs quorum interest, appellandi facultas non est deneganda: quamuis et sine appellatione tuti sint coheredes. Item fideiussores pro eo, pro quo interuenerunt, appellare non sunt prohibendi. Igitur et uenditoris fideiussor emptore uicto appellabit, licet emptor et uenditor adquiescant. Si heres institutus uictus fuerit ab eo, qui de inofficioso testamento agebat: legatarijs et qui libertatem acceperunt, permittendum est appellare, si querantur per collusionem pronunciatum. Sed et si in fraudem suam transactionem factam ab eo qui appellasset, uel non appellasset, dicerent: idem dicendum est. Præterea et is, cui mandatum est ab eo qui appellandi ius habet, appellare potest. Ideoq; si procurator, qui iudicio interfuerit, uictus sit: ipse quoq; per alium procuratorē appellare potest: quoniã lite contestata ipse dominus litis sit effectus. Idem dicendum: si actor à curatore ordinatus uictus sit: tam enim ipse quàm curator appellationis auxilium habet: curator tamen solus prouocationis litem exercebit. Et si interim adolescens ueniã ætatis impetrauerit, uel ad legitimam ætatem peruenerit, potest suo nomine appellationem exercere. Sed et appellationem ab alio interpositã dominus litis ratã habere potest ac confirmare. Serui appellare nõ possunt: sed domini eorum ad opem seruo ferendã possunt uti auxilio appellationis: et alius domini nomine id facere potest. Si uerò neque dominus neq; alius

pro

LIBER SECVNDVS. 35

pro domino appellauerit: ipsi seruo, qui sententiam passus est, triste auxilium implorare non denegatur. Seruus autem domini sui nomine appellans non auditur, & eiusmodi appellatio non est obseruanda. Pater in causa filij appellans auditur, quemadmodū responsū est in eo filio, qui cum ex libertinitate in ingenuitatem se defenderet, uictus appellare omiserat. Sed & mater, cum uicto filio prouocauerit, pietati id dando, audiri debet: & si litem preparandam curare maluerit, intercedere non uidetur: licet ab initio defendere non potest. Filium quoq; familiās patris nomine prouocare posse, Papiasianus respondit. Pro eo autē qui ad supplicium ducitur, omnis prouocans audiendus est, etiamsi eius nihil intersit, & dānatus sententię acquiescat, uel etiam appellationi contradicat. Nunc qui appellandi seu ad quos prouocandum sit, uidendum. Et quidem gradatim appellandum est, non omisso medio. Ideoq; appellationes, quę rectā ad principem factę sunt, omisiss his ad quos debuerunt fieri ex imo ordine, ad præsides tanquam ad suos iudicēs remitti debent. A sententia autem legati proconsulis proconsul appellari potest: & à prætore præfectus urbi appellatur. Similiter cum appellatio interposita fuerit per Bithyniam, Paphlagoniam, Lydiam, Hellespontum insulas, etiam ac Phrygiam salutarē, Europam ac Rhodopen ac Aetrium montem, præfecti urbis cognitio est. A procuratore Cesaris Præfectus

Pre-

INSTITUTIONVM

Prætorio appellandus. A proconsule uel Augustali,
 uel comite Orientis, uel Vicario, quando antea Prin-
 cept appellabatur, nunc Præfecti prætorio, & que-
 storis sacri palatii cognitio est. Et si quidem quantitas
 non excedat decem libras auri, unus tantum ex ijs
 cognoscere potest: sin uerò excedat, uterque cogno-
 scere debet: & si inuicem dissentiant, tertius adiun-
 gitur illustris pro tempore questor. Plane si negociū
 excedat uiginti libras auri, totius auditorij procerum
 sacri palatii cognitio est. Præterea a delegato appella-
 tur delegatus, seu is qui iudicē dedit. Quod aut dicitur,
 cum appellari qui dedit iudicē, sic accipiendum est, ut
 & successor eius possit appellari. Proinde si præse-
 ctus urbi iudicē dederit, uel præfectus prætorio, ipse
 erit prouocandus, qui cum iudicē dederit, quod dicen-
 dum etiam est de magistratibus cuiuscunq; ordinis, e-
 tiam si ex auctoritate Principis, licet nominatim iudi-
 cem declaratis, dederint: nihilominus enim ipsi magi-
 stratus appellabuntur. Plane ab eo cui quis mandauit
 iurisdictionē, non ipse prouocabitur. Nam generali-
 ter is erit prouocandus ab eo cui mandata est iurisdic-
 ctio, qui prouocaretur ab eo qui mādauit iurisdic-
 tionem. Sed & a delegato Principis non Princeps ap-
 pellatur, sed præfectus prætorio, & questor sacri
 palatii: nisi forte delegatus sit illustris persona, uel
 cum duobus causa delegata esset, unus ex ijs illustris
 sit: hoc enim casu Princeps ipse appellandus est. nam

LIBER SECVNDVS. 177

Ab illustri ac magnifico iudice Princeps appellari solet. Planè à duce cuiuscunque dignitatis, siue illustris siue etiam maioris, non princeps, nec præfectus prætorio, sed magister officiorum & sacri palatii questor appellatur. Ex Aegyptiaco tractu et Lybia præfectus Augustalis appellatur. Ex Asiatica & Pontica diocesi si appellantur uiri spectabiles, quibus specialiter Princeps commiserit. Ex tractu Orientali appellatur comes Oriëtis: ex prouincia Lycaonia, Lycaoniae præses. Ex Schytia & Misia appellatur questor exercitus. Ex Caria, Rhodo & Cypro idem questor, siquidem Cõstantinopoli degat, appellatur cùm questore sacri palatii: sin uerò absit, is appellatur, qui uicè eius in urbe tenet. Ab ordine insuper Præses prouinciæ appellatur, quãuis ipse in ordine (ut fieri solet) fuerit: quasi ab ordine, non ab ipso fiat appellatio. Planè par à patri iudice appellari non potest: multò minus à maiore minor. Licet autè ei qui non legitimũ iudicem appellauerit, errorè corrigere & legitimũ appellare: dummodo non minorè appellauerit: hoc enim casu error illi nocebit. Ex his, qui appellandi sint, constat. nũc quãdò appellandũ sit, & quãdiu ius appellandi cõpetat, uidendũ. Quo casu sciendũ, quòd aliud iure antiquo obtinuerit, aliud postea iure nouo fuerit introductũ. Nam iure antiquo in propria quidem causã biuum, in aliena uerò causã triduum ad appellandum concedebatur. post illud tempus appellandi facultas

amplius non erat. Ideoq; tutores, defensores rerum
 publicarum, curatores adolescentum & furiosorum
 triduum habebant ad appellandum: quia alieno nomi-
 ne appellant. Sed & si quis suspectum tutorem facies
 non obtinuisset, appellare intra triduum poterat,
 quasi pupilli defensor. Idem iuris erat in eo qui excu-
 satione de non recipienda tutela proposuerat. Is quoq;
 qui procuratorio nomine agens, uictus erat, triduum ad
 appellandum habebat, quamuis secundo appellaret,
 priore eius appellatione iniusta pronunciata. Alius ta-
 men quam qui iudicio expertus erat appellans, qua-
 lis est is cuius interest, biduo tantum appellare pote-
 rat: quia qui sua interesse dicit, propria magis quam
 alienam causam defendit. Idem quoq; dicendum de eo qui
 in rem suam procurator datus expertus est. Hec qui-
 dem iure antiquo (ut dixi) obtinebant. Iure aut nouo
 illa differentia propriae & alienae causae sublata, pro
 illo biduo ac triduo decendium statutum est, ut siue
 in propria siue in aliena causa quis appellauerit, decem
 dies habeat interponendae appellationis gratia. Qui
 decem dies ex die latae sententiae currere incipiunt: quamuis
 sub conditione sententiae latae sit. Si aut post latam sen-
 tentiam Princeps consulatur a iudice, puta in sententia
 deportationis: non nisi a rescripto Principis decem dies
 currunt, quamuis & statim sententia lata prouocari
 possit. Sed & si Praeses ad munus uel honorem nomina-
 tum aliquem remisit ad ordinem confirmandum: non
 a die

à die nominationis uel remissionis tempus currit, sed à die decreti ab ordine interpositi. Hæc de tempore appellationum: quanquã & plura de ijs proponen- tur infrà in re iudicata. Sed & ante sententiam latam ab interlocutoria appellari non posse, suprâ diximus. Nunc de forma et modo appellandi uidendũ, nec non de alijs officijs appellantis, & appellationis euentis. Regulariter aut in scriptis est appellandum: nisi quis ipso die, quo sententia fertur, apud acta uiua uoce ap- pellauerit. hoc enim casu satis est, si dicat Appello, nec opus est scriptura. Libelli autem qui dantur appella- torij, ita sunt concipiendi, ut habeant scriptum & à quo dati sunt, hoc est qui appellet, & aduersus quem, & à qua sententia. Certè si plures sunt aduersus quos pronunciat, & quorundam nomina in libellis sunt comprehensa, quorundam non: hi soli appellasse uidebuntur, quorum nomina in libellis sunt com- prehensa. Planè quamuis non additum sit in libellis, aduersus quem aduersariũ appellatum sit: non obstat præscriptio. Idem dicendum, si cum haberet plures aduersarios, quorũdam nomina in libellis complexus sit, quorundam omiserit: nam hi quorum nomina in li- bellis omiffa sunt, appellanti præscribere nõ possunt, quasi in illorum persona adqueuerit: dummodo una causa sit. Sed & illud appellanti non obest, quòd in li- bellis, à qua parte sententiæ appellauerit, non signifi- cavit. Libelli aut appellatorij iudici, à quo appellatũ,

intra decem dies dandi sunt. Si tamen propter uio-
 lentiam iudicis ipsi nõ dederit, sed publicè proposuerit
 ueniam meretur, & appellationis causam persequi
 permittitur. Debet autem appellans causas suæ appel-
 lationis certas proponere, propter quas putet senten-
 tiam dictam esse rescindendā. Sufficit tamen uel unā
 appellandi causam probabilem proponere. Estq; ei fa-
 cultas in agendo etiā aliam prouocationis causam
 reddere, q̄ ab initio proposuit, persequiq; prouocatio-
 nem suā quibuscunq; modis poterit. Cautio de exercē-
 da prouocatione non necessariò prebetur. Literæ ta-
 men post appellationē interpositā dandæ sunt ab eo
 iudice, à quo appellatum est, ad eum qui de appella-
 tione cogniturus est: quas literas dimissorias siue apo-
 stolos appellant. Harū sensus talis est: Appellasse (pu-
 ta) Luctum Titiū à sententia illius, quæ inter illos di-
 cta est. Dimissoria aut dicuntur, quòd per eas causa
 ad eum qui appellatus est, dimittatur. Dandæ autem
 sunt huiusmodi literæ etiā non petente appellatore.
 Sufficit uerò appellanti petiisse intra tempus dimis-
 forias instanter & sepius, ut etsi non accipiat, idi-
 ipsum contestetur: nam instantiam repetentis dimisso-
 rias constitutiones desiderant. Acquum igitur est, si
 per eum steterit, qui debebat dare literas, quo minus
 det, ne hoc accipienti noceat. Dantur insuper ad iudi-
 cem appellationis libelli, qui uocantur refutatorij,
 continentēs compēdiosa narratione, quæ causas prouo-
 cationis

LIBER SECVNDVS.

*uocationis possunt explanare, uel aliquid noui, uel quod derelictū est. Estq; in his uitāda uerbositas ad-
 fessionū et eorū que in actis continētur. Præterea iudex appellanti præbere debet opinionis exēplū, et acta cum refutatorijs partiū ad iudicē appellationis mittere. Definiuntur aut triginta dies ex die sententie, in quibus nisi iudex acta cū sua subscriptione et relatione litigatoribus præstiterit, mulctatur: et insuper ob hoc sententia tēporis cursu firmata, omne damnū quod per causam non editorū actorū litigator sustinuerit, ex proprijs facultatibus resarcire cōpellitur. dummodo appellatio legibus non sit interdicta, suoq; tēpore interposita. Datur aut appellāti ad hanc querelam contra iudicē, qui appellationē denegaauerit, actaq; et apostolos dare recusauerit, proponendam spacium unius anni, siquidem maiores iudices, hoc est præfectus prætorio, uel præfectus urbi, sint appellati: sin uerò inferiores iudices appellati sint, dantur tantū sex menses. Si uerò arbiter seu iudex delegatus appellationem suscipere aut relationē dare noluerit: quatuor menses ad querelam proponendam appellanti conceduntur. Hæc aut querela apud iudicem quem appellare debet, erit proponenda: nec appellanti proderit ad temporis cursum impediendum, si alium pro alio adijt, licet non uideatur cessasse: nisi fortè Imperatorem adierit: hoc enim casu pro eo habebitur, atque si is aditus esset, qui ad-*

ri debuit, ut dicta prescriptio temporis interrumpatur. Sanè iudex qui appellationem non recepit, opinionem suam confestim per relationem manifestare, & causam propter quam non receperit appellationem, eiusq; exemplum litigatori reddere debet. Iudicis autem non recipientis appellationem pœna iure quidem Codicis est, ut triginta auri pondo fisco ab eo pendantur: & totidem ab eius officio, nisi iudici pertinaciter resisterit, atque actis contradixerit. Iure autem Nouellarum constitutionum denarum librarum auri pœna iudici eiusq; apparitoribus imponitur, simul & ut damnum, quod litigator propterea sensit, præsent. Porro appellatione interposita, siue ea recepta sit, siue non, medio tempore nihil nouari oportet: siquidem recepta fuerit appellatio, quia recepta est. Si uerò non est recepta, ne præiudicium fiat, quoad deliberetur, utrum recipienda sit appellatio, an non sit. Recepta aut appellatione, tandiu nihil erit innouandum, quamdiu de appellatione fuerit pronunciatum. Si quis ergo sorte relegatus fuerit & appellauerit, non arcebitur, neq; in Italia neq; in prouincia, à qua relegatus est. Propter eandem rationem & si quis deportatus fuerit ab eo, cui deportandi ius est, uel adnotatus: neque uincula patietur, neque ullam aliam iniuriam, quam patitur, qui sententiæ adquieuerat. Integer enim status esse uideatur prouocatione interposita. Ergo & si abstinere ordine

ordine iussus sit, & prouocauerit, eadem ratione potest cœtum participare. cum hoc sit constitutum, & sit iuris, ne quid pendente appellatione nouetur. Ideoq; omnis executio interim inhibenda, & possessiones rerum non transferendæ. Planè si quis ex pluribus facinoribus condemnatus propter quædam appellauit, propter quædam non: siquidè grauiora sunt crimina, ob quæ appellatio interposita est, leuius autem id, propter quod quis non appellauerit: recipienda est omnino appellatio, & differenda pœna. Si uerò grauiorem sententiam meruit ex ea specie, ex qua non est appellatum: omnino pœna imponenda est. Sed & in criminali causa damnatus appellator, si fideiussoris idonei copiam non habeat, in custodia detinendus est. Ab executione quoque appellatione interposita, si res litigiosa mobilis sit, ea in sequestrum deponi iubetur. Sed & si appellator depopuletur agros litigiosos, fructus pendente appellatione sequestrandi sunt. Item si ad munus uel honorem aliquis nominatus appellauerit, interim alius in locū eius creari debet. Illud sciendum est, cum qui prouocauit, non debere conuiciari ei, à quo appellauit. Ceterum oportebit eum plecti. In causa uerò appellationis tam appellatori q̄ eius aduersario licet ea quæ in priore iudicio omissa sunt, proponere: dummodò non ad nouum capitulum pertineant, sed ex illis oriuntur & illis coniuncta sunt, quæ apud priorem iudicem sunt

z s propo-

proposita. Ideoq; aliam actionem edere uel aliã rem petere in appellationis causa nõ licet. Is quoq; cõtra quem appellatum est, cõtra sententiã in causa appellationis excipere potest, quæq; in ea desiderat proponere. Postremò si appellans in causa appellationis obtinuerit, executio antea facta retractanda est, & id quod soluit ei restituendum: sin uerò succubuerit, arbitrio iudicis mediocriter puniendus. Et si ad munus uel honores nominatus appellauerit, nec obtinuerit, damnum quod interim respublica sensu, prestare tenetur. Hæc de ipsis appellationibus dicta sunt: de quibus tamen persecucendis plura dicentur infra cap. prox. Nunc de adfinibus appellationis remedijs dicendum. quorum primum est, nullitas sententiæ, quãdo sententia ipso iure nulla est: hoc enim casu etiam sine appellationis ope sententia non ualet. de qua re infra cap. prox. dicetur. Alterum ad fine remedium est, in integrum restitutio: nam interdum licet ipso iure sententia ualeat, & appellationis auxilium sit omissum: tamen per in integrum restitutionem sententia rescindi potest. puta si minor uiginti quinque annis, uel reipublicæ causa absens per sententiam læsus sit. de quibus alijsq; similibus dicetur in loco in integrum restitutionis. Sed & huius loci est, si contra fiscum sit iudicatum: tunc enim intra triennium sententia retractari potest: & post id tempus, si preuaricatio arguatur, uel manifesta fraus probe-

probetur. Sed & in integrum restitutio implorari potest, si respublica per sententiam laesa sit: nam & hoc casu defensores reipublicae (si modò adesse fiduciam negotio putant) restitutionis auxilium possunt flagitare. Illud tamen sciendum est, neque pupillum neque rempublicam, cum pro libertate iudicatur, in integrum restitui posse, sed appellationem esse necessariam. Tertium appellationis ad fine remedium est, supplicatio principi facienda pro sententia retractanda: ut puta si praefectus praetorio iudicauit: nã ab huius sententia non appellatur, sed Principi tantum supplicatur pro sententia retractanda. quae tamò supplicandi facultas intra biennium tantum ab eo tempore, quo praefecto successum est, numerandum competit. Sed & si quis aduersus praefecti praetorio sententiam duxit supplicandum, uictusq; fuerit denuò, nullam habebit licentiam iterum super eadem causa supplicandi. Quartum appellationis ad fine remedium est, si iudex litem suam fecisse dicatur. de quo supra lib. prox. actum est. Quintum & ultimum ad fine remedium est appellationis, Edictum Praetoris de eo, Quod quisq; iuris in alterum statuit uel impetrauit, ut ipse eodem iure utatur: nã hoc quoq; edicto iniquitas uel iudicatis uel aduersarij potest coerceri, qui etiam appellationis finis solet esse. Si igitur magistratus aduersus aliquem ius aliquod nouum statuit, uel quis ius aliquod nouum pro se impetrauit, eo iure aduersus

statuen-

statuentem uel impetranthem alius uti potest: scilicet ut quod ipse in alterius persona equum esse credidit, id in ipsius quoque persona ualere patiatur. Hoc tamen edicto dolus debet ius dicentis puniri: nam si adfessoris imprudentia ius aliter dictum sit, quam oportuit: non debet hoc magistratui officere, sed ipsi adfessori. Sed et quod statuerit, cum effectu accipimus, non uerbotenus. Et ideo, si cum uellet statuere, prohibitus sit, nec effectum decretum habuerit, cessat exceptio: nam uerbum Statuit in edicto Prætoris positum rem perfectam significat, et consummatam iniuriam, non coeptam. Et ideo, si inter eos quis dixerit ius, inter quos iurisdictionem non habuit: quoniam pro nullo hæc habetur, nec est ulla sententia, cessat edictum. Quid enim obfuit conatus, cum iniuria nullum habuerit effectum. Is tamen qui ius nouum impetrauit ut uteretur, licet usus non sit, hoc edicto punietur. Planè si quis iniquum ius aduersus aliquem impetrauit, ipse eo iure ita demum utetur, si per postulationem eius hoc euenerit. Ceterum si ipso non postulante, non coercetur. Illud eleganter Prætor excipit: Præterquam si quis eorum contra eum fecerit, qui ipse eorum quid fecisset. Et rectè: ne scilicet uel magistratus, dum studet hoc edictum defendere: uel litigator, dum uult beneficio huius edicti uti, ipse in poenam huius edicti committat. Ex edicto autem Prætoris retentio tantum competit, non etiam per errorem soluti

soluti condictio. Superest enim naturalis causa, quæ
 repetitionem inhibet. Non solum uerò in his actioni-
 bus patitur quis edicti pœnam, quas tunc habuit, cum
 incidit in edictum, uerum et si quæ postea ei adqui-
 rentur. Præterea hæc pœna aduersus omnem, qui in
 edictum incidit, statuitur, non solum eo postulante,
 qui ab eo lesus est, sed omni qui quandoq; experitur.
 Si procurator meus postulauit: mihi soli pœna nocet,
 si hoc ei specialiter mandauit, uel ratum habui. Si ue-
 rò tutor uel curator furiosi uel adolescentis postula-
 uit, ipse hoc edicto coercetur. Idem aduersus procu-
 ratorem obseruandum est, si in rem suam fuerit da-
 tus. Si filius meus in magistratu in hoc edictum inci-
 dit, in ijs actionibus, quas ex persona eius intento,
 huic edicto locus non est: ne mea cõditio deterior fiat.
 Quod ait Prætor, Ut is eodem iure utatur: etiam ad
 heredem eius extenditur. ut et ipsi eadem exceptio
 noceat. Reo principali ius iniquum impetrante uel
 statuente, eius fideiussor quoq; eodem iure uti debe-
 bit: non autem contra fideiussore impetrante, reo prin-
 cipali nocet. Vt puta si is, pro quo spondesti, impe-
 trauit, ne aliquis debitor ipsius aduersus eum exce-
 ptione utatur: deinde tu in negotio, in quo spondesti
 sti, uelis exceptione uti: nec te, nec ipsum oportet hoc
 impetrare: etsi interdum patiaris iniuriam, si soluendo
 debitor non sit. Sed si tu incidisti in edictum, reus
 quidem utetur exceptione, tu uerò non uteris, nec
 pœna

pœna tua ad reũ promittendi pertinebit. Et ideo m^o
dati actionem non habebis. Hæc de appellationũ ad
finibus remedijs. nunc de re iudicata dicendum.

DE RE IUDICATA.

CAP. XXII.

Res iudicata dicitur, quæ sine cõtrouersiarum
pronũciatione iudicis accepit: quod uel cõde-
mnatione uel absolutione cõtingit. Ea aut̃ pro
ueritate accipitur, nec admittitur probatio in cõtra-
rium. Ideoq; ingenuũ accipere debemus etiã eum, de
quo sententia lata est, quãuis fuerit libertinus: de qua
re infra eodẽ capite copiosius dicitur. Rebus itaq; iu-
dicatis standum est, eaq; executioni mandanda. Quæ
tamen regula suis exceptionib. non caret. Nã senten-
tia à non competente iudice dicta neminẽ cõstringit.
Quando uerò nõ competens iudex dicatur, exposui-
mus supra eod. libro in principio. Planẽ si iudex qui
reo competens est, actori competens nõ est, actorẽ in
aliquo condemnauit: nihilominus ualet sententia, nec
actori prodest exceptio, quasi sententia à nõ compe-
tente iudice esset dicta. Cuius enim in agẽdo obseruat
arbitrium, eum habere et̃ contra se iudicem in eodẽ
negocio non dedignetur. Sed et̃ si iudex publicẽ ab
omnibus competens habitus sit, quamuis postea ap-
paruerit eum iudicem esse non potuisse, nihilominus
sententiæ eius stabitur: ut in Prætorẽ, qui postea ser-
uus apparuit, responsum est. Præterea sententia à
qui

quibusdam, non omnibus, ad quos ea res pertinebat,
 dicta, vires nullas habet. Nam ne duo quidem ex tri-
 bus iudicibus uno absente iudicare possunt. Si tamen
 adsit, quamuis contrā sentiat, nihilominus statur duo-
 rum sententia. Sed & quod adfessores absente iu-
 dice pronunciauerint, vim rei iudicate nō habet. Et si
 autem iudices inter se dissentiant, nihilominus
 quod maiori parti placet, authoritatem rei iudicate
 meretur. Si uerō inter iudices numero pares, dissona
 sententia proferantur: in liberalibus quidem causis
 pro libertate constitutum obtinet, in alijs autem cau-
 sis pro reo. Quod & in publicis iudicijs obtinere o-
 portet. Si diuersis summis condemnent iudices, mini-
 ma sententia spectanda est. Planē si duo iudices datē
 diuersas sententias dederunt: utraq; sententia in pen-
 denti est, donec competens iudex, qui alios dedit, unā
 earum confirmauerit. Præterea si sententia cōtra fi-
 scum lata sit, eā intra trienniū retractari posse suprā
 diximus: & post id tempus, si præuaticatio argua-
 tur, uel manifesta fraus probetur. Sed & quod con-
 tra repub. indefensam pronunciatum est, ipso iure
 non ualeat: quod si defensa fuerit, in integrum restitū-
 tionem aduersus sententiā implorari posse, suprā di-
 ximus. Cōtra minores quoq; uiginti quinq; annis in-
 defensos sententia proferenda non est: & sententia
 lata uim rei iudicate non habet. Neque enim debet
 minoribus, quamuis puberibus, nocere, quidquid

eo tempore statutum est, quo defensione iusta & curatorio auxilio fuerat destituti. Sicut igitur pupillus auctore tutore & agere & conueniri potest: ita adultus etiam curatore consentiente litem & intendere & excipere debet: quo facto, sententia contra minores lata ualet, quamuis per in integrum restitutionem rescindi possit, ut aliquando suo loco docebitur. Furioso quoque sententia à iudice uel arbitro dici non potest. Sed & is qui in rerum natura non fuit sententiae dictae tempore, inefficaciter condemnatus uidetur. Ideoque si quis ex edicto peremptorio post mortem sit condemnatus, non ualet sententia: quia morte rei peremptorium soluitur, ut igitur re integra de causa notio praestabitur, & quod optimum patuerit statuatur. Sed et de unoquoque negotio praesentibus omnibus, quos causa contingit, iudicari oportet: aliter enim iudicatum tantum inter praesentes tenet. Quod igitur absente possessore, nec quoquam nomine eius respondente pronunciatum est, non habet rei iudicatae auctoritatem: nisi aduersus eum solum, qui adesse neglexit. Nam aduersus contumaciter absentem sententiam ferri posse, supra eod. lib. cap. 5. diximus. Si itaque Praetor iusserit eum, à quo debitum petebatur, adesse, & ordine edictorum peracto pronunciauerit absentem debere: utique iudex qui de iudicato cognoscit, non debet de Praetoris sententia cognoscere: alioquin iustitia erunt huiusmodi edicta et decreta Praetorum. Plaque si

nē si per dolum sciens falso aliquid aduersarius alle-
 gauerit, et hoc secutum in sententia Prætozem liqui-
 do fuerit adprobatum: iudex querelam rei admittere
 debet. Sed etsi aut morbo impeditus, aut reipub. cau-
 sa auocatus adesse nō potuit reus: actio iudicati in eū
 hoc casu deneganda est, & executio rei iudicatæ in-
 hibenda. Idem dicendum, quodocunq; absentie cau-
 sa necessaria fuit. Planē quod de morbo dictum est, de
 fontico morbo intelligi debet. Sonticus autem existi-
 mandus est, qui cuiq; rei agendæ impedimento est li-
 tigatori. Si uerō quis sanus aliās ac robustus, tempore
 iudicandi leuissima febre correptus fuerit, aut si quis
 tam ueterem quartanam habeat, ut in ea omnibus ne-
 gocijs superesse soleat: poterit dici, morbum fonticū
 eum non habere. Sed & si ex edicto peremptorio,
 quod neque propositum est, neq; in noticiam perue-
 nit absentis, cōdemnatio fit: nullius momenti esse sen-
 tentiam, constitutiones demonstrant: quanquam ces-
 sante quoq; causa peremptorij edicti, aduersus eos
 qui admoniti iudicio adesse noluerunt, sententiam à
 iudice posse ferri, certum est. Sed & si Prætor feria-
 tis diebus aut per ignorātiā aut per socord. am reū
 euocauerit, cumq; is abesse perseueraret, sententiam
 protulerit: etiam citra appellationem sententia infir-
 mabitur. Hæc de absente cōdemnato, qui uocatus ad-
 esse noluit, sunt dicta. Sed & cum presentibus parti-
 bus lis esset inchoata, quamuis tempore ferendæ sen-
 A tentiæ

tentiæ is, contra quem pronunciatum est, abfuerit
 sententia tamē ipso iure ualeat, nec nisi appellationis
 ope potest rescindi. Ab eo quoq; iudicato recedi non
 potest, quod cōdemnato absente & ignorāte atq; in-
 defenso dicitur esse prolatum, si ubi primū cognouit,
 nō illico de iudicato querelā detulit: ita enim fir-
 mitatem sententia, quæ ita prolata est, nō habebit, si
 ei non sit accōmodatus adsensus. Sed etsi absens pro-
 curatorē habuit præsentiē, à quo fuit defensio: ratio-
 ne ipsius absentia sententiā infirmari nequit. Idē dicē-
 dum, si sententia cōtra absentē pro libertate sit lata:
 hoc. n. casu sententiā retractari nō oportet pro liber-
 tate latā. absentia tamē actio de dolo aduersus eum dā-
 da est, cuius dolo factum est, quo minus præsente ipso
 sententia ferretur. Postremò sciendū, exceptionē ab-
 sentia cōtra sententiā tantūm ei prodesse, cōtra quē
 absentē pronunciatum est, nō etiam cæteris qui præsentes
 fuerunt. Porro in seruum quoq; sententia lata
 nullius momenti est: quoniā cum seruis nulla est a-
 ctio: de qua re aliās erit dicēdi locus. Iudex quoq; ad
 certam rem datus, si de alijs pronunciauerit, q̄ quod
 ad eam rem pertinet, nihil egit. Ad condemnandum
 tamen iudex datus, absoluendi quoq; potestatem ha-
 bet. Nemo enim qui cōdemnare potest, absoluere nō
 potest. Vnde cum fideicōmissum peteretur, & hæres
 confessus esset deberi, arbiter ad restituendum datus,
 si cōpererit nihil deberi, responsum est cum saluo
 officio

LIBER SECVNDVS. 57

officio absoluturum. quod tamen ita accipi debet, si ob id non deberi compererit, quod testator sorte solvendo non erat, aut quod hæres omne solutum esse probauerat: alioquin si ob id quod nullum fideicommissum fuerit, nihil deberi compererit: non debet arbititer datum reum absolucere: sed eum ad Prætozem, a quo arbititer datus est, remittere debet, ut absoluat. Sed & si de alia re, quam qua petita est, sententia lata sit, ipso iure non ualet: quia sententia debet esse conformis libello: quanquam interdum iudex suo officio adimplere potest, quod petitioni deest: ut puta in fructibus & expensis. Sed & ipsum actorem interdum condemnare, & in causa appellationis id quod sententia, a qua appellatum est, deesse perspexerit, etiam contra appellantem supplere posse, supra diximus. De uiuentis quoque hereditate sententia per errorem lata, cum mortuus crederetur, nullius est momenti. Sed & extra territorium ius dicenti non paretur. Idem & si supra iurisdictionem suam uelit ius dicere. Nam certa ratione & sine Præsides multare possunt. Quod si aliter & contra legis statutum Præsides in multando modum excefferit: id quod contra ius gestum est, et sine appellatione potest rescindi. Sanè potest fieri, ut ab initio quod minor quantitas in iudicium deducatur, in ferenda uero sententia maiorem quantitatem deberi appareat: quo casu, quauis id quod postea in ferenda sententia apparet, iudicis iurisdictionem excefferit: tamè in id

A 2.

condem-

condemnatio à iudice facta ualet, exceptione propo-
 sita non obstāte. Sed & plura de exceptione propo-
 sita suprā eod. lib. cap. 1. diximus. Præterea incertitu-
 do quoq; interdum uiciat sententiā. Suprā enim dixi-
 mus, Curare iudicem debere, ut omnino quantū pos-
 sibile ei sit, certæ pecuniæ uel rei sententiā ferat, etiā
 si de incerta quantitate apud eum actum esset. Proin-
 de hæc sententia, Quæ bona fide accepisti, solue: cum
 incertum sit quid accepisset, quantumq; ab eo pete-
 retur, iudicatis auctoritatem non habet. Idem dicendū
 de hac sententia: Omnem debiti quantitatem cum u-
 suris competentibus solue. Planè si parte aliqua a-
 ctorum certa quantitas sit comprehensa, condemna-
 tio sine certa quātitate facta, auctoritate rei iudica-
 tæ cēsetur: puta si actor summā in libello expresserit,
 et iudex dixerit: Solue quod petitū est, uel quantū pe-
 titū est, uel actorē indemnē præsta. Sed et si iudex a-
 liquē sic cōdemnet, ut quod habet ex testamēto uel co-
 dicillis Mæuij, restitueret Titio: sic accipiendū est, qua
 si quātitatem nominauerit, quæ testamento uel codi-
 cillis relicta est. Sed & si fideicommissum sine scriptu-
 ra pronunciatum est, idem erit probandum. Planè
 quamuis sortis cōdemnatio certa sit, usurarum tamē
 cōdemnatio incerta per illā non sustentatur: puta si
 de usuris ita iudex pronunciauit: Usuræ si quæ cōpe-
 tunt, præstentur. nam de usuris quoque certa conde-
 mnatio faciendā. Præterea sententia definitiua pro-
 iusta

LIBER SECVNDVS. 77

Iusta non habetur, quæ neque condemnationem neque
 absolutionem cõmet: utputa sententia qua suadetur
 aliquid fieri uel non fieri. Etiam si autem Condemna
 tionis uel Absolutionis uerbo iudex non sit usus, sed
 alio equipollente: nihilominus ualeat sententia: puta si
 iusserit solui quod petatum est, uel aduersarium in
 demnem præstari. Impossibile insuper præceptum iu
 dicis nullius est momenti: & ab ea sententia, cui reris
 natura pareri nõ oportet, sine causa appellatur: cum
 ipso iure non ualeat. Sed & sententia expressim con
 tra leges uel constitutiones lata ualere non debet: nec
 ut rescindatur, appellatione opus habet. Vnde si quis
 ab hac sententia appellauerit, & præscriptione sub
 motus sit, minimè confirmatur ex hac præscriptione.
 sententia. potest ergo causa denuò agitari, excep
 tione rei iudicatæ non obstante. Contra leges uerò
 uel constitutiones sententia fertur, cum de iure con
 stituto, non de iure litigatoris pronunciat: puta
 si iudex uolenti se ex cura muneris uel tutelæ be
 neficio liberorum, uel etatis, aut priuilegij excu
 sare, dixerit neque filios neque etatem aut ullum
 priuilegium ad muneris uel tutelæ excusationem
 prodesse: de iure constituto pronunciaffe intelli
 gitur. Quod si de iure suo probantem admisit, sed
 idcirco contra eum sententiam dixerit, quod ne
 gauerit eum de etate sua, aut de numero liberorum
 probasse: de iure litigatoris pronunciaffe intelli
 gitur.

tur: quo casu appellatio necessaria est. Sed & si iudex prolatis legibus uel constitutionibus contra eas pronunciat ex eo, quod non existimet causam, de qua iudicat, per eas iuari, fortè aliqua exceptione obstante: non uidetur contra leges uel constitutiones sententiam dedisse. ideoq; ab huiusmodi sententia appellandum est: alioquin rei iudicatae stabitur. Ideoq; quamuis in speciem uideatur sententia contra leges lata esse, tamen propterea non est censenda ipso iure nulla. Vnde cum Præses prouinciæ in usuras usurarum reum condemnasset, appellatioque omissa esset, uel non ritè interposita: Modestinus respondit, si in sententia certa quantitas contineretur, iudicati actionem non esse denegandam. Proinde & sententia, qua bona debitoris fisci fideiussoribus addicuntur, ut ipsi fisco satisfaciant: sine appellatione rescindi non debet. Porro ad officium iudicis non pertinet post condemnationem futuri temporis tractus. Ideoque in bonæ fidei iudicijs non rectè iubebit interponi cautiones, ut si tardius sententiæ condemnatus paruierit, futuri temporis pendantur usurae: cum in potestate sit actoris iudicatum exigere. Planè hoc casu antinomia est, de qua licet consulere Doctores. Præterea cum iudex in definitiua sententia iusiurandum solummodo præstari præcipit, nec addit quid ex recusatione uel præstatione sacramenti fieri oporteat: huiusmodi
senten-

sententiam nullam vim obtinere palam est. Sub conditione quoque sententiam non ferendam, supra monuimus: lata tamen sub conditione, ob hoc solum ipso iure non infirmatur. Si autem in sententia contineatur aliquid factum, quod factum non est: quauis contrarium probari possit, tamen vim suam retinet: quia (ut supra diximus) res iudicata pro ueritate accipitur. Proinde si quis, cum esset exheredatus, pronunciatus uel perperam sit exheredatus non esse: non repellitur. Plane in negotio publico sub obtentu nouorum instrumentorum postea reperorum sententia causa cognita potest retractari: alioquin non permittitur. Præterea non habet iudicati auctoritatem sententia contra res prius iudicatas, à quibus appellatum non fuit, lata. quod cum generaliter uerum sit, tum multo magis obtinet, si Imperator priorem sententiam qualemcumque protulerit: si non obstet aliqua exceptio earum, quas supra contra rescripta principum obijci posse diximus. Non autem sententia infirmatur ex eo, quod aliqua exceptio in disputatione causæ dicatur omissa. Nam ab initio ommissa exceptio, post sententiam citra remedium appellationis opponi amplius non potest. Si uero falso procuratore interueniente doceatur sententia lata, ipso iure non ualet. Falsus autem procurator is dicitur, cui causa peragenda non fuit mandata, uel inutiliter fuit mandata, si non id quod ab eo gestum est, postea dominus ratum habuerit. Idem dicendum, si procurator ad unam

speciem constitutus officium mandati egressus est. Quod si plenam potestatem agendi habuerit, ex eo solo non debet rescindi res iudicata, si forte dolo uel fraude quid egerit: cum ipse domino eo nomine teneatur. Planè si procurator rei conuenti pecunia accepta damnari se passus sit: dominus iudicati actione conuentus exceptione defenditur. Idem dicendum quoque de procuratore actoris: nã si eum præuariatum fuisse constiterit, principalis causa denuò agi potest, rei iudicatæ exceptione non obstante. Error quoque aduocati, qui causam dedit sententiæ, domino non nocet: nisi dominus præsens ei quod gestum est, triduo proximo non contradixit, neque appellationem interposuit. Calculi quoque error rei iudicatæ obstat, adeò ut appellare nõ sit necesse: ueluti si iudex ita pronunciauerit: Cum constet Titium Seio ex illa specie quinquaginta, item ex illa specie uiginti quinque debere, idcirco Lucium Titium Seio in centum condemno. Nam cum error computationis est: nec appellare necesse est, & citra prouocationem corrigitur. Sed & si huius questionis iudex sententiam in centum confirmauerit: siquidem ideo quod quinquaginta & uiginti quinque fieri centum putauerit: adhuc idem error computationis est, nec appellare necesse est. Si uero ideo, quoniã et alias species uiginti quinque fuisse dixerit: appellationi locus est. Ideoq; si calculi error causam quidem dedit sententiæ,

sed

sed ei expresse non insit, ut ex uerbis sententiæ deprehendatur, sententia sine appellationis remedio non rescinditur. Nam si res iudicatæ sub prætextu cõputationis instaurentur, nullus erit litium finis. Ex instrumentis falsis sententia dicta nullas uires habet: & cum de falso constiterit, ex integro causa est agenda. Idem dicendum quoq; si ex falso testimonio sententiam dictam constiterit, & iudicem secutum eius instrumenti uel testimonij fidem ita pronunciaſſe fuerit probatum. Sententiam secundum rescriptum Imperatoris lite pendente impetratum ferendum non esse, supra diximus. Si itaque constiterit, ex huiusmodi rescripto sententiam latam esse, uim rei iudicatæ non habebit. Venales quoq; sententias, quæ in mercedem à corruptis iudicibus proferuntur, & citra prouocationis auxilium infirmas esse constat. Plane quod dictum est, errore aliquo latam sententiam nullius esse momenti, in speciebus tantum propositis locum habet. alioquin regulariter non obtinet: quem admodum cum Prætor causa cognita per errorem uel ambitiosè iubet hæreditatem ex fideicommissio restitui, etiam publicè interest restitui propter rerũ iudicatorum auctoritatem. Sententia tamen contra solitum iudiciorum ordinem prolata uim nullam habet. Proinde si constat, nullo actu ex lege habito Duumvirum creatum, sed tantum uocibus popularium postulatum, eisq; tunc proconsulem (quod fa-

cere non debuit) consensisse : appellationem in re ad-
 perta superuaciam esse, responsum est. Item interlo-
 cutio Præsidis apud acta signata, ut nisi solutioni de-
 biti is qui cōuenitur, obsequium præstitisset, duplum
 seu quadruplum inferat, uoluntas potius comminan-
 tis quàm sententia iudicantis in iure dicitur: ex placi-
 tum huiusmodi, ne rei iudicæ authoritatem obti-
 neat, iuris ratio declarat. Programma igitur, quod à
 Præside prouinciæ propositum est, item comminatio
 nem uim rei iudicæ non obtinere, manifestum est.
 Idem dicendum de subscriptione iudicis ad libellum
 facta tali, quæ diuersam partem in possessionem mit-
 teret. nam quod magno conflictu sententia decerni so-
 let, id paucis literis temerè descriptis definiri fas non
 est. Computatio quoque à tabularijs facta instar rei
 iudicæ obtinere minimè potest: nisi sententia com-
 petentis iudicis fuerit comprobata. Planè in extraor-
 dinarijs causis atq; cognitionibus ordinarius proces-
 sus locum sibi non uindicat: de qua re alibi dixi co-
 piofius. Velamento absentie patroni cause, rursus ad
 finitas questiones frustra quis redire conatur. Si ta-
 men iudex nō publicè, sed in secreto loco officio eius
 non præsentem sententiam dixit, ipso iure non ualet
 quod gestum est. Idem dicendum, si cum certum lo-
 cum cause cognoscendæ dedisset, alibi per obreptio-
 nem aditus sententiam protulit. Pro tribunali quo-
 que, non de plano cause cognoscendæ atque deciden-
 de

de sunt: quòd si aliter factum fuerit, sententia uim iudicati non habebit. Custodiæ tamen non solùm pro tribunali, sed & de plano audiri possunt atque damnari. Sed & leuia crimina audire & discutere de plano proconsulem oportet, & uel liberare eos, quibus obijciuntur, uel fustibus castigare, uel flagellis seruos uerberare. Feriatis quoque diebus sententiam ferri non debere, supra cod. libro, cap. 1. diximus. Idem dicendum, si iudex ad certum tēpus datus uel certo tempore litem dirimere iussus, post tempus illud elapsum sententiam protulerit: nisi fortè consensu partium tempus illi sit prorogatum. Planè etiamsi is qui iudicem dedit, in magistratu esse desierit, aliusq; ei successerit, tamen iudex ab eo datus rectè pronunciat: cum & cogi à successore possit, ut sententiam dicat. Post sententiam autem quæ finibus certis concluditur, ab eo qui pronūciauerat, uel eius successore, de questione quæ iam decisa est, statuta rei iudicatæ non obtinent authoritatem: quia dicta sentētia iudex esse desinit, nec amplius eius mutandæ potestatem habet: de qua re plura paulo superius cap. 20. dicta sunt, quæ hic repeti possunt. Hactenus exceptiones aduersus rem iudicatam enumeratæ sunt, quæ quidem sumuntur ex ijs quæ pronunciaſſioni sententiæ insunt, cam' que statim ab initio inutilem efficiunt: nunc ex consequentibus exceptiones desumptæ proponentur, propter

propter quas sententia ab initio utiliter dicta, ex post facto uiciatur. Harum prima atque usitatissima est, si à sententia dicta sit prouocatum: nam propter prouocationem seu appellationem interpositam iudicati actio & executio inhibetur: quia pendente appellatione nihil innouandum esse, supra diximus. Idq; multo magis dicendum, si dicta sententia per iudicem appellationis fuerit rescissa. Planè si quis in appellatione errauerit, utputa cum alium appellare deberet, alium appellauerit: siquidem cum maiorem iudicem appellare deberet, ita errauit ut minorem appellet: proposita exceptione appellationis non iuuatur. Si uero maiorem iudicem prouocauit, uel parem: error illi nihil oberit, cumq; etiam post tempus appellationis elapsum corrigere potest. Sed etsi appellatū quidem sit, ueruntamen non suo tempore: exceptio proposita sententiæ non obstabit, quod autem sit tempus appellationis à legibus definitum, supra cap. prox. est ostensum. Adeo autem appellandi tempus obseruandum est, ut ne militibus quidem remittatur. Planè si sententia ipso iure nulla sit, cum etiam sine appellatione infirmari queat, quamuis appellandi tempus elapsum sit, nihilominus nulla sententia dici potest, & sententia retractari, ut ex præcedentibus constat. Quamuis autem ab interlocutoria sententia appelletur, quod aliquando fieri posse supra ostensum est, tamen nisi intra legitimum tempus appellatio interposita

fitā sit, nihilominus sententia uim rei iudicatę sortitur, quamuis appellatum esse dicatur. Si quis tamē ad munera uel honores nominatus fuerit, etiam post tēpus appellationi constitutum prouocare potest, dum modo intra duos menses prouocet. Isti autē duo menses computantur, non à tempore factę nominationis, sed ex die quo cognouit se nominatum: quemadmodum & in alijs causis tempus appellationis ex die potius scientię quàm sententię latę computatur: quod tamen ita accipi debet, si non absens per procuratorem in causa sit defensus. nam si procurator pręsens sententię dictę tempore non prouocauit, difficile est ut postea dominus elapso tempore appellans audiatur. Sed & dies illos, quibus appellandum est, ad aliquid utiles esse, leges uolunt: si fortē eius, à quo prouocatur, copia nō fuerit, ut ei libelli dentur. Ait enim hac de re Marcus Imp. in oratione sua: Is dies seruabitur, quo primū ad eundem facultas erit. Quare si fortē statim post sententiam dictam copiam sui non fecerit is qui pronunciauit: dicendum est, nihil nocere illud appellatori. Nam ubi primū copiam eius habuerit, prouocare poterit. Ergo si statim se subduxit, similiter subueniendum est. Quid igitur est, si conditio horę effecit, ut se reciperet? si fortē dicta sit sententia iam suprema hora? utique non uidebitur se subtraxisse. Adeundi autem facultatem semper accipimus, si in publico sui copiam fecit. Caterū si non fecerit,

non

non imputatur appellatori, quod ad domum eius non uenerit, quodq; in hortos non accesserit, & ulterius quod ad uillam suburbanam. Quare si in publico eius adeundi facultas non fuit, melius dicitur facultatem non fuisse adeundi. Si tamen eius ad quem appellauit, habeat copiam appellator, nihilominus illi prescriptio nocebit. Ideoq; metus quoq; exceptione non defenditur, qua dicit se iudicem qui pronunciauit, metuisse, ne intra statutum tempus appellauerit: cum apud iudicem quem appellauit, nihil timere poterit. Qui tamen uim sustinet, contestatione intra tempus legitimum, quo appellare licet, publice proposita, quod metus causa non appellet, prescriptione non submouetur: talis enim contestatio pro legitima appellatione habetur. Hæc de eo, si non intra legitimum tempus appellatio sit interposita, an & quatenus sit inutilis, sint dicta: quanquam eadem de re quædam etiã supra cap. prox. diximus. Sed, etsi appellatum à sententia est, & quidem iusto tempore: non tamẽ ab eo qui proposita exceptione aduersus sententiam se defendit: ca iuuari non debet: cum alterius factum, quemadmodum alteri non debet obesse, ita quoq; neq; prodesse debeat. Itaq; si qui separatim fuerint condemnati, quamuis ex eadem causa, pluribus eis appellationibus opus est. Secus tamen, si simul & ex eadẽ causa plures fuerint condemnati: nam hoc casu in una eademq; causa altero appellante, si eius appellatio iusta

Ita fuerit pronunciata, alteri quoque qui non appellauit, ea uictoria prodest. Quod tamen ita probandum est, si fuerit una eademque causa defensionis. Caterum si diuersae, alia causa est: ut in duobus tutoribus procedit, si alter gesserat tutelam, alter non gesserat, et is qui non gesserat, prouocauerat. Iniquum est enim, cum qui idcirco agnouerat sententiam, quoniam gessisse se sciebat, propter appellationem eius qui non gesserat, obtinere. Idem quoque dicendum, si aetatis auxilio unus contra sententiam restitutionem impetrauerit: hoc enim casu maiori, qui non suo iure appellauerat, hoc decretum non prodest. Praeterea cum in una causa separatim duplex sententia diuisa datur, ueluti una sortis, alia usurarum: duplex quoque appellatio necessaria est: ne alteram agnouisse, de altera prouocasse intelligatur. Porro non sufficit appellationem intra statutum tempus interponere, de quo supra dictum est: sed est quoque speciale tempus introducendae et inchoandae, necnon exercendae seu prosequendae appellationis interpositae, quod nisi fuerit obseruatum, appellatio pro deserta habebitur, ut nihil appellatori ad exceptionem propositam proficit. Inchoandae uero seu introducendae appellatiois tempus diuiditur in quinque dies fatales. Primus dies fatalis definitur sex mensibus elapsis. Quod si intra sex menses appellatio non sit introducta, datur alter dies fatalis, unius scilicet mensis, ut sit alter fatalis dies, quo sententia in re iudicatam

tran-

transcat, tricesimus primus dies à primo fatali elapso. Quòd si eo quoq; appellator exciderit: tertius dies fatalis illi datur, tricesimus uidelicet primus dies à secundo fatali elapso. Sed & post tertium fatalem diem elapsum, quartus quoque totidem diebus à tertio intermissis illi conceditur: ut ita quatuor illis diebus fatalibus computatis, tempus quo appellatio introducenda est, sit nouem mensium. Quibus elapsis, si ne tunc quidem appellatio fuerit introducta, appellator qui propter lapsum temporis sua excidit appellatione, potest à principe petere reparationem appellationis amissæ, sed intra tres tantum menses à quarto fatali die elapso. His quoq; tribus mensibus elapsis nulla reparatione petita, quintus dies fatalis constitutus est, isq; ultimus, quo omnis uia ad appellationem prosequendam appellatori est præclusa. Planè quod de reparatione petenda diximus, intelligi debet, si à iudice ordinario fuerit appellatum. Si autem ab arbitro seu delegato principis appellatum fuerit, reparationis petendæ facultas nõ datur: quanquã iure nouo etiam in appellatione ab ordinario iudice facta facultas illa uidetur esse sublata. Sed & quod ad primũ diem fatalem, de quo diximus, attinet, eius exceptio prima hæc est: Nisi à delegato illustris uel spectabilis magistratus appellatio facta sit: hoc enim casu primus dies fatalis non sex, sed duobus tantum mensibus exactis statuitur. Altera exceptio est: Nisi ex Asiana,

Pontica

Pontica uel Tracia dioecesi Constantinopolim appellatio fit facta. nam & hoc casu primus dies fatalis duobus tatum mensibus elapsis statuitur. Tertia exceptio est: Nisi à pedaneis seu delegatis principis urbis Constantinopolitanæ fiat appellatio: hoc enim casu etiam duo menses ad introducendam appellationem sufficiunt. Quarta exceptio est: Nisi appellatio fiat more consultationum ad principem uel eius palatiū: hoc enim casu iure quidem antiquo biennium, iure autem nouo annus datur. Præterea quod de quinque fatalibus diebus dictum est, ut singulis illis elapsis appellatio nondum introducta expiret, corrigitur iure nouo in hunc modum, ut pro singulis diebus fatalibus deni dies computentur, quatuor ante diem fatalem, deinde ipse dies fatalis, denique quinq; dies sequentes: in quibus si appellator uenerit, & appellationem suam introduxerit, ipso die fatali introduxisse uideri debet. Hæc quidem de tempore appellationis introducendæ siue inchoandæ sunt dicta: quanquã plura huc pertinentia ex sequentibus adsumi possunt. Exercendæ autem appellationis tempus est annale, quo elapso, nisi appellationis causa fuerit finita, expirat, & sententia transit in rem iudicatam: dummodo appellator iusta causa non fuerit impeditus. Aliàs si iusta & inuitabili causa fuerit impeditus, quo minus intra annum appellationis causam ad finem perduxerit, datur illi alter quoq; annus, & sic causa cogitã

B

guitã

gnita biennium ad appellationem prosequendam: quò elapso, amplius non auditur appellans, quamuis per iudicem steterit, quo minus causa finita sit: nisi Principis consistorium sit appellatum, de quo paulò inferius. Hoc tamen appellatori datur beneficium, ut non simpliciter sententia in rem transeat iudicatam, sed iudici appellationis incumbat, actis perlectis ac cognitis, eam uel confirmare uel infirmare, absente quoque appellante: si modò ab eo, contra quem appellatum est, biennio nondum elapso aditus est ad sententiam confirmandam. alioquin si neuter cõpareat, neq; uictor neq; uictus: uictoris sententia omnimodò erit rata habenda: & ita uictor persequendo de teriore suã causam facere uidetur. Quod de biennio exercendæ appellationis dictũ est, idẽ quoq; obtinet, si tẽpus inchoandæ & introducendæ appellationis ea nondũ introducta elapsum sit: nã nõ ipso iure confirmatur sententia, sed si iudex appellationis perfectis actis eam putauerit iuri & ueritati consonam. Planè quod de tẽpore prosequendæ & exercendæ appellationis dictũ est, locũ nõ habet, si in consistoriũ Principis causa sit introducta: hoc enim casu uel post biennũ causam appellationis prosequi licet: cũ miquũ sit, propter occupationes aulicas, causas hominũ deperire. Hæc de tẽpore tam introducendæ q̃ exercendæ ac prosequendæ appellationis separatim dicta sunt. Vtriusq; aut tẽporis aliquot exceptiones uidentur esse.

geneo

generales atq; cōmunes, de quibus nunc dicetur. Nā si unus ex litigatoribus pendēte appellatione fuerit defunctus, non residuū tantum tēpus hæredibus eius indultū est, sed etiā alij quatuor menses. Sim autē ad deliberationē hæreditatis certū tēpus indulgetur, post lapsū eius tēporis quatuor mensium spacium numerabitur: ne ignorātes negociū, uel etiam super adcūda hereditate dubitantes, priusquā aliquod cōmodū sentiant, damno adficiantur. Præterea si litigatores præscriptioni fataliū renunciauerint, ei qui tempore excidit, aduersus tēporis præscriptionē, pacti cōueniēti exceptio datur. Sed & præscriptio illa tēporis tam introducendæ q̄ exercendæ appellationis non currit, si medio tēpore in arbitros cōpromissum sit, & apud huiusmodi arbitros interim lis agitata: nisi sortē post relictos eos tēpus statutū præterierit. Sanē si p̄ iudicē a quo appellatū est, steterit, quo minus appellatio suo tēpore introducta sit: nihilominus appellatori obstabit præscriptio: sed damnū quod ob hoc sensit, iudex iste ei præstare tenetur. Si uerò per iudicē appellatio nis steterit, quo minus appellatio suo tempore uel introducta uel finita sit: præscriptio temporis appellatori non nocebit, nisi bienniū excesserit, de qua re supra in causa incuitabili diximus. Prosequi autem appellationis causam uidetur & qui per aliū prosequitur. Nam appellationis causæ per aliū quoq; reddi possunt: dūmodo de re pecuniaria lis sit, nō criminalis

causa agatur: nam quæ causa per alium agi non potest, eius nec appellatio quidem per alium agi debet. Sed & si procurator appellauerit, dominusq; causam appellationis intra legitimum tempus exequatur: ista appellatio pro deserta haberi nõ debet: cum dominus audiri debeat in causis appellationis reddendis; cuius absentis procurator appellauit: quam cessante domino procurator ipse, licet post appellationem interpositam rationes reddiderit, prosequi eam debeat. Idem dicendum est de pupillo nunc adulto factõ, cuius tutor appellauit, nec non de adolescente qui ad legitimam etatem peruenit, cum curator eius prouocasset: nam & hi appellationem à tutore & curatore interpositam, si uelint, prosequi possunt: quo factõ, cessatio eius qui ab initio appellauit, non efficit appellationem desertam. Postremõ de tempore tam introducendæ quàm exercendæ appellationis & illud notandum, quõd tempus istud continuum numeretur, non exclusis ferijs siue repentinis, siue solennibus. Hactenus de eo, si appellatio interposita deserta sit, nec intra legitimum tempus uel introducta, uel finita, dictum est. Sed & alijs modis aduersus appellationis exceptionem supra propositam replicari potest: nam cause ex quibus appellationem denegandam esse supra diximus, hic quoq; replicationum loco repeti possunt. Appellatore quoq; defuncto sine herede, cuiuscunq; generis appellatio euanescit.

manescit. Supplicatio etiam de sententia præfecti prætorio retractanda, uim appellationis nõ habet, ut sententiæ executio sit inhibenda. Si tamen intra decem dierum spacium à die dictæ sententiæ supplicatio ista fuerit oblata, uictor executionẽ sententiæ petens non aliter auditur, quàm datis idoneis fideiussoribus in eam quantitatem, quæ condemnatione continetur, quòd si sententia fuerit retractata atq; iniusta pronuntiata, restitutus sit quod accepit. Secus si intra decem dies supplicatio non fuerit oblata: tunc enim sine fideiussione sententiæ fit executio, retractationis iure ei reseruato, qui se grauatum putauerit. Porro non solum propter appellationem interpositã ac pendente rei iudicatæ executio inhibetur, et iudicati actio denegatur, sed et si appellatio propter uim grauato factam omissa sit: quo tamen casu uice appellationis contestatio publicè est proponenda. de qua re superius quoq; diximus. Quamuis autẽ iudex, qui sententiã tulit, postea mortuus sit, uel seruus effectus pronuntiatusue, nihilominus sententia rata manet. Tutor uerò nomine pupilli condemnatus, finita tutela exceptione aduersus rem iudicatam defenditur. In ipsum enim pupillum eiusue heredes actio iudicati transfertur, ut infra suo loco dicetur. Plànè si tutor nomine pupilli tanquam heredis conuentus atq; condemnatus sit, si postea pupillus hereditate sit abstinens: neutri res iudicata nocet. Sub specie quoq; nouo.

rum instrumentorū postea repletorū res iudicata restaurari non debet. In negotio tamen publico fauore publica utilitatis hoc casu causa cognita potest sententia retractari. Ob rescripta quoq; postea impetrata sententia rescindi non potest. Illud sanè non ignorandum, si quaeratur iudicatum sit, nec ne, & huius questionis iudex non esse iudicatum pronunciauerit: licet fuerit iudicatum, rescinditur, etsi prouocatum non fuerit. Sed & si solutum sit id quod iudicatum est, res iudicata expirat. Nam ita Praetor edicit: Condemnatus ut pecuniam soluat, nisi autem in solidum soluerit, exceptione solutionis non defenditur. Planè si pluris condemnatus sit debitor non restituendo pignus, quod computatio sortis & usurarum faciebat: humanius est, non amplius eum quam quod reuera debet dando, hypothecam liberare: quanquam si subtilitatem legis & auctoritatem sententiae spectamus, aliter uideretur dicendum. Sed & si fideiussor euictionis nomine condemnatus, id pretium quod euictum est, & omnia praestare paratus est, quae iure empti continentur: aduersus iudicati actionem exceptione doli mali defenditur. Soluisse autem accipere debemus non tantum eum qui pecuniam soluit numeratam, uerum omnem omnino, qui ea obligatione liberatus est, quae ex causa iudicati descendit. Quamuis autem intra dies constitutos iudicati agi non possit, tamen multis modis iudicatum liberari posse, non dubitatur: quia constitutorum dierum spacium pro iudicato, non

contra

contra iudicatū per legem constitutū est. Non tamen audiendus erit condemnatus, si pro solutione aliō modo satisfacere paratus sit, fortē expromissore uel pignore dato. noluit enim Prætor obligationē ex obligationibus fieri. Ex magna tamen & idonea causa, alia satisfactio oblata accipi debet. Regulariter itaq; si pignora accepta sint in rem iudicatā uel fideiussores: dicendū erit, nō cessare executionē: quippe cū accesserit aliquid rei iudicatæ, non est à re iudicata recessum. Idem obseruandū est in eo, cuius procurator condemnatus est. Si autē ex conuentione litigantium stipulatione cautū sit post rē iudicatā ei cui quis condēnatus est, eueniet ut hic recedatur à iudicato, si modò nouatio intercesserit. Ceterum si non nouandi animo id factum est, manebit ordo executionis, quemadmodum in pignoribus & fideiussoribus acceptis iam est dictum. Sed & per iudicatum solui stipulationem iudicati actionem non nouari, suprā suo loco diximus. Præterea si rem quæ ex causa iudicati petitur, actor receperit, doli exceptione submoueri potest. Planè si res quæ petitur, periisse dicatur, rel restitui non posse: aduersus iudicati actionē uel rei iudicatæ executionē, qui hoc dicit, non defenditur. Nam cum post litem contestatā & ita post morā factā res interierit, nihilominus condemnatio est facienda: ut infrā suo loco dicetur copiosius. Præterea cum actor à reo in eodē iudicio fuerit recōuentus, reusq; actori fuerit

condemnatus, pendente adhuc causa reconuentionis: iudicati actio uel rei iudicatæ executio aduersus condemnatum inhibenda est, donec de reconuentione quoq; fuerit iudicatum: quanquam ipsi condemnato dies appellationis statim dicta sententia currit, nec expectatur sententia in causa reconuentionis dicta.

D E A C T I O N E I U D I C A T I .

CAP. XXIII.

HActenus de re iudicata dictum est, quibus scilicet exceptionibus elidatur. Ex ea uerò oritur iudicati actio, rei iudicatæ exceptio, nec non executio. De exceptione rei iudicatæ alibi dicendi locus erit: nunc de iudicati actione dicetur, postea de rei iudicatæ executione & alijs similibus. Competit autem iudicati actio reo condemnato. Condemnatum autem accipere debemus eum qui ritè condēnatus est, ut sententia ualeat. Ceterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit, dicendum est condemnationis uerbum non tenere. Proinde repetendæ hic sunt exceptiones aduersus rem iudicatam supra cap. prox. propositæ. Res autem inter alios iudicata alijs prodesse non debet. Ideoq; ex sententia pro alio lata alij actio iudicati non datur, præterquã heredi. Sed & uno ex heredib. agente et obtinente, cohæredi qui postea superuenit, nec ante simul agere potuit, uictoria comunicada ab eo quæ uicit: ut puta, si sub cōditione fuit hæres scriptus, uel apud hostes, uel in utero, cum prior.

Causa huius actionis.

Quibus iudicati actio competit?

prior experiretur: aliqn secus, si cū posset simul cū altero experiri, noluit. Sed & si, cum duo socij simul egisset et succubisset, unus postea appellauerit et obtinuerit: eius uictoriā alteri quoq; qui nō appellauit, prodesse, supra diximus. Tutor quoq; si obtinuerit, iudicati actio simul & exceptio pupillo non erit deneganda. Idem dicendum erit, si actor, quem tutor suo periculo ad litem constituit, obtinuerit. Si item procurator obtinuerit, non ipsi, sed domino litis iudicati actio danda. Actor quoq; uniuersitatis procuratoris partibus fungitur. Ideoq; iudicati actio ei non datur: nisi in rem suam datus sit. Ut autem res inter alios iudicata alijs prodesse non debet: ita etiam, & quidem multo minus, alijs debet nocere. Ideoq; alius quā contra quem iudicatum est, neque iudicati actione teneri, neq; rei iudicatae exceptione remoueri potest: nisi forte hāeres ipsius fuerit. Tutore tamen & curatore condemnato, in pupillū & adultum, non in ipsum condemnatum actio iudicati competit: nisi forte pupillus h. ereditate, cuius nomine tutor fuit conuentus & condemnatus, se abstinerit: hoc enim casu neq; tutor neq; pupillus tenetur, ut supra quoq; cap. prox. diximus. Sed & si tutor qui condemnatus est, tutor esse iure non potuerit, uel rē pupilli saluam fore non cauerit: sententia contra eū dicta pupillo non praeiudicat: cum ea quae ab eo gesta sunt, qui legitimae administrationis personam su-

Aduersus
quos iudi-
cati actio
competit?

B s finire

stincere nō potuit, ipso iure irrita sint. Si insuper quis tanquā hāeres alicuius condemnatus fuerit, & postea sese hāereditate abstinuerit, uel aduersus aditionē hāereditatis in integrum restitutus fuerit : iudicati actio aduersus substitutum ipsius uel cohāerem cōpetit: nisi fortē pupillus hāeres tutorum culpa fuerit cōdemnatus. Sed & procuratore condemnato, non in ipsum, sed in dominū litis actio iudicati danda est: nisi liti sese obtulerit sine mādato, uel in rem suā procurator datus sit, uel domino litis hāeres extiterit: his. n. ca. sibus ipse procurator tenetur iudicati actione. Quod de procuratore dictū est, de actore quoq; uniuersitatis accipi debet. Porro iudicati actio rei psecutionē cōtinet: pluribusq; una sententia cōdemnatis, singuli pro uirili tātum parte, nō in solidum tenentur. Si uerō quis diuersis summis fuerit cōdemnatus, puta iudicib. pari numero dissentientib. minima summa debetur, ut suprā quoq; dictū est. Decem aut noxae dedere cōdemnatus, iudicati in decē tenetur : facultatē. n. noxae dedendae ex lege accipit. In ex stipulatu aut actione diuersum obseruatur: q; enim stipulatus est decē aut noxae dedere, nō pōt decē petere: q; in stipulatione singula per se ueniunt, eaq; singula separatim stipulari possumus. At iudiciū solius noxae deditiois nullum est, sed pecuniariā cōdemnationē sequitur. Et ideo iudicati in decē agitur: his enim solis cōdemnatur: noxae autē deditio in solutione est, quae à lege tribuitur.

Quid ueni
at in iudica
si actione?

huitur. Usuræ quoq; ex mora in iudicati actione ueniunt. Nam qui cōdemnati solutionem pecuniarum, quæ dependere iussi sunt, ultra quatuor menses à die cōdemnationis, uel si prouocatio fuerit interposita, à die confirmationis sententiæ connumerandos distulerint: centesimas usuras ab ijs exigi, Imp. Iustinianus cauit: priscis legibus, quæ duas centesimas eis inferebant, & ipsius Imperatoris Iustiniani alia constitutione, quæ dimidiam centesimæ statuit, in hoc casu sublatis. Centesima igitur usura post moram seu quatuor menses elapsos in iudicati actionem uenit: quod tamen ita accipi debet, ut sortis tantum, non etiam usurarū, quamuis in sententiam deductarū, usura centesima debeatur. Sed & quod dictum est, prouocatione interposita à die confirmationis sententiæ quatuor menses, ex quibus usuræ currant, connumerandos: ita intelligi debet, centesimas quidem usuras pendente appellatione & quatuor mensibus nondum elapsis non currere: attamen nihilominus usura contractus seu actionis in iudicium deductæ minores, quamuis tempus illud elapsum non fuerit, currunt: nisi fortè iudex reum in sortem condemnauerit, nulla usurarum mentione facta: hoc enim casu, dictis quatuor mensibus nondum elapsis, ne principalis quidem actionis usura currunt: cum reus rei iudicatæ exceptione defendatur. Ex his patet, iudicati actionem non nisi post quatuor menses, ab eo

Quādo cō-
petit actio
iudicati?

tempore quo sententia in rem transiuit iudicatum, cōnumerandos, competere: quamuis iure antiquo tempus, quo iudicatis erat parendum, magis arbitrio iudicis quàm legis authoritate definiebatur: nec ante dabatur, quàm iudici causa cognita uisum erat non p contumaciam illud à condemnato peti, & non nisi satisfedisset tempore illo elapso iudicatis se pariturum. Quòd si tempus à iudice definitum elapsum esset, captis pignoribus cōdemnatus cogebatur: & nisi intra duos menses paruisset, ius uendendi pignoris erat. Tempus autem quod datur iudicato, etiam heredibus condemnati, ceterisq; qui in locum eius succedunt, tribuitur: uidelicet quod ex eo tempore deest: quia causæ magis quàm personæ beneficium prestat. Sed et fideiussor mandatorq; condemnati eodem beneficio utitur. Quamuis autem iudex minus tempus condemnato ad soluendum indulserit: nihilominus ante id tempus, quod lege statutum est, elapsum iudicati actione conueniri non potest. Sanè si iudex maius tempus, quàm lege statutum est, reo cōcesserit: etiam id quod supra legitimum tempus à iudice indultum est, reo conseruabitur. Nam iudex non semper tempus iudicati seruat, sed nonnunquam arctat, nonnunquam prorogat pro causæ qualitate & quantitate, uel personarum obsequio, uel contumacia. Sed perrarò intra statutum tempus sententiæ exequuntur: ueluti si alimenta constituentur, uel
 minori

inimori uiginti quinque annis subueniatur. Postremo iudicati actio perpetua est, hoc est, que non nisi triginta annorum prescriptione submoueat. Habet autem ad finia remedia, rei iudicatae executionem, de qua infra cap. prox. tractabitur: item actionem ex stipulatu iudicatum solui, de qua supra suo loco dictum est: item exceptionem rei iudicatae, de qua alius dicendi locus erit. si denique post rem iudicatum nouatio facta fuerit, perempta iudicati actione, ex stipulatu actio erit.

Quādiu cōpetit iudicati actio? Ad finia eius remedia:

DE EXECVTIONE REI IUDICATAE, necnon de sumptibus & expensis litis praestandis, item de sportulis iudicum & ministrorum.

CAP. XXIII.

Executorem rei iudicatae cum solum esse manifestum est, qui post sententiam inter partes audita omni et discussa lite prolatam, rei iudicate uigorem ad effectum adducit. Executio autem ita demum fieri debet, si et sententia dicta sit, et ab ea non sit appellatum, uel appellatio sit deserta, ut sententia transierit in rem iudicatum. de qua re cum alijs huc pertinentibus satis dictum supra cap. 22. Exequendi uero ius ijs competit magistratibus, qui iudices, a quibus sententia exequenda dicta est, dederunt. Sed et sententiam Romae dictam etiam in prouincijs

cius posse per præfides, si hoc iussi fuerint, ad finem
 perducere, rescriptum est: quemadmodum & contra
 sententiam in provinciis dictam, Romæ exequi licet.
 Ab arbitro autem compromissario dictam sententiã
 exequitur is qui iudex cõpetens eius litis fuisset. Eum
 tamen exekutorem, quem uictrix pars nominatim pe
 tierit, iudex non dabit: alioquin cum suo officio mul
 tatur, sitq; infamis. Porro executio non fit uno mo
 do: nam & pignorib. captis ijsq; distractis cõdemna
 tus coercetur, & manu militari res illi aufertur. In
 distractione autem pignorum captorũ facienda pri
 mò quidem res mobiles et animales capi pignori lex
 iubet, mox distrahi: quarũ precium si suffecerit, bene
 est: si nõ suffecerit, etiã soli pignora capi possunt atq;
 distrahi. Quòd si nulla mouentia sint, à pignorib. so
 li initium faciendum. Quòd si nec quæ soli sunt suffi
 ciant, uel nulla sint pignora soli: tunc peruenietur ad
 iura & nomina ipsius debitoris, si modò cõfessa sunt,
 non cõtrouersa. Planè si rerum quæ pignoris iure ca
 ptæ sint, controuersia fiat: constitutum est, ipsos qui
 rem iudicatam exequuntur, cognoscere debere de
 proprietate: & si cognouerint eius fuisse qui con
 demnatus est, rem iudicatam exequuntur. Sed scien
 dum est, summatim eos cognoscere debere: nec sen
 tentiam eorum posse debitori præiudicare, si fortè
 hi dimittendam eam rem putauerunt, quasi eius sit
 qui controuersiam mouit, non eius cuius nomine ca
 pta est.

pta est: nec eū cui restituta est, statim habere per sententiam debere, si forte iure ordinario coeperit ab eo res peti. Sic eueniet, ut omnib. integris, tantū capio- ni res iudicata proficiat. Sed & illud debet dici, ubi cōtrouersia est de pignore, id dimitti debere, & capi aliud, si quod est sine controuersia. Etsi autē res aliq̄ quoque pignorata sit, in iudicati executione distrahi potest, si emptor existat, qui dimisso priore creditore superfluū soluere paratus sit, quod in causam iudicati cōuertatur. Nec uidetur deterior cōditio credito- ris fieri suū cōsecuturi, nec prius ius pignoris dimis- sū, q̄ si ei fuerit satisfactū. Sed etsi pecunia penes ar- gentarios sit, æquē capi solet. Hoc amplius, etsi sit pe- nes alium quem, destinata tamē ei qui condemnatus est, solet pignoris iure capi, et cōverti in causam iudi- cati. Idē dicendū de pecunia nomine condemnati de- posita, uel in arca reclusa. Hoc amplius, etsi pupilla- ris pecunia in arca reposita sit ad prædiorum cōpa- rationem, etiam titra permissum Prætoris ab eo quib. exequitur iudicatum, solet capi & in causam iudica- ti conuerti. Nomine autem debitoris pignori capto, possunt ipsi iudices conuenire nomen, & exigere id quod debetur, inq̄ causam iudicati conuertere, aut uendere nomen, utrum ex illis facilius ad rem ex- equendam eis uidebitur. Planē stipendia condem- nati pignoris iure retinenda non sunt, si rem iu- dicatam alijs rationibus index exequi possit. Idem
dicen-

dicendum de commodis præmiorum, quæ propter coronas sacras præstantur. Secus si alia non sint, quæ pignori capi possint: tunc enim ea in causam iudicati capi non prohibentur. Sed et pignorum gratia aliqd, quod ad culturã agri pertinet, auferri nõ oportet. Ita; executores prohibentur seruos aratores, boues aratorios, & instrumenta aratoria pignoris causa capere atq; distrahere. Plura de distractione rei pignori captæ, necnon de ea nõ addicenda ei cui quis condemnatus est, aliq; huc pertinentia dicentur infra in loco pignorum. Nunc ad reliqua executionis iura transeundum. Et quidem executione facta, cognitio executoris cessat: nec si post addictum pignus aliqua controuersia emptori moueatur, executoris notio est: quinimò licet emptor non soluat precium pignoris sibi distracti, executor se interponere non debet, maxime cum nec habeat actionem is aduersus eum, cui iudicatum fieri desideratur, nec iniuria afficiatur. Oportet enim res captas pignori & distractas presentẽ pecunia distrahi, non sic ut post tempus pecunia soluatur. Certè si executor se interponat, hætenus debet interuenire, ut ipsam rem addictam capiat atq; distrahat, quasi nondum uinculo pignori is liberatam. Postremò executores, si fuerint negligetes, uel in officio suo deliquerint, possunt ab officio remoueri, & si res exegerit, mulctari uel corporali poena affici. Hæc de executione rei iudicatæ, nam quate-

ius ab executorum sententia non appelletur, supra cap. 22. est dictum.

De sumptibus & expensis litis nunc agendum. Nam cum quem temere aduersarium in iudicium uocasse cōstiterit, uiatice litisq; sumptus aduersario suo reddere oportebit. Si tamen lis sententia uel transactione sit finita, nulla sumptuum habita mentione: ad sumptus litis persequendos actio denegatur. cum satis absurdum sit, litem alteram consurgere ex litis primæ materia. Planè si uictus appellauerit, uictorem quoq; quòd nulla sumptuum ratio à iudice priore habita sit, apud iudicem appellationis conquiri posse, supra diximus. Sed & quidam per leges ac constitutiones priuilegia habent tam super sportulis pro conuentionibus usque ad certam quantitatem præbendis, quam super expensis litium uel minuendis; uel penitus non agnoscendis: quibus priuilegijs muniti à sumptibus litis præstandis sunt immunes. Sed & hysdem priuilegijs aduersarij quoque illorum aduersus eos uti non prohibentur. Quoniam quod quisq; iuris aduersus alterum impetrauit, eodem ut alius aduersus se utatur, pati debet. Non autem is solam, quem temere aduersarium in ius uocasse cōstiterit, ad litis sumptus præstandos tenetur: sed & is quoque, qui absens citatus non comparuit, posteaq; ueniat causam suam acturus: hic enim non aliter est audiendus, quam sumptus litis aduersario restitue-

restituerit. de qua re supra quoque suo loco dictum
 est. Cum autem de quantitate expensarum litis con-
 tentio est, iudicis aestimatio est, quantum expensa-
 rum nomine aduersario sit soluendum. Sed et potest
 iudex earum nomine aduersario iusiurandum defer-
 re, ut in quantum is iurauerit, in tantum eum qui ad
 expensas tenetur, earum nomine condemnet. Superest
 de sportulis iudicum et horum ministrorum, quid sci-
 licet quantumque ipsis iudicibus eorumque ministris et
 litigatoribus sit praestandum. Illud definitur hoc mo-
 do, ut in unaquaque causa, quae apud pedaneos iudi-
 ces uertitur, quaternos aureos ab utraque parte ac-
 cipiant, binos quidem sub contestationem litis, binos
 item alteros sub finem controuersiae: quibus iubentur
 esse contenti, et quidem si causa centum aureo-
 rum quantitatem excedat. Quod si non excesserit il-
 lam quantitatem, nihil a litigatoribus accipere luben-
 tur: sed et nihil uel minus a personis priuilegiatis.
 Priuilegiatae autem personae sunt, in sacris scrinijs mi-
 litantes, agentes in rebus, castrensiarii, ministeriani,
 scholares, horumque omnium uxores, liberi et paren-
 tes, siue agant, siue conueniantur. Quid ab istis
 sportularum nomine praestandum
 sit, a legibus specialiter
 definitur.

DE MISSIONE IN POSSESSIONEM BONORUM REI SERUANDÆ CAUSA.

CAP. XXV.

EXecutionis speciem habet missio in possessionem bonorum debitoris, quæ fit rei seruandæ causa, & quæ istam missionem sequi solent: scilicet datio curatoris illis bonis, bonorum uenditio, et similia, de quibus nunc ordine dicemus, & primum quidem de ipsa missione in possessionem. Tres autem sunt causæ, ex quibus in possessionem mitti solet: rei seruandæ causa, legatorum seruandorum gratia, & uentris nomine. Damni enim infecti nomine, si non caueatur, non uniuersorum nomine fit missio, sed rei tantum, de qua damnum timetur. Ex his tribus speciebus de prima tantum in hoc capite dicetur, reliquis ad suos locos reseruatis.

Si itaq; reus conuentus potestatem sui non faciat, nec defendatur, in bona eius fit missio. Nam ita Prætor ait: In bona eius qui iudicio sistendi causa fideiussorem dedit, si neque potestatem sui faciet, neque defendetur, iri iubebo. Potestatem uerò sui non facit, qui id agit, ne aduersarius eius copiam sui habeat. Ergo latitantis bona iubet possideri. Idem dicendum, etsi non latitet, uerum absens non defendatur. Sanè non defendi uidetur nō tantum qui abest uel latitat,

C 2 sed

sed et is qui præsens negat se defendere, aut non uult suscipere actionem. Idem dicendum, si pupillus præsens sit, tutorem autem non habeat: nam & hic pro absente & indefenso habendus est. Item minor uiginti quinq; annis, qui curatorem habet, nec ab eo defenditur, nec alium defensorem inuenit: bonorum uenditionem patitur, etsi non latitet, nec fraudationis causa latitare uideatur, qui sui non est idoneus defensor. Planè quod de pupillo diximus tutorem non habente, intelligendum est, si neq; alius sit à quo defendatur. Ceterum si existat aliquis qui defendere pupillum sit paratus, cessabit rei seruandæ causæ possessio, de qua re paulo inferius plura dicetur. Sed & non defendi pupillum constare debet, liquereq; Prætori, ut permittat bonorum possessionem. Hoc autem constare debet sic: Euocandi sunt ad Prætorum tutores pupilli, ut defendant. Si tutores non habeat, requirendi cognati uel adfines, & si qui forte alij sunt, quos uerisimile est defensionem pupilli pupillæue non omisso uel propter necessitudinem, uel propter charitatem, uel qua alia ratione: liberti etiam, si qui sunt idonei, euocandi, exquirendæque defensio. Si autem negent se defendere, aut non negent, sed taceant: tunc Prætor possessionem dabit, tamdiu scilicet quoad non defendatur. Si defendi cœpit pupillus uel pupilla, desinet possideri. Idem est in furioso. Nam & furiosus absentis loco est. Præterea

*Revera bona debitoris missio fit, si is sine herede
 decesserit, nec fiscus bona agnoscat, nec alius sit qui
 defunctum defendere sit paratus. Sed & si diu in-
 certum sit, heres extiturus necne sit, causa cognita
 permitti oportebit bona rei seruandae causa posside-
 ri: & si ita res urgeat uel conditio, bonum hoc etiam
 erit, ut curator constituatur unus ex creditoribus.
 Proinde si alter ex heredibus intra tempora sibi pre-
 stituta deliberet adire hereditatem, alter uero ne-
 get se aditurum: placet interim creditores in posses-
 sionem mittendos custodiae causa, donec appareat, is
 qui deliberat, utrum agnoscat partem suam, an non
 agnoscat. Planè si heres sub conditione institutus sit,
 cui parere potest, cogendus est conditioni parere, aut
 hereditati renunciare. Sed & si heres defuncto ex-
 titerit, isq; ob paupertatē suam creditoribus sit suspe-
 ctus, neque ijs de debito reddendo satisfacere uelit uel
 possit: bona hereditatis possideri uendiq; ex edicto
 Praetoris possunt. Haec enim causae, ex quibus rei ser-
 uandae causa missio in possessionem faciendae, enume-
 rate sunt: quarum prima atq; praecipua est, si reus
 absens uel etiam praesens non defendatur: ex hac e-
 nim causa missionem faciendam esse diximus, quam-
 uis reus sit minor uiginti quinque annis, uel pupillus,
 uel furiosus. Sed & si reus debitor ab hostibus captus
 sit, creditores eius in possessionem mittendi sunt. Si
 autem reus recte defendatur, cessat missio: et si iā fa-
 cta sit,*

Ita sit, decedere possessione creditores iubendi sunt. Rectè autè defenditur, siue ipse iudiciũ suscipere paratus sit, siue alius ipsius nomine. Sed si alius defendat, erit necessaria satisfactio iudicatũ solui: si ipse nõ erit necessaria. de qua re plura suo loco diximus. Si itaq; alius reũ defendat satisfactioe præstita, creditor missus deijci poterit interdicto reddito. quoniã defenditur absens, qui p suã absentia in nullo deteriorẽ causam aduersarij facit. Planè nõ sufficit defendisse, nisi usq; ad finẽ duret defensio. Etsi autè extraneus defendere uelit uniuersitatem, permittendum, sicut in priuatorum quoq; defensionib. obseruatur: quia eo melior cõditio uniuersitatis fit. Planè neq; foemina, neq; miles, neq; qui reipub. causa absfuturus est, aut morbo perpetuo tenetur, aut magistratum initurus est, aut inuitus iudiciũ pati nõ potest, idoneus defensor intelligitur. Ideoq; per hos absens rectè defendi nõ uidetur. Minor quoq; uiginti quinq; annis, si defensor existat, in quib. causis in integrum restitui potest, defensor idoneus non est: quia & ipsi & fideiussorib. eius per in integrum restitutionem succurritur. Sed et reum criminis constitutum defensionem cause suscipere non posse, antequam purget innocentia suã, incognitum nõ est. Sed & plura quæ ad id, ut quis rectè defendatur, pertinent, uide supra lib. eod. cap. 12. Quamuis autem missus sit creditor in possessionem, tamẽ si absens coeperit defendi, creditor cedere possessione

scissione

fessione debet. Idem dicendū, si absens reuersus iudicium suscipere sit paratus: nā & hoc casu ipsi reuerso possessio est restituenda: dummodò intra annū redeat, cautionemq; suscipiēde litis præstet. Planè si nō in rem aliquā specialem quæ fortè petebatur, sed in uniuersa bona facta sit missio, puto etiā post annum redeuntē audiendum esse, si oblata cautione iudiciū suscipere sit paratus. Sed nō sufficit absentem reuersum cautionē præstare, & iudicium suscipere paratū esse, ut recipiat possessionem: nisi quoq; sumptus litis, quos aduersarius fecit, ei restituerit. Planè si ob cōtumaciā reus absens cōdemnatus sit, & executio rei iudicate facta: nō auditur postea reuersus, si suscipere iudicium paratus executionē rescindi uelit. Idem dicendū, si missione in bona debitoris latitātis facta, uēditio bonorū secuta fuerit, secundū ea quæ inferius dicentur: nā & hoc casu uenditionem reuocare uolens nō est audiendus. Sed & si, cum in rē ageretur, actor nō in uniuersa bona absentis, sed tantum in possessionem rei petite missus sit: siquidem p̄ contumaciā reus absuerit, non recuperat possessionem, nisi petitorio iudicio agens obtinuerit. Sin aut nō per contumaciā, sed ex iusta causa absuerit: tunc reuersus intra annū defensionem cause suscipiens, possessionem recipit. Hæc de exceptionibus aduersus causas missionis in possessionem bonorum rei seruandæ causa sint di-

eta. Sed & plures huiusmodi exceptiones uide infra
 cap. prox. Nunc qui in bona mittendi sint, uidentur?
 Et quidē cum unus ex creditorib. petijt in bona de-
 bitoris se mitti, et Prætor permiserit: nō tam personæ
 solius petentis, quàm alijs creditorib. & in rem per-
 missum uidetur. Ideoq; omnib. creditorib. per unius
 petitionem in possessionem bonorum aditus est: nec
 uidebitur libera persona acquirere alij: quia nec sibi
 quidquam adquisiuit, cui Prætor permittit hoc: sed
 aliquid ex ordine facit. Et ideo cæteris quoq; pro-
 dest. Planè si is postulauerit, qui creditor non est, mi-
 nimè dicendum est, uel cum qui creditor est, posse-
 re posse: quia nihil egit talis postulatio: aliter atque
 si creditor, cui permissum est possidere, postea rece-
 pit debitum suum. Cæteri enim poterunt peragere
 bonorum uenditionem. Ut aut̄ non in perpetuū alio-
 rum negligentia ij, qui pro suis debitis alacriores ostē-
 duntur fuisse, prægrauentur: iure cautū est, tūc cōmu-
 nionem cōcedendam in possessione rerum alijs cre-
 ditoribus, qui nō hoc peregisse noscuntur, cū præsen-
 tes quidē in una eademq; degentes prouincia, in qua
 & possessores rerum comorantur, intra duorū anno-
 rum spaciū, absentes autem intra quadriennium
 creditoribus in possessionem missis suum debitū cer-
 tum faciunt, & expensas secundum quantitātē debi-
 torum persoluunt, per sacramentū eorū manifestan-
 das, q̄ eas adipiscendæ possessionis gratia sustinuerūt.

Post

Post completum autem memoratum tempus nullam eis esse licentiam, eos qui possessionem adepti sunt molestare, uel aliquibus damnis adficere: saluis tamen actionibus, quas se aduersus debitorem habere putant. Planè uenditis bonis, si illi qui in possessionem missi sunt, suum receperunt, ut ex eo quod superest, cæteris creditoribus postea uenientibus satisfiat: quadriennij præscriptio illis nõ obstat. Postremò in possessionem mitti solent creditores quamuis conditionales: quanquam hoc casu antimomia occurrit: nam quadam lege dicitur creditorem conditionalem in possessionem mittendum non esse: quia is mittatur, qui possit bona ex edicto uendere. Ex his, qui in bona sint mittendi, quodammodo constat, nunc in quæ bona missio sit facienda, uidendum. Et olim quidem in uniuersa bona debitoris latitantis creditores mittebantur: hodie uerò in partem bonorum tantum, pro quantitate eius quod debetur. Sed & iure antiquo, si in rem agebatur, debitorq; non latitaret, sed alias abesset, tantum in rei petitæ possessionem, non in uniuersa bona actor mittebatur. Si hæreditas petatur, in bona tantum hæreditaria, non in ipsius hæredis bona mittendus actor: nisi fortè dolo fecerit hæres, quominus hæreditatem possideat: hoc enim casu eius bona possidenda & uendenda sunt. Sed & si hæreditaria actione agatur, etiam hæredis bona possidebuntur: nisi uel pupillus hæres sit, uel hæreditate se abstinerit.

finuerit. Si uniuersitas uel collegium altquod nō defendatur: in bona communia, nō singulorum propriae creditores mittendi sunt. Planè is qui possidere iubetur, eo loco iussus uidetur, cuius cura ad iubentem pertinet. Ideoq; in bona alibi sita missus non uidetur. Sed & in res à debitore alienatas creditor mitti non debet, quamuis minoris sint alienatae: cum alienatio rescindi non debeat: nisi fortè in fraudem creditorum alienatio facta sit: tunc enim Praetor arbitriū dat creditoribus, ut ex integro alienationem faciāt. Sed & si minor uiginti quinque annis, postquam adierat hereditatē, quaedam bona fide alienauerat, postea aduersus aditionem in integrum sit restitutus: gesta ab eo bona fide rescindenda non sunt. de qua re alibi copiosius dicetur. Nunc euentus & consequentia missionis uideamus. Missus igitur creditor in possessionem bonorum debitoris rei seruandae causa, si fuerit prohibitus ne bona ingrederetur, datur ei eo nomine aduersus prohibentem in factum actio quanti ea res est, ex interdicto, Ne uis fiat ei qui in possessionem missus est. de quo alibi tractabitur. Dominium autem ex hac causa tenentes acquirere minimè possunt, nec ut ijs bona addicantur, impetrare: sed uendendi tantum habent facultatem, de qua infra cap. proxim. dicetur. Sed nec ali ex bonis creditores missi debent, nec etiam debitores. Pupillus tamen si non defendatur in possessione creditoribus

ditoribus

debitoribus constitutis, minori ex his usque ad puber-
 tatem alimenta præstanda sunt. Si quis fructus ex
 prædio debitoris capi poterit, hunc creditor, qui in
 possessionem prædij missus est, uendere uel locare
 debet. De cæterarum quoque rerum fructibus idem
 erit dicendum, ut si qui locari possint, locentur: pu-
 ta mercedes seruorum, uel iumentorum, cæterorūq;
 quæ possunt locari. Sed hoc ita demum, si à debitore
 ante neq; uenierit, neq; locatus erit. Nam à debitore
 alienationem factam retractandam non esse, iam di-
 ximus. De tempore locationis nihil Prætor locutus
 est: & ideo liberum arbitrium creditoribus datum
 uidetur, quanto tempore locetur: quemadmodum
 illud est in arbitrio eorum, uendant uel locent, scili-
 cet sine dolo malo: ex culpa autem rei non fiunt.
 Sanè si unus sit qui possideat bona, expeditum e-
 rit de locatione. quòd si non unus, sed plures
 sint: quis eorum debeat locare uel uendere, que-
 ritur? Et si quidem conuenit inter eos, expedi-
 tissimum est: nam & omnes possunt locare, &
 uni hoc negocium dare. Si uerò non conuene-
 rit, tunc dicendum est Prætorem causa cog-
 nita eligere debere quis locet uel uendat. In eum
 autem qui neque locauit fructum prædij, neque
 uendit, in factum actionem dat Prætor, & in hoc
 condemnabitur quanto minus propter hoc perceptis
 est, quia neq; uendit neq; locauit. Cæterum si tatum
 perce-

perceptum est, quantum perciperetur, si locatus uel distractus fructus esset: nihil ei imputatur. Præstat autem per id tantum temporis, quo in possessione fuerit uel ipse, uel iussu eius alius, quoad inde de possessione discessum est: nam neq; hoc imputabitur creditori, cur in possessionem non uenerit: neq; illud, cur de possessione discesserit: cum & uoluntarium & suum potius negotium creditor gerat. Aestimatio autem fit, quanti interest eius qui experitur. Præterea cum plures creditores in possessionem rerum debitoris mittuntur, ne corrumpantur rationes, uni hoc negotium à creditoribus dandum est, quem maior pars creditorum elegerit: & inuentarium instrumentorum faciendum: non ut describantur corpora instrumentorum, sed quot sint, & de qua re sint, subnotetur: quod etiam uniuersorum bonorum facere creditoribus erit permittendum. Sed & nonnunquam Prætor causa cognita describere aliquid ex instrumentis creditoribus debet permittere. Amplius autem quam semel hæc recognitio & dispositio non est concedenda. Si quis tamen iurauerit, non calumniæ causa se postulare, neque habere quæ disposuerit: Labeo ait, iterum faciendam ei potestatem, nec amplius quam bis. Porro Prætor ait: Si quis, cum in possessione bonorum esset, quod eo nomine fructus ceperit, ei ad quem ea res pertinet, non restituet: siue quod impense sine dolo malo fecerit, ei non præstabitur: siue dolo malo
cuius

etius deterior causa possessionis facta esse dicitur: de ea re iudicium in factum dabo. Quod de fructibus Prætor ait, etiam de cæteris, quacumq; ex re debitoris peruenerint, intelligendum est. Et sanè debuit hoc ita esse: quid enim, si ex cõpromisso uel alio casu pœnam consecutus est? nam eam pœnam, quam consecutus est, præstare debet. Datur igitur ex edicto Prætoris in creditorem actio, de eo quod ex bonis debitoris ad eum peruenit: ex quacumq; tandem occasione ad eum peruenit, uel lucratus sit. Planè si quis ob nimiam contumaciam possessoris hereditatis in bona hereditaria sit missus, fructus lucratur. Si autem nondum aliquid consecutus sit creditor præter actionem, eam ipsam actionem præstando liberatur. Quod uerò Prætor ait, Ei ad quem ea res pertinet: his uerbis & curator bonis distrahendis datus continebitur, & ipse debitor, si contigerit, ne eius bona ueneant. Et ipsi itaq; creditori aduersus hos dabitur actio, siue quid in fructibus recipiendis erogauerit, siue in familia alenda, curanda ue, siue prædijs fulciendis, uel reficiendis, uel damni infecti promittendo, uel seruo noxali in iudicio defenso: si modò non magis eum expedit dedere, quàm retinere. Quòd si dedere expedit, consequens erit, repetere eum non debere. Hæ actiones neque temporariæ sunt, & tam hæredibus quàm in hæredes dabuntur, cæterosq; successores. Omitte autem quod in actionem Negotiorum gestorum ueniret;

414 INSTITUTIONVM

ueniret, si posset agi, restituendum à creditore. At Prætor: Siue dolo malo eius deterior causa possessionis facta esse dicetur. Huius exemplum potest esse id quod supra de fructibus prædiorum à creditore uendendis uel locandis dictum est. Planè si deteriora prædia facta fuerunt sine dolo malo creditoris, uel iura eorum amissa, uel ædificia diruta, uel exusta, item familie pecorumq; acta cura nõ sit, aut possessio alij tradita, sine dolo malo tamen: apparet creditorem non teneri: quia dolo malo caret. Eritq; melior eius conditio quam in pignore creditoris, qui nõ tantum dolum malum, uerum culpam quoq; debet præstare. Eadem causa est curatoris bonorum: nam et iste tenetur ut creditor. Porro hæc actio, que datur ex dolo creditoris, neq; post annũ, neq; in heredes ceterosq; successores competit: cum ex delicto oriatur, poenæq; nomine cõcipiatur: nisi quatenus ad eos peruenit. Heredi tamen dabitur: quia et rei continet persecutionem. Quod ait Prætor: Siue quod impensa sine dolo malo fecerit, ei non præstabitur. hoc eò spectat, ut si quid ipse erogauerit creditor (si modo sine dolo erogauit) ei hoc præstetur. Sufficit igitur sine dolo malo erogasse, etiamsi nihil profuit erogatio eius rei debitori. Hæc autem actio de impensis creditori ideo datur, quia negotiorum gestorum agere nõ magis potest, quam si socius cõmune ædificium fulsit: quis hic quoq; creditor cõmune, nõ alienum negociũ gessisse

gessisse uidetur. Hæc de missione in possessionē bonorum debitoris, rei seruandæ causa facta, sint dicta. nunc de uenditione bonorum debitoris, quæ huiusmodi missionem consequi solet, dicendum.

DE VENDITIONE BONORUM DEBITORIS.

CAP. XXVI.

Bona debitoris à creditoribus uendi possunt, si debitor latitet, nec defendatur, uel si bonis cesserit. Nam ita Prætor ait: Qui fraudationis causa latitauit, si boni uiri arbitrato non defendetur: eius bona possideri uendiq; tubebo. Latitare est non (ut Cicero definit) turpis occultatio sui: potest enim quis latitare non turpi de causa: ueluti qui tyranni crudelitatem timet, aut uim hostium, aut domesticas seditiones. sed latitare est, cum tractu quodam latere: quæ admodum factitare est, frequenter facere. hodie autē hoc iure utimur, ut siue quis eodem loci agat, siue alio, siue peregrè, & occursum creditoris euitet, latitare uideatur. Denique eum quoq; qui in eodem foro agat, si circa columnas aut stationes se occultet, uideri latitare ueteres responderūt: & posse quæ aduersus alterum latitare, aduersus alterum non. Constat autem, ut ipse possit bona eius uendere, aduersus quæ latitet. Non igitur interest (quod attinet ad latitandum) utrum quis profugerit, an uerò Romæ agens copiam sui non faciat. Planè pupillus latitare non dicitur,

dicitur, ut bona eius uenire debeant. Si tamen pupillus non suo, sed hereditario nomine conueniatur, nec defendatur: bona hereditaria uenire possunt: perquam enim iniquum est, eum qui nihil cum pupillo contraxit, expectare eius pubertatem. Contractum autem cum pupillo potest dici, etsi cum seruo eius contractum sit. Competit enim aduersus eum de peculio actio. Ideoq; hoc casu pupilli indefensi bona non ueneunt. Quod facilius erit probandum in seruo, qui in rem domini uertit, aut iussu eius contraxit, aut si institoria cum eo agi possit. Sed et si cum tutore pupilli contractum est, ex quo actio in pupillum datur: pupilli indefensi bona non ueneunt. Idem dicendum, si pupillus heres extiterit alicui, et ex ea causa legata debeat: nam hoc casu pupilli bona possideri quidem possunt, distrahi uero non possunt. Etenim uidetur impubes contrahere, cum adiit hereditatem. Sed et is qui immiscuit se, contrahere uidetur. Plane hoc casu est in arbitrio creditorum, utrum pupilli bona possidere tantum usque ad ipsius pubertatem uelint, an ipsa bona hereditaria possidere et distrahere malint. Porro latitatio animum et affectum occultantis se desiderat: adeo ut recte dictum sit, furiosum hinc uenditionem pati non posse: quia non se occultat, qui suus non est. Plane si non defendatur furiosus, curator ei dandus, aut bona eius ut possideantur nominatim permittendum est. Si non inueniatur curator uel

de-

defensor furiosi, sed & si curator datus eum non defendat: tunc remouendus is, & oportet Prætozem dare curatorem aliquem ex creditoribus, ut non amplius quàm necessè est, ex bonis furiosi ueneat: eaq; seruanda sunt, quæ solent seruari, cum uenter in possessionem mittitur. Sed & si urgeat æs alienum, & dilatio damnū sit allatura creditoribus: bona furiosi causa cognita uendenda erunt. Ita autem uendenda, ut quod supersit, furioso detur: quia hominis eius status & habitus à pupilli conditione non multum abhorret. Idemq; in prodigo dicendum est, cæterisq; qui curatorum ope iuuantur: nec enim quisquam propriè latitare eos dixerit. Sed & is qui reipub. causa sine dolo malo abfuerit, bonorum uenditionem non patitur. Secus, si dolo malo reipub. causa aberit. Si quis autē bona possederit alicuius quasi latitantis, qui non latitabat, & uendiderit: dicendum erit, uenditionē bonorum secutam nullius momenti esse. Planè interdum etiam non latitantis bona uenire possunt, si non defendatur: puta eius qui ob crimen aliquod exulat. Nam exilio temporario puniti, si defensor eius non existat, bona ueneunt. Sed & eius qui in alia ciuitate est euitandi creditoris causa, quamuis in publico uersetur, tamen tanquam latitantis bona uenire possunt. Sanè cum de uenditione bonorū debitoris quæritur, an locum habeat, non sufficit latitare, sed & necesse est fraudatiōis causa id fieri: potest enim quis latitare;

D at non

at non fraudandorum creditorum causa, ut supra diximus. Sed neq; fraudationis causa, si sine latitatione sit, satis est ad possessionem & uenditionem: uerum oportet fraudationis causa latitare. Sed et is qui fraudationis causa latitat, non tamen propter creditores, et si hæc latitatio creditores fraudet: in ea tamen erit causa, ne hinc uendi bona eius possint: quia non hoc animo latitat, ut fraudet creditores: animus enim latitantis quæritur, quo animo latitet, ut fraudet, an alia ex causa. Si tamen plures cause sint latitationis, inter quas est & fraudationis causa: nocere debet latitanti, possuntq; hinc bona eius uendi. Planè si quis plures habens creditores, aduersus quosdam se occultet, aduersus quosdam non: uenditio locum habet: nã nõ aduersus omnes latitatio exigenda est, sed sufficit uel aduersus unum latitasse debitorem, ut bona eius uendi possint. Præterea si in diem uel sub cõditione debitor latitet, antequam dies uel conditio ueniat, non possunt bona eius uenire. Quid enim interest, debitor quis non sit, an nondum conueniri possit: nam etsi non sit debitor, idem dicendũ. Idem erit, etsi quis habet quidem actionem, sed talem, quæ per exceptionem repellitur. Proinde si eo tempore, quo in peculio nihil est, pater latitat: in bonorum possessionem eius rei seruandæ causa mitti non possum, qui de peculio cum eo acturus sum: quia non fraudationis causa latitat, qui si iudicium acciperet, absolui deberet, quiq;

pre.

præfens suscipere iudicium non compellitur. nec ad rem pertinet, quòd fieri potest, ut damnatio sequatur, possit uel iniuria iudicis condemnari. Planè hoc exemplum, quod de peculiæ actione iam propositum est, antinomia non caret. Postremò antequàm uenditio bonorum debitoris fiat, requiritur ut missio in possessionem bonorum præcesserit, creditoresq; possessionem sint ingressi: nisi fortè nihil sit quod possideatur, uel possideri possit: puta propter naturam rei: ueluti si prædium inundatum sit, aut propter latronum potentiam non potest possideri: his enim casibus rectè dicitur, non esse quod possideatur. Ideoq; quamuis bona possessa non sint, quia nihil fortè fuerit quod possideatur, aut sine controuersia non possideatur: creditor qui in possessionem missus est, perinde habetur ac si etiam possessa bona fuissent. Hactenus, an bona debitoris uendenda sint, discussimus: quæ autem bona uenire possint, patet ex ijs quæ supra cap. prox. sunt proposita, in quæ bona creditores sint mittendi. Quibus uerò ius uendendi bona competat, nunc uideamus. Et quidè creditoribus in possessionem missis ius uendendi bona cõpetere, ex ijs quæ hactenus dicta sunt patet. Cuius tamè bonis distrabendis curatores facere senatus pmisit, eius bona creditoribus uedere non pmisit: quãuis creditores post id beneficium bona uedere mallèt. Sic enim integra re potestas ipso rû est utrû uelint eligendi: ita cû alterû elegerint, ab

D 2 altero

altero abstinere debent. Multoq; magis id seruari equum est, si etiam factus est curator, per quem bona distraherentur: quamuis nondum explicato eo negotio decesserit. nã & tunc ex integro alius curator faciendus est, neq; heres prioris curatoris est onerandus: cum accidere possit, ut negotio uel propter sexus, uel propter ætatis infirmitatē, uel propter dignitatē maiorem minorem ue, quàm in priore curatore spectanda erat, habilis non sit. possunt etiam plures heredes ei existere, neque per omnes id negotium administrari expediat, aut quicquam dari possit, cur unus aliquis ex his potissimum onerandus sit. Porro si plures sint creditores, & aduersus quosdam latitat debitor, aduersus quosdam non latitat: ij soli uenditionem bonorum impetrare possunt, aduersus quos latitat debitor, non etiam ceteri. Cum autem bona uencunt debitoris, in comparatione emptoris extranei et eius qui creditor cognatus ue sit, potior habetur creditor cognatus ue: magis tamen creditor, quàm cognatus: & inter creditores potior is, cui maior pecunia debetur. Præterea quod ad tempus uenditionis bonorum attinet, sciendum, iure antiquo, nisi intra duos menses condemnatus sententiæ paruisset, ius uendendi pignoris erat: sed iure nouo quatuor menses constituti sunt, intra quos nisi fiat id quod iudicatum est, iudicati actio competit. de qua re supra cap. 23. diximus. Potest itaq; dici, ius uendendi
bona

bona debitoris non antè competere, quàm iudicati actio dari possit. Ius autem uendendi bona debitoris à iudice petendum & impetrandum est. Nam qui iudicati bona auctoritate sua distraxit, furti actione & ui bonorum raptorum tenetur. fructus tamen prædiorum creditor, qui in possessionem missus est, etiam sine iudice uendere uel locare potest: de quo supra est dictum. Postremò facta bonorum debitoris uenditione, quidquid superfluum fuerit, uel amplius quàm creditoribus in possessionem missis debetur, hoc modis omnibus necesse est eos presentibus tabularijs signare, & in Ecclesia eius ciuitatis, in qua contractus celebratus est, deponere: attestations prius per memoratos tabularios conscribenda, presente etiam eo qui res eas uendiderit, uel tradiderit: ut per eam manifestetur tam quantitas precij quo res uendite sunt, quàm eius quod soluto debito superfluum remansit: ut si quis postea creditor apparuerit, & debiti cautionem ostenderit, possit ex eo suum recipere. Non licet autem creditoribus propria auctoritate, quod sibi debetur, ex precio sibi recipere, sed interlocutoria Præsidis præcedente. Is quoque qui uenditionem bonorum fecit, iusiurandum præstare iubetur, quòd neque per gratiam emptoris, uel eius ad quem res iure successionis transferuntur, nec dolo aliquo interueniente minoris, sed quanti potuerit, uendiderit. Sanè si plus redactum est

ex bonis distractis quàm debetur, nec alij creditores supersint, debitor iure ac meritò id sibi restitui petet. Bonis autem distractis eius in cuius honorem statuae in publico positae sunt, dicendum est, has statuas non esse emptoris bonorum, sed aut publicas, si ornandi municipij causa positae sunt, aut eius in cuius honorem positae sunt, & nullo modo eas detrahi posse, Sed & bonis uenditis excipiuntur concubinae & liberi naturales. Præterea sciendum, bonis distractis nullam actionem ex antè gesto fraudatori competere. Sed & ut uenditio rescindatur, fraudator impetrare non debet: nisi fortè non iure doceatur facta uenditio. Sed etsi minore precio quàm res est, aperta fraude emptoris uel gratia uenditio sit facta: debitori debitam quantitatem offerenti rescissa uenditione bona restitui debent. Idem dicendum, si uenditio facta sit ab eo, cui uendendi facultas non fuit, neq; habitis hastis, neque alio iuris ordine peracto. Quae tamen ita obtinent, si non temporis præscriptio debitori obstabit.

DE PRIVILEGIIS CREDITORUM, seu qui in bonis debitoris potiores habeantur.

CAP. XXVII.

Venditis bonis debitoris, sequitur ut precium ex ista uenditione redactum inter creditores pro portione debiti distribuatur: ut ita quisque, quod

quod sibi debetur, recipiat. Verum precio isto non sufficiente, queritur uter utri sit preferendus: de qua re sequentes regulæ sunt notandæ: quarum prima hæc est, quòd fiscus creditor cæteris sit preferendus: quia fiscus semper habet ius pignoris: nisi fortè pœnam si fiscus persequatur: nam omnium fiscalium pœnarũ petitio creditoribus, quibus alia exceptio non obstat, postponitur. Sed & si quis res suas vindicet, fisco potior est. Idem dicendũ, si quis pignus persequatur specialiter sibi obligatũ. Quod tamẽ ita uerũ est, si causa pignoris fiscicausam præcesserit. alioquin si priusquã debitor res suas alij pignori obligasset, cũ fisco cõtraxerit: fisci causa potior est: nisi fortè nouationis iure prius debitũ post causam fisci in obligationẽ sit deductũ: puta Titius Seia ob summã, qua ei ex tutela condemnatus erat, obligauit pignori omnia bona sua, quæ habebat, quæq; habiturus esset: postea mutuatus a fisco pecuniam, pignori ei res suas omnes obligauit, & intulit Seia partẽ debiti, & reliquã summã nouatione facta eidẽ promisit, in qua obligatione similiter, ut supra, de pignore conuenit: responsum est, Seia præferendam fisco tam in illis rebus, quas Titius tempore prioris obligationis habuisset, quàm in his, quas post priorem obligationem adquisiuit, donec uniuersum debitum suum fuerit consecuta. Planè si quis non specialiter, sed generaliter bona sua obligauerit, quamuis ea etiam quæ habiturus

D 4 esset,

esset, posteaq; cum fisco contraxerit: in ijs rebus, quæ post contractum fisci adquisitæ sunt, fiscus potior est. Adeo autem fiscus cæteris creditoribus præfertur, ut quamuis creditori à debitore res aliqua sit alienata, uel in solutum data, nihilominus fiscus in ea priuilegium suum retineat: cum tacitè pignori fisco fuerit obligata: nec distinguitur, utrum creditor, qui rem à debitore accepit, sciuerit, an ignorauerit eundem fisci quoque debitorem esse. diuersum tamen est, si antequam fisci debitor esse cœperit, alienauit. Nam etsi postea fisci debitor factus est, non ideo tamen ea quæ de dominio eius excefferunt, pignoris iure fisco potuerunt obligari. Postremò fiscus potior est cæteris creditoribus in ijs causis, quas proprio nomine cōtraxit, non in ijs quæ successione iure adquisiuit: nam si posteriori creditori fiscus successerit, eo iure utitur, quo is usus erat, cui successit. Hæc de fisco. Altera regula est de eo qui in fisci locum successit. huic quoque idem priuilegium quod fisco competit. puta si quis pro alio à fisco conuentus debitum soluerit: certè ius fisci in bonis eius, pro quo soluit, ei non est denegandum, ut quemadmodū fiscus, ita hic quoq; cæteris creditoribus præferatur: de qua re inferius dicetur plura. Tertia regula est de rep. Hæc post fiscū cæteris creditorib. præfertur: quanq̄ hoc antinomia nō caret. Planè ijs qb. bona debitoris generaliter uel specialiter, expressè tamē pignori obligata sunt,

resp.

resp. nō præfertur. Sed et quas exceptiōes priuilegio
 fisci obstare suprā diximus, easdē multo magis propo-
 sitæ regulæ obstare q̄s dixerit. Quarta regula est de
 causa dotis. Hæc enim præcipua est, & mulier dotē
 repetēs alijs creditorib. in bonis mariti potior est: a-
 deò ut & reipub. præferatur, & alijs creditorib. pri-
 uilegiatis uel hypothecarijs & tempore priorib. nō
 tamen fisco anteponenda est. Sed & mulier hæreti-
 ca hoc priuilegio uti non potest. Sed nec hæres mu-
 lieris hoc priuilegium habet, nisi fortè filius eius sit
 uel nepos. Planè si quis occasione militiæ, uel ut quis
 referatur inter statutos, uel ob alias huiusmodi cau-
 sas pecuniam mutuam dederit, & id ipsum expressis
 uerbis descriptum sit in instrumento, & de hoc pa-
 ctum conuentum sit, ut casu facto solus is potior sit,
 qui in hanc causam credidit: hoc casu mulier in do-
 tis causa postponitur: dummodò contractus in scri-
 ptis celebratus sit, & testium subscriptionibus con-
 firmatus, ut omni careat suspicione. Sed & filij prio-
 ris matrimonij matris suæ dotem antiquiorē condicē
 tes, posterioris matrimonij uxore sunt potiores. Idem
 dicendum est de nepotibus, pronepotibus & dein-
 ceptis descendentibus utriusq; sexus: nisi fortè res dota-
 les posterioris matrimonij adhuc apud maritū eius-
 ue hæredes extent: in his enim causa dotis posterior
 priori præferenda. Si sponsa dedit dotem, & nuptijs
 renunciatum est: tametsi nullum matrimonium con-
 tractum

tractū est, ipsi tamē dotē condicenti dotis priuilegiū denegandum non est. Idem dicendū, etiā si minor duo decim annis in domum quasi uxor deducta sit, licet nondum uxor sit. Interest enim reipublicæ & hanc solidum consequi, ut etate permittente nubere possit. Sed & si maritus postea seruus apparuerit, & ita matrimonium nullum fuerit: mulieri quæ in conditione mariti errauit, dotis priuilegium denegari non oportet, ut si sint & alij creditores, hæc præferatur circa actionem de peculio: ut tamen, si domino aliquid debeat seruus, non præferatur mulier: nisi in his tantummodò rebus, quæ uel in dotem datæ sunt, uel ex dote comparatæ, quasi & hæc dotales sint. Non solum autem, si soluto matrimonio dos repetatur, priuilegium dotis obtinet, uerum etiam si constante matrimonio, cum maritus ad inopiam uergit. Planè si mulier rem immobilem in bonis non habeat, sed augmentum dotis in mobilibus conscribat: priuilegium in augmento habitura non est, sed in pristina dote duntaxat. nam quod initio extitit, hoc in uniuersum omni suspitione solutum est: quod postea per machinationem accessit, inducit & præ se fert fraudandorum creditorum consilium. Secus, si augmentum dotis in immobilibus factum sit. Postremo, quod priuilegium in dote mulieri competit, idem etiam ei in paraphernalibus non denegatur, ut in ijs condicendis uel uindicandis cæteris creditoribus præferatur.

feratur. In antenuptiali tamen donatione iure utitur communi, ut inter creditores sui temporis ordinem habeat, nec anterioribus præferatur: non enim in lucro mulieres lex fouet, sed ne damnum patiantur. Haftenus de priuilegio dotis. Quinta regula est, quòd pupillus tutelæ actione agens in bonis tutoris cæteris creditoribus præferatur. hoc tamen priuilegium soli pupillo competit, non etiam eius hereditibus uel alijs. Proinde si ex pluribus tutoribus unus in solidum condemnatus sit: in rem suam iudicatus procurator datus priuilegium pupilli non habebit, quod nec heredi pupilli datur. non enim causæ, sed personæ succurritur, quæ meruit præcipuum fauorẽ. Pupillo igitur datur hoc priuilegium, quamuis post pubertatẽ rationibus à tutore acceptis reliquationem eius secutus usuras acceptauerit. Non solum autẽ in bonis tutoris hoc priuilegium pupillus habet, sed etiã eius qui pro tutore negocia gessit, uel ex curatione pupilli pupillæuẽ debet, si eo nomine cautũ non sit. Proinde si negocium impuberis aliquis ex officio amicitie gesserit, debet bonis eius uenditis priuilegiũ pupillo cõseruari: nec interest, ipse debeat qui gessit, siue hæres eius, cæteriq; successores. Defensor quoq; tutoris condemnatus nõ auferet priuilegium pupillo: neq; enim spontè cũ eo pupillus cõtraxit. Planè priuilegium in bonis magistratus pupillus subsidiaria agens non habet, sed cum cæteris creditoribus

partem

partem habiturus est. Porro quod dictum haecenus est de pupillo, de furioso quoque, prodigo, ceterisque qui curatores habent, intelligi debet: nam aequissimum est, ad ceteros quoque quibus curator quasi debilibus uel prodigis datur, uel surdo, uel muto, uel fatuo, idem priuilegium competere. Planè si bonis curator datus sit uel absentis, uel ab hostibus capti, uel dum deliberant scripti haeredes de aduenda hereditate, non oportet priuilegium dari: non enim in eadem causa est. Sed et si uentri curator datus sit, nec partus editus, priuilegium cessabit. Haec de ijs qui sub tutela et cura sunt, sint dicta. Praeterea in bonis mensularij uel argentarij uendendis, post priuilegia potiore eorum causam esse placuit, qui pecunias apud mensam, fidem publicam secuti, deposuerunt. Qui tamè depositis numis usuras à mensularijs acceperunt, à ceteris creditoribus non separantur: et merito. Aliud est enim credere, aliud deponere. Si tamen numi extent, uindicari possunt à depositarijs, et erit qui uindicat ante priuilegia. Queritur, utrum ordo spectetur eorum qui deposuerunt, an uerò simul omnium depositariorum ratio habeatur? Et constat, simul admittendos: hoc enim rescripto principali significatur. Postremò sumptus causa, qui necessario factus est, causam depositi semper praecedit: nam deducto eo, bonorum calculus subduci solet. Impensa quoque funeris semper ex hereditate deducitur,

ducitur, quæ etiã omne creditũ solet præcedere, cum
 bona soluendo nõ sunt: nec distinguitur, siue is cuius
 bona ueneunt, funeratus sit, siue alius, cuius nomine
 funeraria actione is q̄ soluendo nõ est, tenebatur: par
 uiq; refert, qua actione hic sumptus repetatur, fune-
 raria, an familiæ eriscundæ, an qua alia: dummodò
 sumptus funeris causa factus sit. Quare si in stipula-
 tum funeris impensa deducta sit, dicendum est, locum
 esse priuilegio: si modò quis non abijciendi priuilegij
 causa stipulatus sit. Porro is qui rem uindicat, in ea
 re, si extat, potior est cæteris creditoribus. Idem di-
 cendum, si re aliqua uendita uel alio modo alienata,
 is qui alienauit, precium recipere nõ possit, eaq; res
 apud debitorem uel eius hæredem extet: in ea enim
 potior erit. Item creditori qui ob restitutionem ædi-
 ficiorum credidit, in pecunia quæ credita est, priuile-
 gium exigendi datur. quod ad eum quoq; pertinet,
 qui redemptori, domino mandante, pecuniam submi-
 nistravit. Sed et qui ad aliam rem pignori obligatam
 conseruandam uel reficiendam credidit, potior est
 anteriore creditore. Vcluti si nauis fuit obligata, &
 ad armandam eam uel reficiendam alius crediderit.
 huius enim pecunia saluam fecit totius pignoris cau-
 sam. Quod poterit quis admittere, & si in cibaria
 nauarum fuerit creditum, sine quibus nauis salua
 peruenire non poterat. Item si quis in merces obli-
 gatas crediderit, uel ut saluæ fiãt, uel ut nauulum exol-
 uatur?

uatur: potentior erit, licet posterior. nam & ipsum nauulum potentius est. Tantundem dicetur, et si merces horreorum, uel aræ, uel uecturæ iumentorū debetur. nam & hic potior erit. Planè hoc priuilegium mulieri dotem repetenti non obstat. causa enim dotis potior est, quàm eius qui in rem restituendã uel comparandam credidit. Nam alioquin qui in nauem emendam, extruendam uel instruendam credidit, priuilegium habet. Sed & is qui ob nauem uenditam petit, habet priuilegium post fiscum. Quod autem diximus, eum qui in nauem emendam crediderit, priuilegium habere: intelligendum est etiam de alijs rebus, quæ creditoris pecunia comparatæ sunt, ut in ijs creditor ceteris præferatur. Proinde si pecunia alterius pupilli, alteri pupillo fundus sit comparatus: saluū ius pignoris erit ei pupillo, cuius pecunia cõparatus est fundus. Hæc ad eò obtinēt, ut etiam fisco hic creditor anteponatur. Quod tamē ita accipi debet, si ei cuius pecunia res cõparata est, specialiter uel generaliter ea res à debitore fuerit pignori obligata: alioquin nisi specialiter uel generaliter saltem ea res creditori à debitore fuerit obligata, sola pecuniæ numeratio eã in causam pignoris non deduxit. Sed & causa dotis hoc casu potior est. Planè si res non in totū ex numis cuiusdam comparata est, erit concursus utriusq; creditoris, id est & antiquioris, & eius cuius numis comparata est. Præterea eos qui acceperūt pignora, cum

In rem habeant actionem, privilegij omnibus, quæ personalibus actionibus competunt, præferri constitit: nec hoc casu prætorium pignus à conuentionali differt. Planè si res hæreditaria pignori obligata esse proponatur ab hærede, iure separationis hypotheca ratio creditore potior erit is qui separationem impetravit. Sed & his qui pignori rem acceperunt, potior est is cui damni infecti nõ cauetur, si possidere et per longũ tempus rem capere ei permissum fuerit. Sed et is quoq; qui seruum pignori obligatũ ab hostibus redemit. Hæc de eo, cui res pignori fuit obligata. Quatenus autem, si eadem res duobus diuerso tempore pignori obligata fuit, prior tempore posteriori præferatur, alibi dicetur, ubi de pignoribus tractabitur. Porro inter eos quibus ex eadem causa debetur, occupantis melior conditio est: nec deducitur quod eiusdem conditionis hominibus debetur, sicuti fit in actione de peculio: nõ & hic occupantis melior causa est. Planè is q ex causa donationis conuenitur, in quantum facere potest condemnatur, deducto eo quod ab eo alijs quoq; debetur: nisi alijs quoq; ex causa donationis debeatur. hoc enim casu quod istis debetur, nõ deducitur, sed inter eos occupantis melior est conditio. Planè si & alij pendente prioris lite superueniat, par omnium conditio est: nam in iudicati actione nõ prius ratio haberi debet eius, cui prior reus condemnatus fuerit. Sed et si hæres cõfecto inuẽtario hæreditatem adierit,

adierit, et posterioribus creditoribus id quod eis debatur, soluerit: exhausta hæreditate, anterioribus creditoribus aduersus creditores posteriores actio datur: quamuis suum recepisse uideantur: maxime si legatarijs prius legata sint soluta: nam legatarij posteriori loco habendi sunt, & cæteris creditoribus postponendi. Planè libertates quæ non in fraudem creditorum datæ sunt, præstitæ reuocari hoc prætextu non debent: & si nondum præstitæ sunt, peti possunt, quamuis hæreditas soluendo nõ sit. Sed etsi non defuncti qui legauit, sed hæredis à quo legatum est, bona ueneant: legatarij cum cæteris creditoribus simul admittuntur, nec postponi debent: cum hoc casu legatum quasi æs alienum exigatur. Porrò quod supra diximus, eos qui in fisci locum succedunt, fisci quoq; priuilegio uti, generaliter obtinet in omnibus, quorum pecunia ad priuilegiatos creditores peruenit: ut eorum ratio prior sit habèda, quemadmodum & eorum, in quorum locum successerunt, ratio prior habenda fuisset. Peruenisse autem eorum pecunia ad priuilegiatos creditores uidetur, siue ipsi creditoribus numerauerint, siue debitor, cui ipsi pecuniã dederunt: dummodò hoc posteriore casu debitor pecuniam acceptam statim, non post interuallum aliquod creditoribus priuilegiarijs numerauerit. Sed & requiritur, ut à priuilegiario creditore soluenti cedatur actio, idq; uel ante uel in ipsa solutione. nã si non
cedatur

cedatur actio, uel post aliquod interuallum cedatur ea per solutionem iam extincta: actio nõ transfertur in soluentem, tantum abest ut priuilegium transferretur. Priuilegium tamen quod habet creditor in bonis debitoris, ad heredem quoq; eius transit sine cessione. Itaq; si in causa iudicati pignus captum est: priuilegio temporis fortior est heres eius, in cuius personam pignus constitutum est. Postremò si plures sint creditores uel omnes idem priuilegium habentes, uel nullum habentes, concurrunt, & omnes ex æquo pro rata admittuntur. Priuilegia enim non ex tempore estimantur, sed ex causa. Proinde si eiusdem tituli fuerint, concurrunt: licet diuersitates temporis in his fuerint: exceptis tantum duobus casibus: uno, si eadem res duobus diuerso tempore pignori sit obligata: deinde, si priuilegium dotis unus ex priore matrimonio, alter ex posteriore matrimonio habeat. his enim casibus priores tempore, potiores priuilegio esse, supra diximus.

DE SEPARATIONIBVS.

CAP. XXVIII.

HAEC de priuilegijs seu de iure prelationis creditorum sunt dicta: à quibus tamen non uidetur alienus esse locus iuris de separationibus. Ideoq; hic subiungendus est. Solet autem separatio permitti creditoribus ex his causis: utputa debitorem quis Scium habuit, hic decessit, heres ei extitit

B Titius:

Titius non est hic soluendo: patitur bonorum uenditionem: creditores Seij dicunt bona Seij sufficere sibi, & dicunt creditores Titij contentos esse debere bonis Titij: & sic quasi duorum fieri bonorum uenditionem. Fieri enim potest, ut Seius quidem soluendo fuerit, potueritq; creditoribus suis uel ita semel, etsi non in assen, in aliquid tamen satisfacere: admittis autem commistisq; creditoribus Titij, minus sunt consequuturi, quia ille non est soluendo: aut minus consequentur, quia plures sunt hi creditores. Est igitur equissimum, creditores Seij desiderantes separationem audiri, impetrareq; à Prætorè, ut separatim quantumcunq; creditoribus præstetur. Quod tamen ita uerum est, si nō creditores Seij hæredis Titij personam secuti sunt. Nam si pignora ab hærede acceperint, non est eis concedenda separatio, quasi eum secuti sint. neq; enim ferendus est, qui qualiter qualiter, eligentis mente tamen, hæredis personam secutus est. Proinde & qui nouandi animo ab hærede stituti sunt, amiserunt separationis cōmodum. Sed & si usuras ab eo ea mente, quasi eum eligendo, exegerint: idem erit probandum. Item si satis ab eo acceperunt, quamuis fideiussorem minus idoneum. Etsi autē ex plurib. creditoribus quidam hæredem secuti non sunt, sed separationem impetrauerunt: hoc tamen cæteris, qui hæredē secuti sunt, nō prodest, uerū cū creditoribus hæredis sunt numerandi. Non autem hære-

dis per-

dis personam secuti uidentur, qui iudicium ei dicta-
uerunt. quia ex necessitate hoc fecerunt, non eligendi
animo. Præterea separatio creditoribus hæreditarijs
denegatur, posteaquã bona hæreditaria bonis hære-
dis mista sunt: confusis enim bonis & unitis separatio
impetrari nõ potest: nisi forte prædia extent, uel mā-
cipia, uel pecora, uel aliud quod separari poterit: hic
utiq; poterit impetrari separatio. nec ferendus est, q
causatur bona contributa, cum prædia contribui nõ
possint: nisi ita coniunctæ possessiones sint & permi-
stæ proprijs, ut impossibilem separationẽ effecerint:
quod quidem perrarò contingere potest. Sed & ab
hærede uendita hæreditate, separatio frustra deside-
rabitur, utiq; si nulla fraudis incurrat suspicio: nam
que bona fide medio tempore per hæredem gesta
sunt, rata conseruari solent. Ad hæc post quinquen-
nium ab adita hæreditate numerandum separatio
frustra postulatur. Quamuis autem ex die uel sub cõ-
ditione creditoribus debeatur, & propter hoc pecu-
niam nondũ petere possint: æquẽ tamẽ separatio ijs
dabitur: quoniam et ipsis cautione cõmuni cõsulitur.
Non solum autem creditores testatoris, sed etiam ij
quibus legatum fuerit, impetrare bonorum separa-
tionem possunt: ita ut, cùm creditorib. solidũ adqui-
situm fuerit, legatarijs solidum uel portio queratur.
Quamuis autẽ defunctus ex causa fideiussionis, quã
pro hærede fideiusserat, creditori sit obligatus,

ut principaliter heres quoque eiusdem debitor sit, & fideiussionis obligatio ita extincta sit: nihilominus tamen separatio impetrabitur, petente eo cui fideiussor fuerat obligatus, siue solus sit hereditarius creditor, siue plures: neque enim ratio iuris, quae causam fideiussionis propter principalem obligationem, quae maior fuit, exclusit, damno debet afficere creditorem, qui sibi diligenter prospexerat. Quid ergo, si bonis fideiussoris separatis, solidum ex hereditate stipulator consequi non possit: utrum portio cum ceteris heredis creditoribus exequenda erit, an contentus esse debeat bonis quae separari maluit? Sed cum stipulator iste, non adita à reo fideiussoris hereditate, bonis fideiussoris uenditis in residuum permisceri debitoris creditoribus potuerit: ratio non patitur eum in proposito submoueri. Sed in quolibet alio creditore, qui separationem impetrauit, probari commodius est, ut si solidum ex hereditate seruari non possit, ita denique aliquid ex bonis heredis ferat, si proprii creditores heredis fuerint dimissi. Quod sine dubio admittendum est circa creditores heredis, dimissis hereditarijs. Porro non solum aduersus creditores priuatos, sed etiam aduersus fiscum & municipes impetratur separatio. Non autem ut creditoribus defuncti aduersus heredis creditores separatio petentibus à iure datur, ita contra quoque creditores heredis aduersus creditores hereditarios separationem impetrare

trare possunt. nã his separatio denegatur, adeò quidem, ut quamuis in fraudem eorum hæres adijisse damnosam hereditatem dicatur, tamen hoc remedio uti non possint. Sibi enim impudent, qui cum tali contraxerunt: quanquã Prætor extra ordinem his subuenire potest aduersus calliditatem eius, qui talem fraudem commentus est: quod tamen non facile admittendum est. Planè si hæres suspectã hereditatem dicens, compulsus fuerit eam adire et restituere, deinde non sit cui restituat: quemadmodum ipsi desideranti aduersus creditores hereditarios subuenitur: ita quoq; creditoribus eius desiderantibus, licet ipse hæres non desiderauerit, quasi quædam separatio præstatur. Præterea patronus quoque, cuius libertus hæres institutus bonorum possessionem secundum tabulas petijt eius, qui soluendo non erat, impetrare potest, ut bona liberti sui ab hereditarijs separentur: ne oneretur ære alieno, quod libertus petèdo bonorum possessionem secundum tabulas contraxerit. Sed & seruus necessarius hæres à domino cum libertate institutus impetrare potest separationẽ, scilicet ut si non attigerit bona patroni sui, in ea causa sit, ut ei, quidquid postea adquisierit, separetur: sed & si quid ei à testatore debetur. Postremò si filij familiã bona ueneant, qui castrense peculium habet, quod est soluendo, aliudq; eius peculium paganicum non est soluendo: creditores qui cum eo contraxerunt, postquam

militare cepit, separationem peculij paganici petere
 possunt aduersus istos creditores, qui cū filios familiās,
 antiquā militaret, cōtraxerunt. Sed & aduersum eū
 quoq; creditorem separationem petere possunt, qui
 quidem cum militante contraxit, uerū pecunia in
 rem patris uersa est. huic enim contradici potest, ne
 castrense peculium inquietet: cum possit potius cum
 patre experiri. Porro si quis impubes parenti heres
 extiterit, deinde intra pubertatem decesserit, & sub-
 stituti bona ueneant, qui impuberis hereditatē adiit:
 patris creditores separationem impetrare possunt.
 Hoc amplius, etiam impuberis creditores possunt se-
 parationem impetrare aduersus creditores heredis
 substituti. Si Primus Secundum heredem scripserit,
 Secundus Tertium, & Tertij bona ueneant: Primi
 creditores aduersus Secundi & Tertij creditores se-
 parationem petentes audiendi sunt: sed Secundi cre-
 ditores aduersus Tertij quidem, non autem aduersus
 Primi creditores separationem impetrare possunt.
 Sciendum est autem, separationem solere impetrari
 decreto Prætoris. nam an admittenda sit separatio,
 necne, Prætoris erit uel Præsidis notio, & nullius al-
 terius, hoc est eius qui separationē indulturus est. Po-
 stremo, separationē à creditoribus hereditarijs impe-
 trata, sciendum est, creditores quidem heredis, si quid
 superfuerit ex bonis testatoris, posse habere in suum
 debitum: creditores uerò testatoris ex bonis heredis
 nihil,

Nil, quamuis creditoribus hæredis in solidum sit satisfactum. Cuius rei ratio illa est, quòd qui impetrauit separationem, sibi debeat imputare suam facilitatē, sicū essent bona idonea hæredis, illi maluerint potius bona defuncti sibi separari: hæredis aut̄ creditoribus hoc imputari non possit. At si creditores defuncti desiderent, ut etiam in bonis hæredis substituantur, non sunt audiendi: separatio enim quam ipsi pctierunt, eos ab istis bonis separabit. Si tamen temerē separationem pctierint, impetrare ueniam possunt, iustissima scilicet ignorantie causa allegata. Sed & si post impetratam separationem aliquid hæres adquisierit ex hereditate: admitti debebunt ad id quod acquisitum est. Secus tamen, si aliunde quàm ex hereditate sit acquisitum. Planè si, cum debitor fideiussori hæres extitisset, creditor bona fideiussoris defuncti separari pctierit: illis postea non sufficientibus, nihilominus ad bona principalis debitoris eiusq; hæredis est admittendus, ut supra diximus. Hæc de separationibus.

DE EXTRAORDINARIIS cognitionibus.

CAP. XXIX.

HActenus euentus & consequentia iudiciorum pertractauimus. Supersunt ad finia iudiciorū remedia petraçtāda: ut sunt extraordinariæ cognitiones, compromissum & transactiones. Nam

E 4

Et hæc circa lites uersantur, et ad finiendas lites
 perinde ac iudicia pertinent. De extraordinarijs co-
 gnitionibus hæc potissimum sunt notanda: primùm
 quidem, ex quibus causis seu de quibus rebus extra
 ordinem cognoscatur: deinde quæ sint propria co-
 gnitionum extraordinariarũ. Cognoscitur ergo ex-
 tra ordinem de mercedibus potissimum. Nam Præses
 prouinciæ de mercedibus ius dicere solet, sed præce-
 ptoribus tantum studiorum liberalium. Liberalia au-
 tem studia accipimus, quæ Græci *ἰλευθέρια μαθήματα*
τα appellant. Rhetores continebuntur, Grammatici,
 Geometra. Medicorum quoq; eadem causa est, quæ
 et professorum: nisi quod iustior: cum hi salutis homi-
 num, illi studiorum curam agant. Et ideo his quoque
 extra ordinem ius dici debet. Medicos fortassis quis
 accipiet etiam eos, qui alicuius partis corporis, uel
 certi doloris sanitatem pollicentur: ut puta si auricu-
 larius, si fistulæ uel dentium. non tamen si incantauit,
 si imprecatus est, si exorcizauit: non sunt enim ista
 medicinæ genera, tametsi sint qui hos sibi profuisse
 cum prædicatione adfirmant. Sed et obstetricem au-
 diet Præses, quæ utiq; medicinam exhibere uidetur.
 Ludi quoque literarij magistris, licet non sint profes-
 sores, tamen usurpatum est, ut his quoq; extra ordi-
 nem ius dicatur: tametsi librarijs, et notarijs, et cal-
 culatoribus siue tabularijs, sed et cæterarum artium
 opificibus, siue artificibus, quæ sunt extra literas uel
 notas

notas posita, nequaquam extra ordinem ius dicere Præses debeat. Sed & si comites salarium petent, idem iuris est quod in professoribus placet. Sed & aduersus omnes ipsos cognoscere Præses debet. Ad nutricia quoque officium Præsidis uel Prætoris deuenit. Nam & nutrices ob alimoniam infantium apud Præsides, quod sibi debetur, petunt. Sed nutricia eousque producemus, quoad infantes uberibus aluntur. Ceterum post hæc cessât partes Prætoris uel Præsidis. De proxenetico (quanquã est sordidum) solent Præsides cognoscere: sic tamẽ, ut & in his modus esse debeat & quãtitatis & negocij, in quo operula ista defuncti sunt, & ministeriũ quale quale accommodauerũt. Facilius quod Græci ἐπαινευτίνον appellãt, peti apud eos poterit, si quis fortẽ conditionis uel amicitie, uel adfessuræ, uel cuius alterius huiusmodi proxeneta fuerit. Sunt enim huiusmodi hominum in tam magna ciuitate officinæ. Est enim proxenetarum modus, qui emptionibus & uenditionibus, commercijs, contractibus licitis utiles non adeò improbabili modo se exhibent. Porro philosophi professorum numero non sunt: non quia non religiosa res sit, sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere. Ne iuris quidem ciuilibus professoribus Præsides extra ordinem ius dicent. Est enim quidem res sanctissima ciuilibus sapientia, sed quæ precio numario non sit estimanda, nec de honesta, dum in iudicio

E s honor

honor petitur, qui ingressu sacramenti offerri debuit: quædam enim tametsi honestè accipiantur, inhonestè tamen petuntur. Præterea de mutuis quoque petitionibus, quæ ijs quibus extra ordinem ius dicitur, opponuntur, extra ordinem Præsides cognoscere possunt. Sed & de usu aquæ, deque riuus nouis inciuiliter institutis, item de equis alienis à sciente possessis, factuque earum, & de damno dato per immisos in prædium suum uniuersos homines eos, qui in plurimum prædia distribui debuerunt (si modò id non ex auctoritate eius qui iubere potuerit, factum est) Præsidem prouinciæ doceri oportere responsum est, ut is secundum rei æquitatem & iurisdictionis ordinem conuenientem formam rei det. Hactenus, quibus de rebus extra ordinem cognoscatur, dictum est: nunc quæ sint propria extraordinariæ cognitionis, dicendum. Et sanè in extraordinarijs iudicijs conceptio formularum non obseruatur, nec per libellum ea expediiri possunt: sed iudex de uarijs negocij circumstantijs et qualitate inquiret, sicque quod ei bonum & equum uidebitur, decernet. Veluti cum in honorarijs aduocatorum agitur: nam in his definiendis ita uersari debet iudex, ut pro modo litis, proque aduocati facundia, & fori consuetudine estimationem adhibeat. de quo supra quoque suo loco dictum est. In his autem extraordinarijs cognitionibus licet iudici ferre sententiam quam uelit, uel leniorem uel duriorẽ: dummodò in

utroque

utroq; rationem non excedat, nec affectibus indul-
geat. Hæc de extraordinarijs cognitionibus.

DE COMPROMISSIS.

CAP. XXX.

Compromissum ad similitudinem iudiciorum
redigitur, et ad finiendas lites (ut dixi-
mus) pertinet. Non autem omne compromis-
sum obligatorium est. Nam si seruus compromiserit,
nihil agitur, adeò ut etiam aduersus liberum, qui
cum seruo compromisit, executio denegetur. Si
quoque pupillus sine tutoris autoritate compro-
miserit, compromissum non ualet: præterquã si fi-
deiussores dederit: quo casu, si contra pupillũ pro-
nunciatur, à fideiussore pœna compromisi peti po-
test. Sed et si mulier alieno nomine compromittat,
pœna nõ committitur propter intercessionem. Alias
autem, si alieno nomine quis compromiserit, quam-
uis neque mandatum habuerit, neque dominus ra-
tum habuerit, committetur tamen stipulatio pœ-
nalis inter ipsos compromittentes. Si quis Romæ
compromiserit, mox Romam in legationem uenerit:
non est cogendus arbiter sententiam dicere: non ma-
gis quàm cogretur, si litẽ antè contestatus esset, nũc
eam exercere. nec interest, tũc quoq; in legatione fue-
rit, an non. Sed si in legatione compromittat, cog-
getur

getur arbiter sententiam dicere: quia etsi iudicium sponte accepisset, cogeretur peragere. Idq; multò magis dicendum est, si de ea re in legatione compromiserit, quam in legatione contraxit: quia & iudicium eo nomine accipere cogeretur. Planè quamuis ante legationem compromiserit, cogendus tamen est arbiter sententiam dicere, si ipse legatus postulet: quoniã & actionem dictare potest, si uelit. non tamen aliàs desiderans ut arbiter sententiam dicat, audietur, quàm si se defendat. Præterea compromissum obligatorium non est, si in seruum sit compromissum. Vnde si in Titium & seruum compromissum sit, nec Titius cogendus erit sententiam dicere: quia cum alio receperit: quamuis serui arbitrium nullum sit. proinde etsi Titius sententiam dixerit, poena non committetur: quia non ut recepit, dixit sententiam. Si tamen ita sit compromissum, ut uel alterutrius sententia ualeat: Titius cogendus erit, eiusq; solius sententia ualebit. Planè si in seruum compromittatur, & liber sententiam dixerit: dicendum est, si liber factus receperit consentientibus partibus, ualere. Illud sanè non interest, ingenuus quis, an libertinus sit is in quem compromittitur: integræ famæ sit, an ignominiosus. Filius familiæ quoq; in quem compromissum est, sententiam dicere cogitur. Sed neq; in pupillũ, neq; in furiosum, aut surdum, aut mutum compromittetur. Neq; minorem utginti annis compromissariũ iudicẽ eligi posse, placet:

cum

cum iudex esse cogi non possit. Sed etsi maior sit uiginti annis, minor tamen uiginti quinq; & arbitrium receperit: succurrendum est ei, ne cogatur inuitus sententiam dicere. In mulierem quoq; quamuis optimæ opinionis, & arbitrium suscipiat, compromissum factum non ualet. Si quis iudex sit ordinarius, arbitrium recipere eiusdem rei, de qua iudex est, in uel se compromitti iubere prohibetur: & si sententiam dixerit, non est danda pœnæ persecutio. Quamuis autem in plures compromissum sit pares numero, cogendi tamen sunt sententiam dicere: & si non consentiant, cogendi sunt tertiam personam certam eligere, cuius authoritati pareatur. In plures impari numero compromitti posse, dubium non est: non quoniam consentire omnes facile est, sed quia (etsi dissentiant) inuenitur pars maior, cuius arbitrio stabitur. Si in duos fuerit compromissum sic, ut si dissentirent, tertium adsumant: tale compromissum non ualet: nam & in adsumendo possunt dissentire. Sed si ita sit compromissum, ut tertius adsumeretur Sempronius: ualet compromissum: quoniam in adsumendo dissentire non possunt. Si ita sit compromissum, arbitrato Titij aut Sejij fieri: compromissum ualet. Sed is erit cogendus sententiam dicere, in quem litigatores consenserint. Si de re sua quis arbiter factus sit, sententiam dicere non potest: quia se facere iuberet, aut parere prohiberet; neq; autē imperare sibi, neq; prohibere quisquam

quisquam potest. Planè de re patris filius familiàs ar-
 biter esse potest: nam & iudicem eum esse posse, ple-
 risq; placet. Porro si de famoso delicto ad arbitrum i-
 tum est, uel de ea re, de qua publicum iudicium con-
 stitutum est: ueluti de adulterijs, sicarijs & similibus,
 uetare debet Prætor sententiam dicere, nec dare di-
 ctæ sententiæ executionem. Sed & de liberali causa
 compromisso facto, rectè non compelletur arbiter sen-
 tentiam dicere: quia fauor libertatis est, ut maiores iu-
 dices habere debeat. Eadem dicenda sunt, siue de in-
 genuitate, siue de libertinitate questio sit, & si ex fi-
 de commissi causa libertas deberi dicatur. Idem dicen-
 dum est de populari actione. Si sic fuit in arbitrum com-
 promissum, ut certam sententiam dicat: nullum est ar-
 bitrium, nec cogendus arbiter sententiam dicere. Sed
 & si ita sit compromissum, ut quod Titio disceptato-
 ri placet, id Seius pronūciat: tale arbitrium nō ualet:
 quia in eo libera facultas arbitri sententiæ futura nō
 est. Præterea si pœna compromisso adiecta non sit,
 nullius momenti est compromissum: nisi forte post la-
 tam ab arbitro sententiam ij qui compromiserunt, ei
 subscripserint, uel is contra quem sententia lata est,
 intra decem dies contra eam non fuerit protestatus,
 sed silentio eam corroborauerit: uel deniq; iureiuran-
 do interueniente in arbitrum sit compromissum: his
 enim casibus, quamuis pœna adiecta non sit, cōpro-
 missum tamen est obligatorium. Idem dicendū, si arbi-
 ter

per litigatoribus petentibus iusiurandum præstitit.
 Sed quæ de iuramento tum arbitri tum litigatorum
 interueniēte diximus, iure quidem antiquo obtinenti
 iure aut nouo sunt sublata. Itaq; hodie, quauis iusiurandum
 uel à litigatoribus uel ab arbitro præstitum
 sit, nisi pœna cõpromisso sit adiecta, nihil ualet quod
 actum est. Idem dicendum & si alter litigatorum pœnam
 promiserit, alter non. Sed & si sub conditione
 pœna promissa sit: non prius arbiter cogendus est
 sententiam dicere, quàm conditio extiterit: ne sit in-
 efficax sententia, deficiente conditione. quo casu ad
 Prætozem pertinebit, ut si possit dies compromissi
 proferri, proferatur. Non autem refert, siue nume-
 ria pœna, siue alia res uice pœnæ adiecta sit. Proinde
 si res apud arbitrum depositæ sint eo pacto, ut ei da-
 ret qui uicisset, uel ut eam daret, si non pareretur sen-
 tentiæ: cogendus est sententiam dicere quasi pœnæ
 adiectæ. Tantundem est, & si quantitas certa ad hoc
 apud eum deponatur. Sed & si alter rem, alter pecu-
 niam stipulanti promiserit: plenum compromissum
 est, & cogetur sententiam dicere. Sed nec illud inter-
 est, certa an incerta summa pœnæ nomine sit promiss-
 a: ut puta quanti ea res erit. Nec etiam distinguitur
 in compromissis, minor an maior sit pœna, quàm res
 de qua agitur. Planè si nudo pacto conuenerit de
 pœna sine stipulatione, compromissum nullum
 est: cum ex nudo pacto pœna peti non possit.

Inter-

Interdum tamen nudo pacto rectè fiet compromissum: ut puta si ambo debitores fuerunt, & pœne nomine pacti sunt, ne petat quod sibi debetur, qui sententiae arbitri non paruit. Idem est & si res uel pecunia apud arbitrum deposita sit hoc pacto, ut si non pareretur sententiae, uictrici parti daret: de quo iam diximus. Porro compromissum, quamuis utile, soluitur, si alteri pœna compromissi acceptolata sit: nec hoc casu arbiter compelli debet sententiam dicere. Sed & soluitur morte alterutrius compromittentiũ, si hæredis mentio uel cæterorum facta in compromisso non fuerit. Sed & si ab altera duntaxat parte hæredis mentio comprehensa fuerit, compromissum soluetur morte cuiusuis ex litigatoribus: sicut soluere-tur altero mortuo, si neutrius hæredis persona comprehenderetur. Sed & si is qui cum defuncto compromiserat, hæreditatis controuersiam moueat: quãuis hæredis mentio facta sit, interca tamen inhibendus est arbiter sententiam dicere: ne hæreditatis petitioni fiat præiudicium. Præterea soluitur compromissum, si unus ex litigatorib. bonis suis cesserit: cum neq; agere, neq; conueniri possit. Idem dicendum, si alter ex compromittentibus furere cœperit: nam & hoc casu arbiter ad ferendam sententiam non compellitur. Sed & interpellatur, quo minus sententiam dicat: quia nihil coram furioso fieri intelligitur: nisi fortè furiosus curatorcm habeat, quo præsentia

sententiæ

tētia dicatur. Soluitur insuper compromissum, si die compromissi elapso sententia nondum fuerit dicta: adeo ut quamuis arbiter diem proferri iusserit, tamen impune ei non pareatur: nisi fortē ita sumptus sit arbiter, ut & diem proferre possit: quo tamē casu proferre contradicentibus litigatoribus non potest. Finito autem compromissi die, arbiter sententiam dicere cogendus non est, quamuis litigatores prolato die rursus in eum compromiserint: nisi per eum factum sit, quo minus intra diem partibus suis fungeretur. Sed & si in priore compromisso de die proferenda cautum est, et arbiter diē protulit: mansit arbiter, ut cogi possit. Idem dicendum, si compromissum sine die confectum est: nam hoc casu omni tempore cogendus est sententiam dicere: nisi fortē consentientibus partibus ipse diem constituerit. Præterea sententiam dicere arbiter cogendus non est, si unus ex litigatoribus rem in iudicium deduxerit: sed is qui hoc fecit, in poenam compromissi incidit: ut infra dicitur. Sed & nō est cogendus arbiter, si de negotio transactum est; uel res perierit, de qua erat compromissum: nisi in posteriore casu aliquid litigantium intersit. Hactenus exceptiones aduersus cōpromissum enumerauimus. Nunc euentus compromissi uideamus. Horum unus est, quod cōpromisso facto temporis præscriptio intertumpatur: præterea probationibus & confessionibus apud compromissarium iudicem factis

F

& in

Et in ordinarijs iudicijs uti licet . Si per fideiussoreſ
 fuerit cautum in compromiſſo, dicsq; compromiſſi fi-
 nitus prorogetur, quia fideiussores tempore exacto
 liberati sunt, alij fideiussores dandi sunt, non minus i-
 donei. Idemq; dicendum, etsi decesserint. Porro ad euen-
 tus compromiſſi pertinet etiam Edictum Prætoris de
 arbitro cogendo. Ita autem Prætor ait : Qui arbitriũ
 pœna compromiſſa receperit, cum sententiam dicere
 cogam. Tametsi neminẽ Prætor cogit arbitrium re-
 cipere (quoniam hæc res libera et soluta est, et ex-
 tra necessitatem iurisdictionis posita) attamen ubi se-
 mel quis receperit in se arbitrium, ad curam et ad so-
 licitudinem suam hanc rem pertinere Prætor putat:
 non tãtũ quod studeat lites finire, uerũ quoniam
 non debeant decipi, qui cum quasi uirum bonum di-
 sceptatorem inter se elegerunt. finge enim post cau-
 sam iam semel atq; iterum tractatã, post nuda utrius-
 que intima et secreta negocij aperta, arbitrum, uel id
 gratiæ dantem, uel sordibus corruptũ, uel ex alia cau-
 sa nolle sententiã dicere: quisquam ne potest negare
 æquissimum fore, Prætozem interponere se, ut officium
 quod in se recepit, impleat? Recepiſſe autem arbitriũ
 uidetur, qui iudicis partes suscepit, finemq; se sua sen-
 tentia controuersijs impositurum pollicetur. Quod
 si hæctenus interuenit, ut experiretur, an consilio
 suo uel authoritate discuti litem paterentur: non ui-
 detur arbitriũ recepiſſe. Arbitrum autem cuiuscũq;
 digni,

LIBER SECVNDVS. 41

Dignitatis coget Prætor officio perfungi quod suscipit, etiamsi sit consularis: nisi forte sit in aliquo magistratu positus uel potestate, consul forte uel Prætor: quoniam in hos imperium non habet: nam magistratus superiores, aut qui sunt pari imperio, nullo modo possunt cogi: nec interest, ante an in ipso magistratu arbitrium susceperint. Sed inferiores possunt cogi. Sacerdotio obueniente arbiter sententiam dicere cogi non potest: id enim non tantum honori personarum, sed & maiestati Dei indulgetur, cuius sacris uacare sacerdotes oportet. Si tamen, posteaquam sacerdos factus est, suscepit, omnimodò sententiam ferre debet. Præterea non est cogendus arbiter sententiam dicere, nisi compromissum interuenerit, idq; sit utile & non solum: alioquin Prætor se non interponet, siue initio nullum sit compromissum: siue sit, sed pendeat, an ex eo pœna exigi possit: siue postea deficiat pœna, compromisso soluto die, morte, acceptilatione, iudicio, pacto. Omnia ergo quæ superius de compromissi inutilis uel postea soluti speciebus diximus, hic quoq; erunt repetenda. Non cogitur insuper arbiter sententiam dicere, si litigatores eum infamarunt: quod tamen non simpliciter uerum est, sed causa cognita. Itaq; si spreta authoritate arbitri ad iudicem uel alium arbitrum litigatores ierunt, quauis mox ad eundem arbitrum redierunt: Prætor non debet eum cogere inter eos disceptare, qui ei cõtumeliam hãc fecerint.

ut eum spernerent, & ad alium irent. Idem dicendum est, si inimicitiae capitales inter arbitrum & litigatores, aut alterum ex litigatoribus intercesserint: aut si aetas, si ualetudo, quae postea contingit, id ei munus remittat: aut occupatio negotiorum propriorum, uel profectio urgens, aut munus aliquod reipub. causa: aut si qua alia incommoditas ei post arbitrium susceptū incidat. Proinde arbiter iudicij sui nomine, quod publicum uel priuatum habet, excusatus esse debet à compromisso: utiq; si dies compromissi proferrī non potest. Quòd si potest, cogendus est die prolato: quod et in causa ualitudinis, similibusq; causa cognita obtinet: quia sine ulla distinctione ipsius futurum est. Sed & si uterq; litigatorum uelit eum sententiam dicere: non aliter proposita eius excusatio admittitur, quam si consentiat denuò in se compromitti iudicio eius finito. Præterea liberatur arbiter dicendo sententiam. Qualem autem sententiam dixerit, ad Prætorem non pertinet: dummodo dicat quod ipsi uidetur. Si tamen de pluribus rebus arbitrium sit receptum, nisi omnes controuersias finierit, non uidetur dicta sententia, & adhuc erit à Prætore cogendus. Sed de dicta sententiâ, an & quatenus ualeat, uel denuò dicere sit cogendus, inferius dicentur plura. Porro si plures sunt, qui arbitriū receperunt, nemo unus cogendus erit sententiam dicere, sed aut omnes, aut nullus: nisi fortè in duos alternatiuè sit cõpromissum, puta in Titium aut Seium.

hoc

Hoc enim casu is solus erit cogendus, quē litigatores elegerint, ut supra est dictū. Sed et si in duos uel plures sit compromissum, ita ut uel alterutrius uel unius sententiae staretur, ceteris absentibus præsens cogendus est. non tamen idem dicendum est, ut si in plures compromissum sit, ita ut maioris partis sententiae staretur, singuli cogi possint. Sed et si arbiter iuret sibi de causa nondum liquere, spacium illi ad pronunciandū dandum est. Sunt et alij qui sententiam dicere nō coguntur. ut puta si sordes aut turpitude arbitri manifesta sit. Sed et his diebus arbiter non cogitur sententiam dicere, quibus iudex non cogeretur: nisi dies cōpromissi exitura sit, nec proferri possit. Non autem aliter cogendus est arbiter sententiam dicere, quam causa cognita. Quod si sese celare tentauerit, Prætor eum inuestigare debet: et si diu non apparuerit, multa aduersus eum indicenda est.

Hec de cogendo arbitro ad dicendam sententiam. nunc de actione et exceptione, quæ ex compromisso descendit, dicetur. Competit aut buiusmodi actio uel exceptio, si compromisso fides ab aduersario nō prestatetur. Proinde si tēpore uel loco statuto nō adfuerit, tenetur: nisi intra diē cōpromissi aditus arbiter, post diem compromissi adesse iusserit: nam si arbiter diem compromissi proferri iussit, cum hoc ei permissum non esset, impune ei non paretur: secus, si dies ab arbitro proferri potuit: hoc enim casu mora non compa-

rēti nocet. Idem dicendū, si intra diem cōpromissi nō
 cōparuerit, quāuis in cōpromisso placuit proferrī
 diē, nec tamē arbiter eam protulerit. Idem dicendum
 de loco. Nam is locus cōpromisso inest, de quo actum
 est, cū cōpromitteretur. Impunē igitur arbitro nō pa
 rebitur, si alio loco adesse iusserit. Si autē nō appareat
 de quo loco actū sit: melius dicetur, eum locū contine
 ri, ubi cōpromissum est. Itaq; si Romae in arbitrum cō
 promissum sit, isq; in provincia litigatores adesse iusse
 rit: impunē ei non parebitur. Quid tamen si eō loci,
 qui sit circa urbem, adesse iusserit? dicendū est, iussum
 ualere: dummodò eius sit authoritatis arbiter, ut in
 secessibus soleat agere, & litigatores faciliē eō loci ue
 nire possint. Sed & si in locū aliquē inhonestū adesse
 iusserit: puta in popinā uel lupanariū: sine dubio im
 punē ei nō parebitur, adeo quidē, ut si is sit locus, in
 quē alter ex litigatoribus honestē uenire non possit,
 alter possit: & is nō uenerit, qui sine sua turpitudine
 eō uenire possit, isq; uenerit, qui inhonestē uenerat:
 non cōmittatur poena cōpromissi quasi nō præbita
 opera. Absurdū enim est, iussum in alterius persona
 ratū esse, in alterius nō. Præterea si arbiter certo die
 adesse iusserit, puta calendis Ianuarijs, & ante eum
 diē decessit, alterq; litigatorū non adfuit: proculdu
 biō poena minimē cōmissa est: quod etiā dicendū est,
 si ex alia causa arbiter ipse nō uenerit. Sed & nō cō
 mittitur poena, si ualetudine uel alia iusta causa litiga

tor nō cōparuerit: dūmodò die cōpromissi finito paratus sit in eundē cōpromittere. alioquin quāuis ob aduersam ualctudinē, uel quia reipub. causa abfuerit, aut magistratu aliāue iusta causa impeditus non stiterit, non tamen excusatur, si non sit paratus in eundē cōpromittere: nisi fortè & arbiter in se arbitriū reci pere recusauerit. Præterea qui statuto tēpore uel loco non cōparuerit, excusatur, si per procuratorē defendatur: dūmodò ab arbitro ipse non iubeatur adesse. nā arbiter ipsos litigatores, quāuis per procuratores defendantur, adesse iubere potest, cuiusq; sententiæ erit parendū. Datur insuper ex cōpromisso actio, si alter ex litigatorib, dolo in ea re sit uersatus: nā si quid dē cōpromisso adijciatur, Si quid dolo in ea re factū sit: ex stipulatu cōueniri qui dolo fecit, potest. Et ideo siue arbitriū corripit, uel pecunia uel ambitione, uel aduocatū diuerse partis, uel aliquē ex his quibus causam suam commiserat, siue aduersarium callidè circumuenit, & omnino si in hac lite dolo uersatus est: locū habebit ex stipulatu actio. Quòd si huiusmodi clausula in compromisso adscripta non est: tunc de dolo actio uel exceptio locum habebit. Hoc autem compromissum plenum est, quod etiam doli habet mentionem. Si quis item præsens arbitrum sententiam dicere prohibuit, ex compromisso tenetur. Sed & tenetur qui rem, de qua compromissum est, in iudicium deduxit. Si tamen, cum de pluribus

rebus uel controuersijs ageretur, de quibusdam, non omnibus compromissum sit, licet plenū cōpromissum factum sit: ex ceteris tamē causis actiones supersunt. Id enim uenit in compromissum, de quo actum est ut ueniret. Sed est tutius, si quis de certa re compromissum facturus sit, de ea re sola exprimere. Sed et si de rebus controuersijsq; omnibus compromissum factū est, uerum errore quedam species in petitione non sunt deductæ, nec arbiter de his quicquam pronunciauit: species omisæ peti nihilominus possunt, nec pœna ex compromisso cōmittitur. Quod si malignæ sint omisæ, peti nihilominus possunt, sed pœna cōmittitur. Idem dicendū est, si minor quantitas petita sit, quàm de qua compromissum erat, uel caueri debebatur. Etsi aut arbiter sua sententia nō uetuit rē in iudicium deduci: tamen ea in iudiciū deducta, pœna committitur. Nam si arbiter ita pronunciaffet, Nihil uideri Titum debere Seio: tametsi Seium nō uetuisset petere, tamen si quid petiisset, uideretur contra sententiā arbitri fecisse. Si tamen ab alio uel aduersus aliū eadē res in iudicium deducta sit, ex compromisso agenti exceptio obstabit: nisi fortè actoris intersit ab alio non peti. Proinde si duo rei sint aut credendi aut debendi, et unus compromiserit, isq; uetitus sit petere, aut ne ab eo petatur: si alius petat, uel ab alio petatur, siquidem socij sunt: pœna committitur. secus, si socij nō sunt: nam tūc nec à te petitur, nec ego peto, nec

meo

meo nomine petitur, licet à te petatur. Sed & si à fideiussore eius qui compromisit, petatur: poena cõmittitur: siquidem qui à fideiussore petit, à reo petere uidetur. Si tamen cum fideiussore compromissum sit, & à reo petatur: nisi intersit fideiussoris, poena non committitur. Sed & si hæres eius qui compromisit, petat, uel ab eo petatur: poenam committi, uel exceptioni locum esse constat. non enim differendarum, sed tollendarum litium causa ad arbitros itur. Præterea ex compromisso actio nascitur, si cum quis alieno nomine compromisisset sine mandato, dominus id ratum nõ habuerit. Postremò committitur poena compromissi & actio datur, si sententiæ arbitri non stetur. Stare autem sententiæ arbitri nihil aliud est, quàm id agere (quantum in ipso sit) ut arbitri sententiæ pareatur. Planè nõ ex omnibus causis, ex quibus arbitri sententiæ paritum non est, poena ex compromisso cõmittitur: sed ex his duntaxat, quæ ad solutionem pecuniæ, aut operam præbendam pertinet. Siquidem & contumaciam litigatoris arbiter punire poterit, pecuniam eum aduersario dare iubendo. Quo in numero haberi non oportet, si testium nomina ex sententiæ arbitri exhibita non sint. Stari autem sententiæ arbitri debet, siue æqua siue iniqua sit: nam uel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debet, qui arbitrium alicuius elegit. Planè arbitrorum genera duo sunt: unum quidem eiusmodi,

ut siue æquū sit, siue iniquū, parère debeamus: quod
 obseruatur, cum ex compromisso ad decidendas lites
 itum est. alterum eiusmodi, ut ad boni uiri arbitra-
 tum redigi debeat, etsi nominatim persona sit com-
 prehensa, cuius arbitratu fiat: ueluti cum lege loca-
 tionis cōprehensum est, ut opus arbitrio locatoris fi-
 at. Idem dicendū, si ita societas contracta sit, ut Ner-
 ua amicus utriusq; cōmunis partes societatis consti-
 tueret: eiusq; arbitrium ita prauum sit, ut manifesta
 iniquitas eius appareat: puta ut unus ex triente, alter
 ex besse socius esset: uel unus ex millesima parte, alter
 ex duab. millesimis socius esset. hoc enim arbitrium
 per iudicium bonæ fidei corrigi potest, & ad arbi-
 trium boni uiri redigi. Illud tamen potest conueniēs
 esse uiri boni arbitrio, ut non utiq; ex æquis partibus
 socij sint: ueluti si alter plus operæ, industriæ, gra-
 tiæ, pecuniæ in societatem collaturus est. Sanè non
 debent compromisso obtemperare litigatores, si ar-
 biter aliquid inhonestum iusserit. Sed & incerta
 sententia arbitri inutilis est, cui non pareri impu-
 nè possit: puta, quantum ei debes, redde: diuisioni
 uestre stari placet: pro ea parte, quam creditoribus
 tuis soluisti, recipe. Similiter si plures arbi-
 tri fuerint, & diuersas sententias dixerint, licebit
 sententiæ eorum non stari. si tamen maior pars con-
 sentiat, ei stabitur: alioquin poena committitur. dum-
 modò omnes arbitri fuerint præsentēs. Sed et si di-
 uersis

*uersis summis arbitri condemnauerint, tamē quoniā
 minor summa inest maiori, & ob id in minorē sum-
 mam consensisse uidentur omnes: ea præstabitur,
 aut poena committetur, diuersitate sententiarum
 non obstante. Præterea sententiæ arbitri impu-
 nē non parebitur, si contra modum in compro-
 misso comprehensum aliquid statuerit: nec enim a-
 liud illi licebit, quàm quod ibi, ut efficere possit,
 cautum est. Proinde si iubeat sibi alium coniungi,
 cum id in compromisso non sit, non dicit senten-
 tiam. Nam sententia debet esse de re compromis-
 sa, de hoc autem compromissum non est. Idem
 dicendum, si cum in compromisso de die proferen-
 da nihil cautum esset, arbiter diem proferri iusse-
 rit: nam & hoc casu impunē illi non parebitur. Vn-
 de & de his tantum rebus & controuersijs & ra-
 tionibus iudicare arbiter potest, quæ ab initio fue-
 runt inter eos qui compromiserunt, non quæ po-
 stea superuenerunt. Idem etiam iuris est, si arbi-
 ter poenam ex compromisso peti uetuerit: quia non
 de poena compromissum est. Planē si compromif-
 sum sine die confectum est, necesse est arbitrum om-
 nimodò diem statuere, partibus scilicet consentienti-
 bus: & ita causam disceptari. Si tamen hoc prætermi-
 serit, omni tempore cogendum cum esse diximus sen-
 tentiam dicere. Sed & arbitri officio continetur,
 quemadmodū detur uacua possessio. Solutioni quoq;
 diem*

diem arbiter statuere potest. Sed & si minor quantitas quàm reuera debetur, per errorem in petitionem deducta sit: potest arbiter in id quod reuera debetur, condemnationē facere. item si domini per procuratores suos apud arbitrum agere uelint: potest iubere ipsos etiam adesse. Sed & si hæredis in compromisso mentio fit: potest iubere etiam hæredem eorum adesse. Hisce exceptis, arbiter conditionem compromissi neq; minuere, neq; mutare potest. Quòd si contra fecerit, impunè ei non paretur. Idem dicendum, si iubeat ad iudicem iri, uel in alium arbitrum committi. Item, si iubeat arbitrio Publij Mæuij fundum tradi, aut satisfdari: ne hoc modo propagentur arbitria, aut in alios interdum inimicos agentium transferantur. Nam sententia sua finem controuersie arbitrum imponere oportet. Non autem finitur controuersia, cum aut differtur arbitriū, aut in alium transfertur: parsq; sententiae est, quemadmodum satisfdatur, quibus fideiussoribus: quod delegari non potest, nisi de hoc compromissum sit, ut arbiter statuatur, cuius arbitrato satisfdaretur. Præterea si compromisso facto sententia dicta est, qua quis à minore uiginti quinque annis tutelæ absolueretur: ratum id à Præatore non habendum est, neq; poenæ eo nomine commissæ petitio danda. Præsentibus autem partibus arbiter sententiam dicere debet: quo omisso, sententia uitatur. Sed si quis litigatorum defuerit, quia per eum factum

Etum

Etiam est, quo minus arbitretur, poena quidem com-
 mittetur: attamen sententia non ualebit: nisi in com-
 promisso hoc specialiter expressum sit, ut uel uno uel
 utroq; absente sententia promatur. Planè diem pro-
 ferre uel præsens, uel per nuncium, uel per epistolam
 potest. Idem dicendum, si litigatores adesse iubeat.
 Præsentibus autem partibus uel coràm dicere senten-
 tiam uidetur, qui eam sapientibus dicit. Ceterum co-
 ram furioso uel demente nõ uidetur dici: item coram
 pupillo non uidetur sententia dicta, nisi tutor præ-
 sens fuerit: & ita de alijs quoq; similibus responsum
 est. Præterea uitiatur sententia, si alius quàm is in
 quem compromissum est, eam dixerit. Idem dicen-
 dum, si cùm in plures compromissum est, aliqui ex
 ijs, nõ omnes sententiam dixerint: puta, si cùm in tres
 compromissum esset, duo sententiam dixerint absen-
 te tertio. Planè si tertius præsens fuerit, quamuis dis-
 senserit, nihilominus duorum sententia ualet. de qua
 re paulò superius dictum est. Sed & si ita in duos uel
 plures compromissum sit, ut uel unius sententiæ stare
 tur: sufficit uel unum ex ijs sententiam dixisse. Quam-
 uis autem in duos compromissum sit, quorum alter
 arbiter esse non potest, puta seruus: tamen alter so-
 lus sententiam dicere non potest: nisi hoc in compro-
 misso specialiter sit expressum. Præterea cū quidam
 arbiter ex quibusdam causis inimicus alterius litiga-
 toris manifestè apparuisset, testationibus etiam con-
 uentus

uentus ne sententiam diceret, nihilominus nullo cogente dicere perseverasset: libello cuiusdam id querentis Imp. Antoninus subscripsit, posse cum uti doli mali exceptione. Et idem, cum à iudice consulere-
tur, apud quem poena petebatur, rescripsit: etiam si appellari nõ posset, doli mali exceptione in poena petitione obstaturam. Per hanc igitur exceptione quaedam appellandi species est, cum liceat retractare de sententia arbitri. Idem dicendũ, si sordes uel euidens gratia arbitri in ferenda sententia arguatur. Sed et si ultra diem cõpromisso cõprehensum iudicatũ est, sententia nulla est, nec ullam poenam committit qui ei non paruerit. Item, si cum in cõpromisso cautum esset, ut eadem die de omnibus controuersijs sententia diceret, et ut posset diem proferre: arbiter, de quibusdam rebus dicta sententia, de quibusdã non dicta, diem protulit: ualet quidem prolatio diei, sed sententiae eius antea dictae impunè non parebitur: quia officio in ea dicenda functus non est. Sed et si feriatis diebus sententia dicta sit, inutilis est: nisi forte dies compromissi exitura erat, nec proferri poterat: uel cogente Praetore feriatis diebus sententiam dixit: his enim casibus, si ab eo qui sententiae non paruerit, poena ex compromisso petatur, exceptione proposita non defenditur. Idem dicendum, si aliqua lege uel in compromisso dies feriata, in qua sententia dicta est, sit excepta. Porro sententiam semel dictam,

dictam,

dictam, etsi errauerit, arbiter amplius corrigere uel mutare non potest. Ideoq; quamuis ab eo sit mutata, tamen ei stari debet: si modò sit sententia definitiua, quæ uel condemnationem uel absolutionem contineat. Secus, si ad præparationem causæ pertineat, non arbitrium finiat: ut puta, si iusserit litigatores Calendis adesse, mox Idibus iubeat: nam hoc casu mutare sententiam arbiter non prohibetur, & ei stabitur quod postea dixit. quod dicendum est de sententia definitiua, si cum in compromisso conuenisset, ut de omnibus controuersijs uno die sententia diceretur, ille de quibusdam dixerit sententiã, de quibusdam non: hoc enim casu de ijs, de quibus dixit sententiam, postea rursus cum alijs sententiam dicere potest, priore sententia mutata. Porrò à sententia arbitri ex compromisso sumpti appellari non potest: quia nec iudicati actio inde præstari potest. Ideoq; inuicem pœna promittitur, ut metu eius à placitis non recedatur. Planè si non spontè, sed lege cogente arbiter sumptus sit: ab eo prouocare non est prohibitum. Non solum propter causas hætenus enumeratas sententiæ arbitri impunè pareri non potest, uerùm etiã si cõpromissum inutile sit, uel non obligatorium: uel quamuis ab initio utile fuerit, ex post facto fuerit solutum. cuius utriusque species superius enumerauimus. Semel autem pœna compromissi commissã, amplius committi non potest, nisi id actum

464 INSTITUTIONVM

actum sit, ut in singulas toties committeretur. Sed & ita demum committitur poena, si sine dolo malo stipulantis quid contra compromissum factum sit. Sub hac enim conditione committitur stipulatio, ne quis doli premium ferat. Sed & si alio modo per aduersarium steterit, quo minus sententiae arbitri staretur, uel alia iusta causa quis impeditus non paruerit, poena non committitur: puta, si arbiter iusserit me tibi dare, et uale tudine sis impeditus, quò minus accipias, aut alia iusta ex causa. Planè hoc casu aduersario postea accipere parato, si ei non detur, committitur poena compromissi, quamuis antea per eum stetisset, quo minus sententiae arbitri paritum esset. Intra quantum autem temporis, nisi detur quod arbiter iussit, committatur stipulatio, uidendum est. Et si quidem adiectus dies nō sit, inest quoddam modicum tempus: quod ubi praeterierit, poena statim peti potest: ut tamen, si dederit ante acceptum iudicium, agi ex compromisso non possit, utiq; nisi eius interfuerit tunc solui. Sin autem intra certum tempus arbiter dari iusserit, nec datum erit: licet postea offeratur, attamen semel commissa poena compromissi non euanescit. Quoniam semper uerum est, intra tempus praefixum datum non esse. Si autem oblatum acceperit, poenam petere non potest: sed doli exceptione remouendus est. Contra, ubi duntaxat dari iussit. Planè si arbiter aliquem dare iusserit, isq; decesserit antequam daret: herede eius offerentis

offerente, poena non committitur. Cum autem poena ex compromisso petitur, is qui non paruit damnandus est, quamuis aduersarij nihil interfuerit arbitri sententiae stari. Haecenus, an & ex quibus causis ex compromisso actio detur, expositum est: nunc reliqua huius actionis iura proponenda. Datur igitur actio haec ei qui compromisit, poenamq; stipulatus est, quamuis arbiter eam fisco solui iusserit. nam hac arbitri sententia fisco nihil acquiritur. Licet autem unus haeredum promissoris sententiae arbitri pro sua parte paruerit, si caeteri cohaeredes non paruerint: nihilominus aduersus hunc quoq; qui paruit, actio poenae nomine datur: de qua re alibi dicitur copiosius. Postremo, ex compromisso tantum ad poenam praestandam datur ex stipulatu actio uel exceptio, iudicati actio uel exceptio non datur: sed licet ei qui sententia arbitri grauatus est, praestita poena negocium denuo in iudicium deducere. Ideoq; nisi poena compromisso inserta sit, illud inutile esse supra diximus: ubi tamen quosdam casus enumerauimus, in quibus etiam poena non adiecta compromissum ualere diximus. quibus casibus arbitri sententia tam per in factum actionem, quam exceptionis ope defenditur. Sed & si contra fidem compromissi dolo quid factum sit: si quidem doli clausula compromisso inserta est, ex stipulatu: sin minus, de dolo malo tam actio quam exceptio eo nomine competit. Haec de compromissis. nunc de transactionibus dicendum est.

G DE

Non minorem auctoritatem transactionum, quam rerum iudicatarum esse, certa ratione placuit: siquidem nihil ita fidei congruit humane, quam ea quæ placuerint custodiri: nullusq; erit litium finis, si à transactionibus bona fide interpositis cœperit facile discedi. Inter transactionem autem & pactum de non petendo hæc est differentia, quòd is qui transigit, de re dubia & lite incerta, neq; finita transigit: qui uerò paciscitur, donationis causa rem certam & indubitata liberalitate remittit. Non tamen credendum est, nullam esse transactionem, quæ non exceptione aliqua possit elidi. Nam transactione inter aliquos imita, aliorum ius non leditur. Quare transactione quæ inter heredem & matrem defuncti facta est, neq; testamentum rescissum uideri potest, neque manumissis uel legatarijs actiones suæ ademptæ sunt. Quare quidquid ex testamento petunt, scriptum heredem cõuenire debent, qui in transactione hereditatis aut cauit sibi pro oneribus hereditarijs: aut si non cauit, non debet negligentiam suam ad alienam iniuriam referre. Similiter transactio cum quibusdam ex tutoribus facta, alijs tutoribus conuentis exceptionem nõ præbet: neq; matris transactio filijs nocere potest, ne patris quidem: nisi eos habuerit in sua potestate.

Pro-

Procuratoris quoq; transactio domino nõ obest: nisi specialiter ei, ut transigeret, à domino fuerit mandatum, uel dominus ratam habuerit transactionem. Idẽ dicendum, si alius quilibet, qui transigendi ius nõ habuit, transegerit, isq; cuius interest id ratum habuerit: hoc enim ipso nocebit ei transactio. Planè tutor in causa pupilli, & curator in causa eius cuius curã gerit, transigere potest, & ei cuius tutelam uel curã gerit, transigẽdo præiudicare. Quod & de administratore ciuitatis dicendum est idummodò de lite dubia & incerta transegerit, non certum debitum ambitiose remisit: nam hoc posteriore casu non ualet id quod actum est. Sed & si is cui transactio alterius obijcitur, successerit ei qui transigit, nocebit ei transactio. Itaq; si uenditor hereditatis emptori mandatis actionibus cum debitore hereditario, qui ignorabat uenditã esse hereditatem, transigit, emptorq; hereditatis hoc debitum ab eo exigere uelit: exceptio transacti negocij debitori propter ignorantiam suã accommodãda est. Idem respondendũ est & in eo qui fideicommissariã recepit hereditatẽ, si hæres cũ ignorãte debitore transegerit. Hæc quidẽ, si alius q̃ cui transactio obijcitur, transegerit, dicta sunt. Porrò ex eo nõ infirmatur transactio, si q̃ æger corpore transigisse dicatur. Nã sanũ mente, licet ægrũ corpore, rectè transigere manifestũ est. Planè si medicus cũ ægroto transigisse dicatur, transactio nulliõ est momẽti. Interpositas

autem metus causa transactiones ratas non haberi, e-
 dicto perpetuo continetur. Nā ita Prætor ait: Quod
 metus causa gestum erit, ratum non habebo. Nec ta-
 men quilibet metus ad rescindendum ea quæ consen-
 su terminata sunt, sufficit: sed talem metum probari
 oportet, qui salutis periculum, uel corporis crucia-
 tum contineat. Sed & is qui interuenientibus amicis
 suis transigit, frustra metus exceptionē obijcit. Præte-
 rea ut transactio ualeat, bona fide factam eam esse re-
 quiritur: nam transactio dolo malo facta uires nullas
 habet. Proinde qui per fallaciam coheredis ignorās
 uniuersa quæ in uero erant, transigit, non tam paci-
 scitur, quam decipitur. Si tamē transactioni dolo ma-
 lo factæ Aquiliana stipulatio subiecta sit, rata manet
 transactio: de qua re inferius dicetur. Sed & si dolo
 malo eius qui transactionem obijcit, non eius cui obij-
 citur, facta sit transactio: propterea rescindi ea non
 debet: cū allegans propriam turpitudinem non sit
 audiendus. Idem dicendum, si quis ab aduersario per-
 suasus se ei heredem futurum, passus sit negotium
 transigi. hic enim, si postea alius ab heredem scriptus
 sit, non poterit ratione doli transactionē impugnare.
 Sed et si ab initio prudēter et sobriē quis transegerit,
 non poterit ex eo dolum arguere, quòd euentus con-
 silio non responderit: puta, cū duo fratres sibi inui-
 cem essent in hereditaria portione substituti, ut post
 mortem alterius eius portio alteri obueniret, alter al-
 teri

teri hoc onus substitutionis remiserit: si is qui prior decefferit, portionem suam tertio cuidam reliquerit, non poterit superstes frater quasi dolo circumuentus transactionem impugnare: cum ab initio prudenter negocium gesserit, licet euentus non responderit. Porro non ut doli, ita erroris quoq; exceptio transactionem infirmat: cum plerunq; ob id transactiones fiant, quia ignoratur utrum debeat, necne. inde si quidem lis oritur, eiusq; occasione transactio. Idcoq; audiendus non est is qui dicit, se ius suum ignorantem transegisse: nisi forte dolo aduersarij in talem errorem & ignorantiam sit inductus: puta, si instrumenta dolo aduersarij fuerint suppressa. Sed & si non inspectis nec cognitis uerbis testamenti uel codicilloru de controuersia, quæ ex testamento uel codicillis proficiscitur, transactum sit: id quod actum est, uires non habet. Idem dicendum, si ex falsis instrumentis facta sit transactio: nam & hæc transactio infirmatur, quamuis iusiurandum interpositum fuerit, uel ciuilitersaltem falsum fuerit reuelatum: nisi forte de eo quoque, quod instrumenta falsa dicuntur, controuersia orta per transactionem sit finita. Sed & alia capitula, de quibus transactum est, nec ex falsis instrumentis pendunt, non reuocantur in litem. Sed & si quis transegerit ideo, quia ignorauerit in causa iudicatum, ratione erroris rescinditur transactio: de quo paulò inferius dicetur. Præterea ex eo facto, quod transigendi

animo non interuenit, transactionis exceptio opponi non potest. Quamuis aut quis non dolo aduersarij, sed re ipsa transigendo ultra duplum sit deceptus, transactio nihilominus rata manet. Nullo uero dato uel retento seu promisso, minime procedit transactio: quia sine causa facta uidetur. Plane retentum uidetur debitum ex causa transactionis remissum. Ideoque hoc casu ualet transactio. Sed et si, cum transigens ex transactione accipere potuisset, per eum steterit, quo minus acceperit: non poterit ex eo quasi nullo dato, retento uel promisso transactionem infirmare. Transactum aut accipiendum est non solum, si Aquiliana stipulatio fuerit secuta, sed et si pactum conuentum fuerit factum. Sed et sine scriptura transactio facta ualet. Transigere tamen de causis publici iudicij non licet, praeterquam de ijs causis quae poenam sanguinis ingerunt: de qua re cum alijs huc pertinentibus. supra lib. prox. diximus. Pro seruili uel adscripticia conditione facta transactio ualet. De uiuentis aut hereditate facta transactio nullas uires habet: nisi forte is, de cuius hereditate agitur, transactioni consenserit, in eoque consensu usque ad extremum uitae spiritum perseuerauerit. Nihil uero interest, utrum de causa, de qua transactum est, lis mota fuerit, uel non fuerit: ualet enim transactio uel nulla lite mota: dummodo metus litis fuerit, nam hoc etiam cessante, magis pactio dicitur de re certa et indubitata, quam transactio, ut supra quoque dictum est.

Idemque

Ideoq; post rem iudicatam transactio facta non ua-
 let: quia siue sciuit is, pro quo iudicatum est, et trāse-
 git, magis debitum certum remisisse q̄ transsegisse ui-
 detur: siue ignorauit, ratione ignorātie transactio re-
 scinditur. Planè si sententia dicta nōdum transferit in
 rem iudicatā, puta si prouocatū sit, uel prouocari ad
 huc possit; uel si hoc ipsum incertū est utriq; parti, an
 sit iudicatū, uel an sententia ualeat: magis est, ut trāse-
 actio uires habeat: tunc enim eam nō ualere dicendū
 est, cū de sententia indubitata, quæ nullo remedio at-
 tētari potest, facta est. Sed et si fideiussore cōuento et
 cōdemnato, reus trāsegerit cum eo, cui fideiussor cō-
 demnatus fuit: ualet transactio, quasi omni causa &
 aduersus reum & aduersus fideiussorem dissoluta.
 Idem dicendum, si transactionem Aquiliana stipu-
 latio & acceptilatio est subsecuta: nam nec hoc ca-
 su transactio rescindi potest, quamuis post rem iudica-
 tā facta. Porro ad rescindendū pactū uel transactio-
 nem non sufficit, quòd nocte intercessisse dicatur. Il-
 lud aut̄ notandum, quòd transactione facta, quamuis
 Aquiliana stipulatio & acceptilatio interuenerit: li-
 tes tamen de quibus non est cogitatum, in suo statu
 retinentur. Trāsectio enim de alia causa facta, in alia
 non præiudicat: sed in his tantūm ualet, de quibus
 inter transigentes conuenit. Proinde qui cum tuto-
 ribus suis de sola portione administratæ tutelæ sus-
 egerat et trāsegerat: aduersus eosdē tutores ex p̄sona

fratris sui, cui heres extiterat, agens præscriptione factæ transactionis non submouetur. Plane si generaliter transactio facta sit, nõ est audiendus is qui postea aliquas species excipit: puta qui, cum generaliter de his quæ testamento relicta sunt, transegisset, postea causatur de eo solo se cogitasse, quod prima parte testamenti, ac non etiam quod posteriore legatum sit. Si tamen postea codicilli proferuntur: non improbè dicturus uidetur, de eo duntaxat se cogitasse, quod illarum tabularum, quas tunc nouerit, scriptura contineretur. Sed & error circa proprietatem rei apud alium extra personas transigentium tempore transactionis constituta, nihil potest nocere: quamuis alioquin sub prætextu specierum post repertarum generali transactione finita rescindi prohibeantur. Si tamen de certa re pacto transactionis interposito hæc uerba inserta sunt, Nihil amplius peti: etsi non additum sit, Eo nomine: de cæteris quæstionibus integra permanet actio. Quamuis autem transigentem statim poeniteat: transactio tamen rescindi, & lis instaurari non potest. Sin autem euidens calumnia aduersarij detegitur: transactio rescindi, & quod datũ est repeti potest. Alioquin propter ueritatem postea emergentem transactione finita retractanda nõ sunt: nisi in certis quibusdam casibus, de quibus paulò superius dictum est. Porro qui transactione utitur uel agendo uel excipiendo, cui ipse fidem non præstat:

per

per exceptionem submouetur. Proinde si minor aduersus transactionem restitutus sit, frustra ipse postea conuentus transactionis exceptione utitur. Item si instituta de inofficioso testamento accusatione, de lite pacto transactum est, nec fides ab hærede transactioni præstatur: inofficiosi causam integram esse placuit. Quod tamen in persona hæredis eius, qui de inofficioso egit, aliter se habet. Nam hæredi eius qui post litem de inofficioso præparatam uoluntate mutata decessit, non datur de inofficioso querela. Planè qui fidem transactionis non seruat, quocunque tempore ante sententiam poenitens offerendo id, quod ex causa transactionis debet, transactionis exceptionem utiliter obijcit. Sed & si id quod ab eo, qui transactionem obijcit, exigitur, in transactione nominatim non sit expressum: frustra illi fidei ruptæ exceptio opponitur. Idem dicendum, si datum ex causa transactionis repetatur ob hanc rationem, quòd aduersarius fidem transactioni non præstet: nam ex hac causa ad repetendum id non datur actio, cum exceptio transactionis sufficiat ei, si ab aduersario pristina actione conueniatur: nisi fortè uel stipulatio de reddendo eo interposita est, si transactioni nõ stetur: uel reus transactionis exceptione amplius se tueri nequeat: puta si post transactionem nihilominus fuerit condemnatus. nam hisce casibus repetere potest quod ex causa transactionis dedit, aduersario fidem placitis

non præstante. Sed hoc posteriore casu nec ipse condemnatus transactionis exceptione, quamuis malit, amplius uti potest. Sanè transactio uim suam perdit, si utraq; pars ab ea recesserit: tunc enim transactionem obijcicenti exceptio posterioris pacti obstabit. Idem dicendum, si is qui transactionem obijcit, poenã ob non seruatam transactionem ab aduersario acceperit, uel data receperit, nam huic transactionis exceptio non est danda: nisi fortè in transactione conuenierit, ut fide non præstita liceat rato manente transactionis pacto poenam petere, uel data repetere. Idè dicendū, si præstito iureiurando aduersarius transactionem approbauerit: nam & hoc casu licebit tam poenam ab eo petere, quàm data repetere, salua transactionis exceptione manente. Sed & irrita fit transactio, si causa eius uel cõditio nõ fuerit secuta: de qua re aliàs erit dicèdi locus. Planè quãuis restrãctionis nomine data euicta sit, uel alij obligata: ob hoc tamè nõ rescinditur transactio, sed de euictione actio datur uel ex stipulatu, uel præscriptis uerbis, si stipulatio nõ interuenit. Sed etsi nomẽ transactionis gratia datũ desierit esse soluendo, transactio tamè ob hoc nõ infirmatur, periculũq; nominis eius est qui suscepit nomẽ, nõ eius qui dedit. Postremò causas uel lites transactionibus legitimis finitas imperiali rescripto resuscitari nõ oportet. Hactenus exceptiones aduersus transactionẽ enumerauimus, tã eas quæ reprobãtur, q̃ quæ approbãtur à iure. Quanquã etiã aliæ plures exceptio-

nes

nes colligi possunt: nã quæ exceptiones pactis cõuentis obstat, easdẽ trãfactionib. quoq; ob stare, certũ est. Istarũ autẽ exceptionũ, quæ quidẽ approbãtur à iure, replicatio generalis hæc est: Nisi Aquiliana stipulatio et acceptilatio trãfactiõi interuenerit, uel eã subsequuta sit: hoc enim casu, quãuis dolo malo dicatur trãfactio esse facta, uel post rẽ iudicatã, uel quo alio similitio laborare: tamẽ pristina actio, quæ ipso iure sublata est, resuscitari amplius nõ potest. Nã in perpetuũ sublata obligatio uel actio restitui nõ potest. Aquiliana uerò stipulatione & acceptilatione ipso iure et in perpetuũ obligatio & actio tollitur. Sanẽ quãuis pristina actio ob interuentũ Aquilianæ stipulationis & acceptilatiõis resuscitari amplius nõ possit: si tamẽ ob dolum malũ uel aliã similit causam uideatur trãfactio nõ subsistere, de dolo malo uel in factũ actio superest. Sed & aduersus transactionẽ in integrũ restitutio peti põt, ut ea rescissa, pristina actio restituatur. itẽ utriusq; cõsensu recedi potest à trãfactione, quãuis Aquiliana stipulatio & acceptilatio interuenerit. Sed & in alia re, q̃ de qua in trãfactione cogitatuẽ est, Aquiliana stipulatio & acceptilatio interueniens præiudiciũ adferre nõ potest. quod & de alijs quibusdam aduersus transactionẽ exceptionib. suprã enumeratis dici põt. Porrò illud sciendũ, regulariter qdẽ ex trãfactione nõ dari actionẽ ad psequenda ea quæ eius nõ minime dari placuerit, sed tãtũ exceptionẽ cõpetere: quia

quia plerunq; nudo pacto transactiones fiunt, ex qua non solet dari actio. Si tamen stipulatio interuenerit, ex stipulatu actio non denegatur, siue certa, siue incerta fuerit stipulatio: siue item pœnalis, siue alia. Sed etsi res transactionis nomine data euieta sit, uel alij fuerit obligata: quamuis nulla stipulatio transactioni interuenerit, tamen præscriptis uerbis actio eo nomine datur. Præterea si reus fidem transactioni nō præstet, pristina actione instituta, si transactionis exceptionem obijciat, replicatione opposita ad obsequiū placitorum compelli potest. Si tamen pristina actio institui amplius non potest, præscriptis uerbis actio ei qui defraudatur, nō est deneganda. Sin uerò actor placitis fidem nō præstet, neq; reus transactionis exceptione uti possit, puta post transactionem nihilominus condemnatus: repetitio eorum quæ nomine transactionis dedit, illi non est deneganda, tanquam causa dati causa non secuta, ut suprâ quoque dictum est. Planè si res cuius nomine transactio facta est, ipsi reo sit euieta, nullam eo nomine aduersus actorem actionē habebit. Postremò de transactione et illud notandum, quòd ex ea tam ante quàm post litem contestatam exceptio possit opponi.

Hæc de transactionibus in genere dicta sunt. De transactione autem alimentorum specialia quedam in iure habentur hic nō omittenda. Cum enim ij quibus alimenta relicta erant, facile transigerent, contenti

tenti modico præsente: diuus Marcus oratione in Senatu recitata effecit, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quàm si authore Prætore facta sit. Solet igitur Prætor interuenire, & inter consentientes arbitrari, an transactio, uel quæ admitti debeat? Planè de alimentis præteritis, si quæstio defertur, etiam sine authoritate Prætoris transigi potest. Præterita autem alimenta dicuntur, in quibus soluendis moram iam est facta. Præterea oratio diui Marci pertinet ad alimenta, quæ testamento uel codicillis fuerint relicta. Idem erit dicendum, etsi mortis causa donata sint, uel ab eo cui mortis causa donata sunt relicta. Sed etsi conditionis implendæ causa relicta sunt, adhuc idem dicendum erit. Planè de alimentis quæ non mortis causa data sunt, licebit & sine Prætore autore transigere. Idem erit & si in annos singulos certa quantitas alicui fuerit relicta: ueluti homini honestioris loci salarium annuū uel ususfructus: nam & hæc transactio sine Prætore fieri poterit. Eam autem transactionem oratio improbat, quæ idcirco fit, ut quis representatam pecuniam consumat. Quid ergo, si quis citra Prætoris authoritatem transegerit, ut quod per singulos annos ei relictu erat, consequeretur per singulos menses: aut quod per singulos menses ei relictu erat, mox consequeretur per singulos dies? quid deinde, si ita, quod consummato anno acciperet, initio anni consequeretur? dicendum est, eã transactionem

nem etiam sine Praetore ualere: quia meliorem conditionem suam tali transactione alimentarius fecit noluit enim oratio alimēta per transactionem intercepti. Si cui non nummus ad alimenta, sed frumentum atq; oleū, & cætera quæ ad uictū necessaria sunt, fuerint relicta: non poterit de his transigere, siue annua siue mensura ei relinquuntur. Si tamen ita sine Praetore transegerit, ut in uicem eorum nummum quotannis uel quot mensibus acciperet, & neque diem neque modum permutauit, sed tantum genus: uel ex contrario, si pactus fuerit, ut in generibus alimenta acciperet, quæ in nummis ei relicta fuissent: uel si uinum pro oleo, uel oleum pro uino, uel quid aliud commutauit: uel locum permutauit, ut quæ erant ei Romæ alimenta relicta, in municipio uel in prouincia acciperet, uel econtrà: uel si personam commutauit, ut quod à pluribus erat accepturus, ab uno acciperet, uel alium pro alio debitorem acciperet. Hæc omnia habent disceptationem Praetoris, & pro utilitate alimētarij accipienda sunt. Si ad habitationem certa sit quantitas annua relicta, & ita sit transactio sine Praetore, ut habitatio præstetur, ualet transactio: quia fructus habitationis præstatur, licet ruina uel incendio subiecta transactio est. Per contrarium quoq; si pro habitatione quæ erat relicta, placuerit certam quantitatem præstari: transactio rata est etiã sine Praetore. Sed etsi certa quantitas relicta sit Titio

uel

uel res, ita ut inde alimenta Scio præstentur: magis est ut transigere possit: nec enim transactione Titij minuuntur alimenta Seij. Idemq; est, etsi per fideicommissum alimenta ad hoc legatario fuerint relicta. Porro transactiones alimentorum etiam apud procuratorem Cæsaris fieri possunt, si à fisco petantur alimenta. Secundum quæ apud præfectos ærarij quoq; transigi potest. Sed et apud Præsidem alimentorum transactio facta ualet. Non tamen mādare ex hac causa iurisdictionem uel Præses prouinciæ uel Prætor poterit. Siue aut in menses singulos, siue in dies, siue in annos alimenta fuerint relicta: oratio locum habet. Sed etsi non fuerint perpetuò relicta, sed usq; ad annos certos: idē est. itē, quāuis integra quātitas alicui fuerit legata, ut ex usuris eius se aleret, et mortis tēpore pecunias restitueret: non tamē cessabit oratio, licet non in annos singulos uideatur id relictū. Sed et si ususfructus uel modicus alimentorū uice sit relictus: transactio citra Prætorē facta nullius erit momēti. Idē dicēdū, siue habitatio, siue uestiariū, siue de prædijs alimētū fuerit relictū. De calceario quoq; arbitrio Prætoris transigendū est. Et siue de uniuersis alimentis, siue de parte eorū transigatur, Prætor desideratur. Nihil etiā interest, utrū libertini sint qb. alimēta relicta sunt, an ingenui: satis locupletes, an minus. Sed etsi qs fundū sibi in alimēta relictū uelit distrahere: necesse ē Prætorē de ei, distractiōe et transactiōe arbitrari. Et si plu
ribus

ribus fundus ad alimenta fuerit relictus, & ij inter se transigant: sine Prætoris authoritate facta transactio rata esse non debet. Idem est, etsi ager in alimenta fuerit obligatus: nam nec pignus ad hoc datum inconsulto Prætoris poterit liberari. Licet autem, cum lis de alimentis esset, transactum de lite fuisset: transactio tamen ualere inconsulto Prætoris non potest, ne circumueniatur oratio: fingi enim lites poterunt, ut transactio etiam citra Prætoris fiat authoritatē. Porro non sufficit Prætoris transactioni alimentorum authoritatem suam interponere, ut ea ualeat: sed etiam causæ cognitio à Prætoris facienda est. Ideoq; si Prætor aditus citra causæ cognitionem transigi permiserit, transactio nullius erit momenti: Prætori enim ea res quærenda commissa est, non negligenda, nec donanda. Sed & si non de omnibus inquisierit, quæ oratio mandat, hoc est, de causa, de modo, de personis transigentium: dicendum est, quamuis de quibusdam quæsierit, transactionem esse irritam. Vult igitur oratio apud Prætoris de istis quæri: in primis de causa transactionis, deinde de modo, tertio de personis transigentium. In causa erit inquirendum, quæ causa sit transigendi. Sine causa enim neminem transigentem audiet Prætor. Cause huiusmodi ferè solent allegari: Si alibi domicilium hæres, alibi alimentarius habeat: aut si destinet domicilium transferre alteruter eorum: aut si causa aliqua urgeat præsentis pecuniæ: aut si à pluri-

plurib. ei alimenta relicta sint, et minutatim singulos cōuenire difficile ei sit: aut si alia qua causa sit (ut plures solent incidere) quæ Prætori suadeat transactionem admittere. Modus quoq; pecuniæ, qui in transactionem uenit, æstimandus est: ut puta quantitas transactionis. nam etiam ex modo fides transactionis æstimabitur. Modus autem pro ætate eius qui transigit, arbitrandus est, & ualetudine: nam aliter cum puero, aliter cum iuvene, aliter cum sene transigi, palam est. Constat enim alimēta cum uita finire. Sed & personarum contemplatio habenda est: hoc est, cuius uitæ sint hi quibus alimenta relicta sunt: utrum frugū uitæ, & qui aliàs sufficere sibi possint, an sequioris, qui de alimentis pendeant. In persona autem eius, à quo alimēta relicta sunt, hæc erunt spectanda: in quibus facultatibus sit, cuius propositi, cuiusq; opinio nis. tunc enim apparebit, nunquid circumuenire uelit eum, cum quo transigit. Hæc de exceptionibus aduersus transactionem alimētorum specialibus. Porro qui transigit de alimentis, non uidebitur neq; de habitatione, neq; de uestiario transigisse: cum diuus Marcus etiam specialiter de istis transigi uoluerit. Sed etsi quis de alimentis transegerit, non habebit necesse etiam de habitatione uel cæteris inuitus transigere. Poterit igitur uel de omnibus simul, uel de quibusdam facere transactionem. Transactione autem alimētorum inutiliter interposita, id quod eius nomine da-

tum est, repeti potest, uel saltem in alimenta compen-
 sari: neq; enim debet quis ex alieno damno esse locu-
 pletior. Si tamen aliquid aliud præter alimenta eidem
 alimentario ab eodem qui dedit debeatur: in id po-
 tius, quàm in alimenta, quod datum est imputari de-
 bet. quòd si illud non sufficiat, superfluum in alimen-
 tariam causam imputandum est. Idem dicendum, si
 debeantur alimenta quoque præterita: nam in hæc
 potius quàm in præsentia uel futura imputari debet.
 Hæc de transactionibus tam in genere quàm in specie
 sint dicta. Hactenus ergo de iudicijs, ad finibusq; iu-
 dicioꝝ remedijs satis est dictũ. Sequuntur nũc reli-
 qua ad ius publicum pertinentia: utputa iura Eccle-
 siæ & religionis, iura Imperatoris & fisci, iu-
 ra militaria, iura deniq; ciuitatum, mu-
 nerum & honorum.

INSTITUTIONVM

DE RELIQUO IVRE

publico Liber tertius.

DE CLERICIS ET MONACHIS in genere.

CAP. I.



IVS Ecclesie consistit in personis, rebus & actibus ecclesiasticis: estq; partim generale, partim speciale. Speciale, utputa de orphanotrophijs, xenodochijs & similibus collegijs. Personæ Ecclesiasticæ sunt, clerici & monachi de quibus primum in genere, hinc in specie dicitur. Et primum quidem de ordinatione clericorum. Certus igitur clericorum numerus iudicio episcopi ordinandus est. à lege tamen interdum definitur numerus, quem episcopo egredi non licet. Sic Imp. Honorius & Theodosius constituunt, ne plures quàm noningenti quinquaginta decani Ecclesie Constantinopolitane ordinentur. Item Imp. Iustinianus constituit, ne in maiore Ecclesia Constantinopolitana presbyteri ultra 60, diaconi mares quidem ultra centum, femine aut ultra 40. & subdiaconi ultra 90. lectores ultra 110. cantores ultra 25. existant: ut uniuersus clericorum

I

a

ricorum

rorum maioris Ecclesie numerus in 425 personis et
 centum ostiarijs consistat. In alijs Ecclesijs, quibus ex-
 pensas maior Ecclesia suppeditat, ut is numerus custo-
 diatur, qui per edificatores harum Ecclesiarum ab initio
 est determinatus. In alijs uero quae foris sunt Ecclesijs,
 neque a maiore Ecclesia aluntur, certus numerus ab ijs
 qui edificant Ecclesiam determinari iubetur: quod si
 ab ijs praetermissum fuerit, ista determinatio arbitrio
 Patriarchae et Metropolitanus eius loci permittitur.
 Haec quidem de numero ordinandorum clericorum. Nunc
 qui et quales ordinandi, uidentur. Et quidem officiales,
 qui post longi laboris lassitudinem ob reliquae uita re-
 quiete ad clericatum adspirant, clerici ordinari possunt:
 exceptis ijs qui obnoxij adhuc sunt ratiocinijs et ne-
 cessitatibus publicis: ite exceptis primipilaribus. Sed
 et curiales et cohortales ac decuriones clerici fieri
 non possunt, quamuis bonis cesserint. Qui tamen curia-
 les illustre dignitate consecuti sunt, per substitutum cu-
 riae muneribus, periculo tamen suarum facultatum, satis-
 facere possunt: quo casu clerici ordinari non prohibentur.
 Sed et curiales uel decuriones, qui quindecim an-
 nis monasticam uitam in monasterio egerunt, curiae am-
 plius uindicari non possunt. ideoque in eo uita generem
 manere, uel ad clericatum adspirare non prohibentur.
 legitima tamen portione a decurione curiae assignanda.
 Coloni quoque et adscripticij creati in clericos non pos-
 sunt, et creati a dominis reuocari possunt: nisi domini
 euiden-

evidenter cōsensisse probentur. In eo tamē uico, ubi degunt, clerici fieri nō prohibentur, sub hac tamē lege, ut capitationis sarcinā per ipsum dominū agnoscere cōpellantur, & in ruralibus obsequijs substituto utātur. Sed etsi adscripticius per trienniū in monasterio fuerit uersatus, nec à domino prædij uindicatus, postea præscriptione tēporis defenditur. Serui quoq; à clericali arcētur, quāuis dominus eos ordinari in clericos cōsenscrit. Monachi tamē cōsentiente domino fieri possunt. Planē iure nouo seruus cōsensu domini etiā clericus fieri potest; & ipsa ordinatione, quæ domino fit cōsentiente, liber simul & ingenuus efficitur. Sed & iure nouo monachus etiā inuito domino fieri pōt: si modò, cū per trienniū in monasterio esset uersatus, dominus cū non uindicauerit. Planē iure nouo, quāuis inuito uel ignorāte domino seruus in clericū fuerit ordinatus, nisi tamē eum intra annū uindicauerit, clericus liberq; et ingenuus manet, tanq̄ si dominus in ordinationē expressè cōsensisset. Porro clerici ordinari iubentur nō peregrini, uel ex alia possessione uel uico, sed ex eo ubi Ecclesiā esse cōstituerit: nisi forte aliqua Ecclesia alibi sita clericis abundet: tūc enim ex ea in aliā, quæ ijs indiget, clerici sunt trāsferendi. Hi aut̄ potissimum ordinādi sunt, quos monasterij uel oratorij patronus, hoc est, is qui oratoriū monasteriū ue extruxit, uel eius heres exhibet: si modò digni sunt: nam indignis istis alios dignos Episcopus præferre potest. Indigni aut̄ censentur indocti, qui ue

sunt uitæ culpata: quiue alterã duxit uxore, uel concubinã habet aut uxore illegitimã: quiue liberos naturales habet, habuit ue: itẽ heretici. Monachi aut nõ ordinãdi, nisi per trienniũ in monasterio fuerint, eorũq; fides fuerit probata. Sed & si clericus ordinandus dicatur indignus, ordinatio differẽda est, & accusatio perseguenda. Clericus aut cuiuscunq; gradus dare aliquid ei à quo ordinatur, aut cuiuscunq; alij persone uetatur, exceptis cõsuetudinibus ex more percipiẽdis ab ijs qui ordinãti in ministerio sunt: quæ tamẽ unius anni diaria nõ excedent. Postremò de ordinatione clericorũ & illud notandũ, quòd in ea consensus parentũ non requiratur. Hæc de ordinatione clericorũ & monachorũ. Nunc de officijs eorũ, et causis quibus hoc uitæ genere se faciunt indignos, dicendũ. In primis igitur hoc incũbit clerico simul & monacho, ut omne ecclesiasticũ ministeriũ sibi cõpetens impleat. Quo impleto, monachus omnis in cœnobiiũ redire, ibiq; residere debet, atq; orare, necnò sacrarũ scripturarũ lectioni incũbere: aut saltẽ manuarias artes exercere, omneq; ociũ fugere. Peregrinantes autem clericici tũ monachi, literis sui Episcopi debent esse instructi, si uelint pro clericis uel monachis quò uenerint haberi. Præterea monachi nõ separatim, sed in cõmuni loco habitare, comedere atq; dormire debent, ut sibi inuicẽ testes sint honestatis et castitatis: nisi forte anachoreta uel hesychasta monachi sint, uel senes aut corpore infirmi. Sed & uiri mulieresq; separari debent,

debet, duplici monasterio extracto. Iuniores quoque à senioribus erudien di sunt. Tam autem clerici quam monachi à mulieribus abstinere debent, neque mulieres intra domos suas secum habere clericis est permissum: exceptis matre, filia, sorore ipsius, et alia muliere, quae omnem suspicionem effugiat. Sed et uxorem suam, quam ante sacerdotium duxit, secum habere non prohibetur. Illam enim non relinquere, castitatis hortatur affectio. In ipso autem clericatu uel monachatu uxorem ducere prohibetur. quod si contra fecerit, clericatum uel monachatum amittit. Cantores tamen et lectores ducere uxores non prohibetur: dummodo antea nullam habuerint: nam qui secundam uel tertiam duxerit, ab officio remouetur. Idem dicendum, si uiduam duxerit, aut eam quae à marito suo diuerterit. Sed et si quis curialium aut cohortalium post clerici honorem adeptum, quauis cantor uel lector fuerit, uxorem duxerit: curiae uel cohorti aut fortunae, cui erat obnoxius, reddi debet. Sanè quamuis Episcopus permiserit clerico ut uxorem ducat, tamen si duxerit, honore priuatur. Praeterea mulieres uirorum monasteria, et contra uiri monasteria mulierum ingredi prohibentur. Portis quoque monasteriorum custodiendis praefici iubentur et adistere uiri aetate graues, et casti, omniumque testimonio comprobati, qui neque monachos sine praesulis uoluntate egredi, neque alios, quorum conuersatio monachis pernicioosa futura sit, ingredi patiantur. Clerici insuper et monachi iudicijs interesse, aliaue ciuilia negocia tractare

prohibentur: nisi fortè ipsi aliquã litē proprio nomine, uel totius corporis causa syndico ordinato sustineant, uel alij inferāt: his enim casibus interessē iudicij, eis permissum est: alioquin absurdū, imò etiã opprobriosum clericis est, si peritos se uelint ostendere disceptationū esse forēsū. Præterea clerici iurare prohibentur, itē ludere, uel spectatores esse lusorū, uel ad quodcunq; spectaculum accedere. Sed neq; susceptorē aut exactorē publicarū contributionū, aut conductorē uectigaliū aut alienarū possessionū, aut curatorē familie, aut dispensatorē esse clerico aut monacho licet, siue suo siue Ecclesiæ aut monasterij nomine id subire uelit: ne per hanc causam sacris ædibus infligatur damnū, & diuina impediatur ministeria. Ipsa tamen Ecclesia uel monasteriū uicinas possessiones conducere uel in emphyteusin accipere nō prohibetur, ut tamen per dispensatorē suum hoc onus subeat. Sed & clericis, ut suarum Ecclesiarum possessiones conducant & gubernent, sententia tamen Episcopi & Oeconomi interueniēte, permissum est. Addictos insuper supplicio & capite damnatos clerici uel monachi, etiã ij quos synoditas uocant, per uim atq; usurpationem uindicare non possunt. Præterea monachi monachaq; monasteria sua egredi prohibentur. Sed neq; clericis ab una Ecclesia in aliam transire licet. Monachis quoque simul & clericis uitæ conditionem mutare, uel ad secularem uitam redire, interdictum est, seruitutis aliaq; pœna grauissima constituta: à
 qua

que non liberantur, quamuis ad ordinem à quo defecerant, reuertantur. Conuenticula quoque illicita extra Ecclesiam in priuatis ædibus clerici celebrare prohibentur: proscriptionis domus periculo domino imminente. Vir quoq; in monasterio mulierum, et contra mulier in uirorum monasterio sepeliri prohibetur. Postremò illud iniungitur clericis, ut curent, ne fructus qui ex redditibus Ecclesiasticis colliguntur, aliter quàm in pias & Deo placitas causas insumantur. Hec de officijs clericorum & monachorum dicta sunt. Sequitur nunc de priuilegijs et de rebus eorum. Inter clericorum & monachorum priuilegia primum hoc est, quòd à muneribus sint immunes, & ne quidem uolentes ea suscipere possunt: exceptis presbyteris, diaconis & subdiaconis, quibus concessum est, si iure ac lege cognationis ad tutelam aut curam uocentur, eiusmodi munus suscipere: dummodò intra menses quatuor exinde numerandos, ex quo uocati sunt, apud competentem iudicem scripto declarauerint, id se munus propria uoluntate suscepisse. Ex quo tamen nullum præiudicium circa aliam tutelam aut curam sustinebunt. Planè curiales in clericos ordinati patrimonialia munera per substitutos implere coguntur, ut supra quoque dictum est: à personalibus liberi manent. Hereticis autem clericis hoc priuilegium immunitatis nõ conceditur: nec ijs quidem qui uagantes sunt ac desides, quiq; nomine ma-

gis quàm re existunt clerici. Sed & adscripticij facti clerici per substitutum ruralia obsequia præstare coguntur, ut supra dictum est. Præterea si clericis facta iniuria sit uel uis illata, tanquã publicum crimen uindicaretur, & capitali pœna punitur. Clerici quoq; in parentum potestate constituti bona acquisita quasi castrense peculium retinent. Mortuo autem clerico, Ecclesia illi in bonis succedit: nisi facto testamento alios scripserit hæredes. Monachus tamen testamentum facere, præterquam inter filios, non potest: quia eo ipso quòd monachus factus est, dominium omnium bonorum suorum perdidit, ut paulò inferius dicitur. Si tamẽ clericus parentes reliquerit, uel liberos, uel adgnatos, cognatosue alios, uel uxorem, qui ab intestato hæredes legitimi esse possunt: hisce quoq; Ecclesia in successione postponitur. Sed etsi clericus fuerit curialis, adscripticius uel libertus: curiæ, domino possessionis uel patrono ipsius defuncti debita portio nõ aufertur. Monachi autem & monastria (ut dictum est) ipso ingressu in monasterium bonorum suorum dominium amittunt, eaq; monasterio adquiruntur: exceptis ijs bonis, quæ antequam monasterium ingrederentur, alienassent: hæc enim eos non sequuntur. Sed & si monachus uel monastria filios habeat, legitima eis ex bonis parentis debetur: in quam tamen illis computatur, si quid illis à parente donatum est, uel dotis donationisue propter nuptias nomine datũ.

Libe-

Liberum tamen monacho est, testamento facto filios quos habet hæredes instituere, uel bona inter eos distribuere: ut tamen persona ipsius filijs connumerata uirilem portionẽ omnimodò monasterio relinquat. Sed & uxor quondam monachi dotem, & maritus monastrie antenuptialem suam donationem omnimodò saluã retinet: nisi fortè utriq; tam maritus q̃ uxor, monasticam uitam elegerint. Quamuis autẽ postea monastica uita relicta monachus uel monastria ad secularem uitam redierit, bona tamen monasterio semel acquisita non recuperat. Quod ad forum clericis & monachis competens attinet, sciẽdum, quòd clericus & monachus non nisi apud Episcopum loci, aut Præfectum prætorio conueniendus sit, utrum ex ijs actor elegerit: nec uel clerici uel monachi extra prouinciam suam in ius sunt uocandi: nisi fortè extra prouinciam deprehendantur, lisq; in prouincia non fuerit contestata. Sed & si episcopus tanquam iudex competens causam dirimere uel nolit, uel non possit: ad ciuilem iudicem possunt uocari. Idem dicendum, si non ciuilis, sed criminalis actio uel accusatio aduersus clericum uel monachum instituaturnam & hoc casu apud ciuilem, nõ ecclesiasticum iudicem cõparere tenetur: nisi fortè ecclesiastici criminis uel delicti reus fiat. Sed & sententia ab Episcopo in causa clerici uel monachi lata, ciuilis iudex appellari põt. Postremò, si clericus uel monachus fori præscriptioni renũciauerit, frustra eã cõuentus opponit.

CUM

Cum autem in alijs causis clericus apud suum episcopum regulariter quidem conueniendus sit: tum multo magis apud eum de administratione quam gessit, conueniri debet. Illud dubitationem non recipit, pro clerico Ecclesiam conueniri non posse: nisi pecunia in rem eius uersa doceatur. Præterea clerici & monachi conuenti ut cæteri quoq; apud iudicem uel per se uel per procuratores comparere tenentur: nec iudices ad eos uenire decet. Iudicio autem sisti satisfactionem clerici & monachi per œconomum præstare possunt: non tamen ultra quinquaginta librarum auri summam. quam si excefferint lites diuersorum clericorum, pro quibus œconomus fideiussit: in reliquam summam nude repromissioni clerici & cautioni sine iureiurando præstite stabitur. Quod & in plerisq; causis, pro quibus pulsabantur, obtinebat, ne scilicet satisfactionis onere grauarètur, sed ut cautioni simplici seu nude repromissioni sine iuramento illis crederetur. In sumptib; quoq; litis & sportulis præbendis clerici & monachi priuilegio erant muniti, ne ultra unum aut duos solidos darent. Sed & lis clericorum citò erat expedienda. Executores quoq; litium clericos contumelia uel conuitijs afficere, aut corporalibus iniurijs molestare sub pœna prohibentur. Planè si de crimine clerici uel monachi fuerint conuicti atq; damnati, non prius aduersus eos competens executio facienda, quam ab Episcopo honore seu gradu secun-

secundum canones fuerint denudati. Et si Episcopus putauerit acta non iuste constituisse, licitum ei est moram interponere, ut de eo tam per Episcopum quam per iudicem ad Imperatorem referatur. Per sententiam uero absolutis clericis uel monachis, siue in civili siue in criminali causa, aduersarius ipsis ad sumptus litis omnes restituendos tenetur. Postremo habitus monachorum & monacharum interdicitur laicis, & maxime his qui in scenam prodeunt.

DE CLERICIS AC MONACHIS in specie. CAP. II.

HActenus de clericis ac monachis in genere dictum est: nunc de iisdem in specie tractabitur. Et primum quidem de Episcopis. In quibus ordinandis considerari prius debet persona ordinandi: uita eius, si honesta & inculpabilis, & undiq; irreprehensibilis sit, si à bonis testimonium habeat sacerdotem decens. Ne sit ex officiali aut curiali fortuna: nisi per aliquot annos (ut supra ostensum est) in monasterio uixerit. neq; sit idiota, uel ex his qui uocantur laici. neq; is est Episcopus ordinandus, qui nuptias iterauerit, uel uiduam in uxorem duxerit, aut eam que à uiro diuerterit: uel qui concubinam, filios uel nepotes habuerit. Quod autem dictum est, ex his qui uocantur laici episcopum ordinandum non esse, ad distinctionem admittit hanc, ut si laicus aliquis
hac

hac electione dignus reputetur, possit cum alijs duobus clericis aut monachis eligi, ita tamen, ut prius clericis non minus tribus mensibus cōnumeretur, hacq; ratione sanctas regulas, & quotidianum Ecclesie ministerium edoctus Episcopus ordinetur: qui enim alios debet docere, post ordinationem ab alijs doceri non debet. Si uerò non inueniantur tres persone ad talem electionem opportunæ, licet decreta facientibus in duabus, & in una persona decretum facere. Episcopus autem ordinandus est nuda electionis conscientia sincero omnium iudicio. Nemo gradum sacerdotij uenalitate precij mercari debet: quantum quisq; meretur, non quantum dare sufficit, estimandum est. Ita castus & humilis eligendus Episcopus, ut quocumque locorū peruenerit, omnia uite propriæ integritate purificet: nō precio, sed precibus ordinandus antistes. Tantum ab ambitu debet esse remotus, ut queratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat: nisi enim ordinatus fuerit inuitus, indignus est sacerdotio. Si quis tamen ex Episcopis siue ante ordinationem suam siue post uoluerit proprias res suas, aut ex ijs partem, Ecclesie, & cuius sacerdotium suscepit, afferre: hoc ei facere licet: siquidem nō emptio hoc, sed oblatio est. Sed & ea quæ consuetudinum nomine danda sunt, dare non prohibetur, imò dare tenetur. Quæ aut consuetudinū nomine danda sint, Imp. Iustinianus pro quātitate redditū Ecclesie definit: de
que

qua re licet consulere mea Digesta. Antequam autem ordinatio perficiatur, regule sacre ab Ecclesia approbate ordinando prælegende sunt: quibus lectis & ab ordinando frequenter perlectis, ab ordinante is interrogandus erit, an sufficiat custodire & agere, quæ sacre regule sancierunt. & si quidem responderit, sacrarum regularum præcepta se non posse seruare: non est ordinandus. Sin uerò responderit, se quantum homini possibile est, illis satisfacturum: admonendus erit, nisi ea obseruauerit, eum in indignationem Dei & hominũ incursum, & iam dato honore priuatum iri. Quòd si ista admonitione facta nihilominus in sententia permanserit, ordinatio erit præagenda. Iam dicta autem omnia in ipso ordinationis tempore coram omni populo eius Ecclesie illi sunt prædicenda: ut ille coram omnibus hæc audiens non solum habeat Dei timorẽ, sed etiã coram omnib. denunciationem & professionem erubescat. Planè si quis dicat se consciũ alicuius esse, quod ordinandus illicitè admiserit: ordinatio differenda est, donec examinatio eius quod cõtra eum dictum est, facta sit, & innoxius apparuerit. Sed et illud notandum, quòd ante ordinationẽ clerici & primates ciuitatis, cui Episcopus ordinandus est, conuenire debeant, & de tribus personis eligendis interposito iuramento decernere: ut ex tribus istis personis, quæ decretis hoc modo eliguntur, melior ordinetur electione, et iudicio eius qui ordinan-

ordinandi ius habet. Item exigi debet prius ab eo qui ordinandus est, per cū qui ordinat, libellus cum propria illius subscriptione, quæ rationem rectæ eius fidei comprehendat. Pronuntiet quoq; is sacram oblationem, quæ in sancta fit communionem, & cum cæteris precibus eas quoq; quæ in sacro proferuntur baptisinate. Sed & is qui ordinatur, iusiurandum per sanctas scripturas præstabit, quòd neque per se, neq; per aliam personam quidquam dederit, aut promiserit, aut postea daturus sit uel ei qui ipsum ordinat, uel his qui pro ipso decreta fecerunt, uel cuiquam alij omnium conferendæ in ipsum ordinationis nomine. Si quis contra hanc obseruationem Episcopus ordinatus fuerit: tam ipse omnimodò Episcopatu eiciendus, quàm etiam is qui contra hæc ordinare præsumperit, segregandus anno uno à sacro ministerio: & omnis eius substantia, quæ quolibet tempore aut modo in eius dominium deducta est, propter culpam quam fecit, domino Ecclesiæ, cuius Episcopus est, iudicari debet. Hæc de Episcopis ordinandis. nunc de horum officijs est dicendum. Horum primum est, ne ab Ecclesia sua Episcopus ultra annum discedat: nisi iussu et consensu Imperatoris, uel ob causam Ecclesiæ necessariam diutius abesse cogatur. Non aliter autem Constantinopolim proficisci debet, quàm literas habeat commendaticias sui metropolitani, uel patriarchæ eius dioceseos, quibus necessitas profectio-

nis

De officijs
Episcoporum.

nis offendatur. Præterea singulis annis synodum siue conuentum prouincialem Episcopi celebrare iubentur mense Iulio uel Septembri. Neminem autem excommunicabunt, nisi prius causam monstrent, quamobrem Ecclesiastici canones hoc fieri iubeant. Ac neque proprijs aliquem manibus Episcopo uerberare licet: siquidem hoc alienum est à sacerdotibus. Ne autem mercatores commodum mercandi excedant, Episcopi, quibus uerus cultus est adiuuare pauperes, prouidere debent. item ne captiui Romani ab hostibus reuertentes iniurijs aut damnis adficiantur, curabunt. Episcopus autem remotus, si ui conetur dignitatem Episcopalem recuperare, ultra centesimum lapidem relegatur. Hæc de officijs Episcoporum: quorum tamen plura sunt, sed alibi suis locis inserta. Nunc de priuilegijs Episcoporum sequitur. Inter hæc numeratur ordo dignitatis. Primum igitur locum obtinet ueteris Romæ Papa, secundam archiepiscopus Constantinopolitanus, tertium archiepiscopus Iustinianæ primæ, hinc quartum archiepiscopus Iustinianæ Carthaginis. Et sic deinceps aliarum ciuitatum archiepiscopi metropolitani locum sibi concessum obtinebunt. Porro filiusfamiliâs Episcopus factus hoc ipso patria potestate liberatur, et sui iuris efficitur. Sed & à seruili & adscripticia, necnon à curiali & officiali fortuna Episcopus post ordinationem liber efficitur: nisi decurio aut cohortalis præter su-

De priuilegijs Episcoporum.

prædictam obseruationem ordinatus sit: hic enim re-
 motus ab Episcopatu, curiæ aut cohorti suæ reddi iu-
 betur. Præterea Episcopus sine permissu Imperatoris
 ad iudicem ciuilem uel militarem in ius uocandus
 non est: uerum iudex illi competens est metropoli-
 tanus: à quo prouocatio facienda ad archiepiscopum
 illius dioceseos & patriarcham. Quòd si metropo-
 litanus in ius uocetur, apud patriarcham illius dice-
 ceseos est conueniendus. Pro quibuscunq; autem cau-
 sis episcopi conueniantur, siue apud metropolita-
 num, siue apud patriarcham, siue apud alios quos-
 cunq; iudices: nulla ab ijs fideiussio aut confessio de-
 lite exigenda est: ita tamen, ut & ipsi studeant illa-
 tis sibi accusationibus se eximere. Sportulas quoq; E-
 piscopi soluere nõ coguntur, nec pro rebus Ecclesiæ
 suæ conueniri possunt. Qui autem criminaliter Epi-
 scopum accusauerit, & calumniatus fuerit: triginta
 pondo auri pœnam inferre fisco iubetur. Præterea
 ad dicendum testimonium Episcopus cogi nõ potest,
 ut supra quoq; suo loco dictum est. Compromitti au-
 tem in Episcopum utriusque litigatoris consensu po-
 test: quo facto, eius sententia rei iudicatæ uim ob-
 tinebit, adeò ut ab ea prouocari nõ possit. Postremò
 de bonis Episcopi hoc notandum, quòd bona post ad-
 eptum Episcopatum quocunq; modo adquisita, in
 cognatos suos uel alios quoscunq; trāsferre nõ possit:
 nisi in pias causas, uel ad redemptionem captiuorum.

uel

uel pro utilitate suæ Ecclesiæ alienauerit. Si tamē ex
 successione eorū, quibus ab intestato usq; ad quartā
 gradum succedere poterat, aliquid adquisierit, eius
 alienādi uel cognatis relinquendi potestas illi nō de-
 negatur. Idem dicendū de illis bonis, quæ ante adeptū
 habuit Episcopatum. In ijs autem bonis, quæ in Epi-
 scopatu adquisiuit, Ecclesia illi succedit. Hæc de Epi-
 scopis. Nunc de alijs personis Ecclesiasticis sequitur.
 Igitur Presbyter minor annis uiginti quinq; ordina-
 ri nō debet. Sed neq; diaconus aut subdiaconus minor
 uiginti quinq; neq; lector minor annis decem et octo
 ordinādus est. Abbas ordinādus per ordinē, sed qui
 apparuerit optimus inter monachos optimos consti-
 tutus, & dignus præsulatu. Hic ab Episcopo confir-
 mandus est, præstato prius à monachis iuramento,
 quòd talem quem elegerint, putent isto honore
 maximè dignum. Porro singula monasteria de-
 bent habere suos quos dicunt apocripharios uiros
 etate graues, qui & in monastica iam disciplina
 impendiò decertarint, neque faciliè corporis susti-
 neant impetus, & rebus gerendis atq; ipsorum usib;
 uacarint. Neq; hoc tātū, si uirorum monasteriū sit,
 sed etiam si mulierū sit, duo aliqui uiri, uel (si haberi
 possunt) eunuchi cōstituendi, qui amplissimo testimo-
 nio cōprobatu negotia ipsarum gerant, & cōmunio-
 nem ipsis distribuunt. De parabolanis, qui ad curan-
 da debiliū corpora deputātur, illud cauetur, ut eorū

sexcenti constituantur: exceptis honoratis & curialibus. hi præceptis ac dispositionibus reuerendissimi sacerdotis obsecundant, & sub eius cura consistunt. Porro eadem in foeminis, quæ & in uiris ecclesiasticis, iura obtinent. Quemcunq; autem ipsæ elegerint, siue presbyterum siue diaconum, ut pro ipsis respondeat, aut sanctam eis communionem deportet, Episcopus sub quo sunt ipsis attribuet, si rectæ fidei et honestæ uitæ hūc esse cognouerit. Quod si ab ipsis electus non sit, Episcopus dignum aliquem tali monasterio attribuet. Monastriæ autem & ascetriæ e monasterio in ius abstrahendæ non sunt, sed procurator ab ijs constituendus, qui de eo negotio respondeat. Relictum autem à sanctimoniali foemina in pias causas uel clero, uel monacho, uel pauperibus, omnino ratum firmumq; est, si modo alias omni iuris ratione munitum sit. De diaconissis hæc specialia sunt: quod nulla in diaconissam ordinanda sit, nisi quinquagesimum annum iure quidem antiquo, iure autem nouo quadragesimum annum impleuerit: præterea requiritur, ut uirgo sit, aut quæ unius tantum uiri uxor fuerit: ut uita sit irreprehensibili, & omni suspitione libera. Nulli autem uiro cohabitare ei conceditur, nisi uel parentibus, uel filijs, uel fratribus, uel denique alijs similibus, de quibus si quis suspicari aliquid præsumpserit malignum, ipse insipiens simul et impius putetur. Quod si dia-

si diaconissa nuptias contraxerit, uel uitæ genus mutauerit: ultimo afficitur supplicio, cuiusq; bona ecclesie uel monasterio deferuntur. Similiter & is qui eam duxerit, capite punitur, eiusq; bona confiscantur. Hæc de personis Ecclesiasticis tam in genere quàm in specie dicta sunt. Sequitur nunc de rebus Ecclesiasticis, similiter in genere primum, deinde in specie.

DE REBUS ECCLESIAE.

CAP. III.

Ecclésijs acquiri potest non solum contractibus, sed etiam ultimis hominum uoluntatibus uel etiam inter uiuos donationibus: constitutionibus quibus contrarium cautum erat, antiquatis. Item salaria de publico ijs præstari possunt. Si autem Ecclesia res damnosas adquisierit: utputa prædia sterilia, uel quid simile, redhiberi possunt. Regulariter uero res Ecclesie alienari non possunt, & alienatæ possunt reuocari: nisi uel Imperio sint permutatæ, uel alij Ecclesie aut uenerabili domui: his enim casibus alienatio ualet: nisi fortè res Imperio alienata postea ad alium transferatur: tunc enim Ecclesia quæ Imperio alienauerat, reuocandi ius habet. Sed & iure emphyteutico res Ecclesiastica ad alium, quamuis priuatum, transferri potest: nisi fortè in perpetuum, uel ultra secundum

heredem emphyteusis sit concessa: uel extraneis hæ-
 redibus, non filijs aut nepotibus. Ideoq; si emphyteu-
 ta mortuus sit, nullis filijs uel nepotibus relictis: res
 ad Ecclesiam redit: nisi uir uel uxor emphyteuta su-
 persit. Sed etsi emphyteuta liberos reliquerit, ex
 quibus tamen duo ex ordine hæredes decesserint: ad
 tertium hæredem non transit emphyteusis: quam-
 uis id dare paratus esset, quod etiam extraneus erat
 daturus. Ecclesijs tamen alijs quemadmodum alio
 modo alienari, ita quoque in perpetuum in emphy-
 teusin res Ecclesiasticæ concedi possunt. hoc tamen
 iure nouo ad omnes etiã alios uidetur pertinere, ut
 cuicumq; in perpetuum res Ecclesiastica emphyteuti-
 co iure sit alienata, ualeat emphyteusis. Emphyteuta
 aut intra biennium continuum nõ soluens canonem,
 iure suo cadit. Locationes quoq; rerũ Ecclesiasticarũ
 fieri nõ sunt prohibitæ ad quocunq; annos, dummo-
 dõ triginta annorum spacium non transcendant. Pi-
 gnoris quoq; obligatio in re Ecclesiastica subsistit.
 Sed & si ususfructus tantum rei Ecclesiasticæ aliena-
 tus sit, id quod actũ est ualeat: dummodõ locupleti de-
 tur, qui rem aliquã tantæ estimationis, quãta est res,
 quã ususfructus nomine accepit, Ecclesiæ relinquat;
 neq; ususfructus uitam eius transcēdat. Præterea res
 inutilis & multis præstationibus publicis grauata
 alienari concessa est. ædes tamen Ecclesiæ, quãuis rui-
 nose uel destructæ, alienari prohibentur. Planè alie-
 natio

natio rerū Ecclesiasticarū prohibita ad res soli tātū, nō etiā mobiles pertinet: res. n. mobilis, quāuis Ecclesiastica, alienata trāsit ad eū cui est alienata: nisi uel serui coloniue sint fundis Ecclesiasticis adscripti, uel annonæ ciuiles, uel sacra uasa, uestes aut alia donaria ad religionē necessaria: hæc. n. quāuis mobilia, prohibentur alienari. Alienatio aut rei Ecclesiasticæ facta inutiliter, ne rescripto quidē Imperatoris confirmari potest. Planè res Ecclesiasticæ, quāuis soli sint, si pecunia uel aliæ res mobiles nō supersint, in solutum dari possunt, uel ob debitū Ecclesiasticū alienari. Idem dicendum de alienatione in redemptionē captiuorū facta: nam & hoc casu ea est concessa. Sed & si legatū annuum Ecclesiæ relictum sit, quod longè ab ista absit: liberum est hoc legatum permutare, & uicinum aliquem pro eo redditum percipere: dummodo accessionem contineat non minorem quarta relicte quantitatis parte, neq; multis publicis præstationibus sit obnoxius. Postremò Ecclesiæ Hierosolymæ concessum est domos ad se pertinentes, & in urbe Hierosolyma positas, uendere: non tamen minore precio, quàm quantum ex ipsis pensionibus per 50. annos possit colligi. Hactenus casus, quibus alienatio rei ecclesiasticæ ualet, enumerati sunt. Qui tamen ita admittuntur, si solenni decreto et iuramento præcedētē alienatio facta sit: alioqñ istis deficientib. nec alienatio ualebit in casib. quāuis à lege exceptis.

Idem dicendum, si dispensatoribus Ecclesiarum, parentibusque illorum, liberis, cognatis aut adfinibus alienatio sit facta. Sed & ipsius monasterij alienatio nullius momenti est, etiam in casibus alioquin exceptis. Quod dicendum etiam de rebus, quae ab Imperatore ad Ecclesiam peruenerunt. Postremo si alienatio rei Ecclesiasticae prohibita facta sit, uariae sunt poenae eius constitutae: inter quas numeratur & haec: quod si quidem res uendita sit, non solum res emptori cum fructibus aufertur, sed & precium perdit: sed aduersus oeconomum uel alium qui uendidit, eiusque bona, ei actio datur. Sin autem res Ecclesiastica donata sit: donatarius praeter restitutionem rei donatae etiam tantundem ex sua substantia Ecclesiae poenae nomine restituere tenetur. Sin uero permutata sit Ecclesiastica res: is cui permutata est, praeter restitutionem rei etiam ea re, quam pro ea dedit, carebit: salua tamen ei actione aduersus eum, a quo rem accepit. Sin autem res soli uel annuus redditus pignori detur: creditor qui accepit, praeter rei restitutionem etiam credito suo priuatur, quo ad Ecclesiam. nam aduersus ipsum oeconomum uel alium, cum quo contraxit, actio illi non denegatur. Sin denique res in emphyteusin perpetuam concessa sit: is qui emphyteusin suscepit, praeter rei restitutionem etiam canonis solutione punitur. Haec de rebus Ecclesiae in genere dicta sunt: nunc de ipsa in specie dicendum erit, & de priuilegijs Ecclesiae. De ipso itaque monaste-

monasterio atq; oratorio ædificando primùm agetur. Si igitur monasterium uel oratorium ædificandum est, prius locus consecrandus est per Episcopum loci hoc modo, ut extensis ad cœlum manibus, per orationem locum Deo consecret, figens in eo salutis nostræ signum, crucem nimirum. hocq; principium sit fabricæ monasteriorum. Planè antequam ædificetur, deliberandum est cum Episcopo loci & animaduertendum, an sumptus suffecturi sint non solum ad extruccionem & conseruationem ædificij, sed etiam ad incendenda luminaria, ad sacrum ministerium, ad sustentationem eorum qui illi uacent & adsideant: & si quidem suffecturi sint sumptus, ut prius eorum quæ deputanda sunt, donatio celebretur, tum demum opus inchoetur. Sin uerò sumptus suffecturi non sint, admonendus est is qui ad extruccionem monasterij eos erat factururus, ut eos in refectionem ueteris alicuius monasterij uel oratorij, quod elegerit, faciat. Ita uerò monasterium ædificandum est, ne multos habeat aditus, sed unū tantum, aut duos fortè, sitq; forti muro circumseptū, ne quis alia parte exitus sit, q̄ per portas. Si quis autem in testamento iussus est monasterium, oratorium, xenonem, ptochium aut similem uenerabilem domum extruere: oratorium quidem intra quinque annos, aliam uerò uenerabilem domum intra annum perficere debet: quod nisi factum sit, domus uel emenda uel conducenda est, in qua fiat id quod defunctus

I 5. iussit,

iussit, donec eiusmodi uenerabilis domus absoluatur. Qui autem semel coepit uel nouum oratorium extruere, uel uetus renouare, omnibus modis uel ipse uel heredes eius ad id perficiendum compelli debet. Hec de monasterio & oratorio ædificando. De tēplis illud cauetur, ut finita concione claudantur, & ut ornamenta eorum seruentur. De reliquijs apostolorum & martyrum illud prohibitum est, ne distrahantur, neue quis martyres mercetur, & ne reliquie istæ ad loca prophana transferantur. De sepulchris apostolorum & martyrum cauetur, ne alius in ijs sepeliatur. De crucibus, cum quibus sacerdotes in supplicationibus ingrediuntur, cauetur, ne alibi q̄ in uenerabilibus locis reponantur: & si quando usus postulauerit, tūc solum ipsas hi qui ex more eas portare solent, accipiant. De signo crucis cautum est, ne illud uel in solo, uel in silice, uel in marmorib. humi positus insculpatur uel pingatur. Quod ad priuilegia Ecclesie attinet, ea generaliter multis constitutionibus approbata & cōfirmata sunt. Specialia uerò hæc sunt: primum quidē immunitas, ut Ecclesie à muneribus tam personalibus q̄ patrimonialibus sint immunes: à quo tamē priuilegio excipiuntur munus sternendæ uie, aut extruendorū pontiū: itē munus transuehendarū publicarū specierū uel personarū. Ideoq; si exercitus Imperatoris sit transportandus uel eius impedimenta, Ecclesia immunis hoc casu non est. Sed & publicos canones seu pensiones

*fiones ex bonis, quæ hæreticis ablata, Ecclesijs addi-
 cta sunt, Ecclesiæ soluent: quemadmodum in ijs quæ
 Arrianis ablata, Ecclesijs Africanis addicta sunt, Imp-
 iustinianus constituit. Sed & si Ecclesia res alienas
 pro suis muneri subtrahere conetur, in eo immunita-
 tis priuilegio non iuuatur. Porrò à lucratiuorum
 quoque descriptione res Ecclesiasticae sunt immunes.
 Nec temporis præscriptio, quamuis longissimi, Ec-
 clesiæ obstat, excepta iure quidem antiquo centena-
 ria, iure autè nouo quadraginta annorū præscriptio-
 ne. Hæc enim Ecclesijs obijci potest. Cum autè omnis
 tumultus prohibeatur, tum maximè is qui in Ecclesia
 fit, prohibitus censetur. Nam in Ecclesia tumultus uel
 seditio concitari non debet: ne sacra ministeria cõtur-
 bentur. Sed & ij qui ad Ecclesias confugiunt, inde
 extrahēdi nō sunt: nisi fortè seruus uel adscripticius
 à domino, uel libertus à patrono transfugerit: hi enim
 suscipiendi non sunt. quod item dicendum de Iudeo,
 qui propter crimen aliquod uel æs alienū ad Ecclesiā
 confugerit, quāuis simulet se uelle Christianæ legi cō-
 iungi. Sed & homicidis, adulteris, uirginum raptori-
 bus, & alijs huiusmodi crimina cōmittētibus ex sacris
 locis securitas nō seruanda, sed inde eos abstrahere li-
 cet. Exactio quoq; publicorū tributorū in Ecclesia fie-
 ri pōt, Sed et si qs aliquē in exactiōe publicorū tribu-
 torū laferit, ei securitas ab Ecclesia nō erit cōcedēda.
 Postremò de actionib. quæ aduersus Ecclesiā cōpetūt,
 sciendum.*

sciendum, eas aduersus œconomum Ecclesiæ, non Episcopum uel alium instituendas esse. Ex contractibus autem uel delictis clericorum Ecclesia conueniri non potest. Hæc de rebus & priuilegijs Ecclesiasticis. Sequitur de actibus ecclesiasticis, necnon de hæreticis.

DE ACTIBVS ECCLESIASTICIS: item de hæreticis, necnon de quibusdam Ecclesiasticis collegijs.

CAP. IIII.

INter actus ecclesiasticos primum locum obtinet fides: de qua publicè disputari non oportet, ne inde tumultus uel seditio oriatur. Cum hoc ad synodum pertineat, nec ea quæ in synodo semel iudicata atque conclusa sunt, à quoquam retractari debent. Ea uerò potissimum fides atq; religio sequenda est, quæ ab Euangelistis & Apostolis tradita est, necnon ea quam quatuor concilia, uidelicet Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense approbarunt. Ideoq; sancta trinitas in unitate credenda, à sacrificijs abstinendum, nec in priuatis ædificijs sacra mysteria celebranda: neq; supplicationes publicæ à solis laicis sine episcopo & clericis faciendæ. Preces uiua uoce proferendæ: oblatio quoq; in baptisate uiua uoce facienda est: neq; rebaptizandum. Sacra scriptura nõ solum Hebraica, sed & Græca uel patria lingua legi potest.

potest. Porro inter actus religionis numeratur quoque sepultura, de qua notandum, quod ornamenta aliaue, quod homines simpliciores faciunt, cum corporibus sepelienda non sunt: neque prægrians mortua sepeliri debet, antequam partus ei excidatur. Is qui contra fecerit, spē animantis cum grauida peremisse uidetur. In ciuitatibus autem sepulturæ faciendæ non sunt. Sane si non sit unde funeretur, Prætor uel magistratus municipalis ad funus sumptum decernere debet: si quidem pecunia in hæreditate est, ex pecunia: si non est, distrahere debet ea quæ tempore peritura sunt, quorumque retentio onerat hæreditatem. Si minus, si quid auri argenti que fuerit, distrahi aut pignori iudicatur: uel à debitoribus, si facile exigi possit, exigendum. At si quis impediatur cum qui emit, quo minus res ei tradantur: Prætorem interuenire oportet, tuerique huiusmodi factum, si quis impediatur, quo minus ei res uenditæ tradantur. Si colonus uel inquilinus sit is qui mortuus est, nec sit unde funeretur: ex inuectis et illatis funerandus erit: et si quid superfluum remanserit, hoc pro debita pensione tenetur. Sed etsi res legata sint à testatore, de cuius funere agitur, nec sit unde funeretur: ad eas quoque manus mittere oportet: sanctius enim de suo testatorem funerari, quam aliquos legata consequi. Et si adita fuerit postea hæreditas, res emptori auferenda non est: quia bonæ fidei possessor est, et dominium habet, qui auctore iudice

dice comparauit, legatarium tamen legato carere nō oportet, si potest indemnis ab hærede præstari. quòd si non potest, melius est legatarium nō lucrari, quàm emptorem damno affici. Sed & si mulier deccedit, ex dote quæ penes uirum remanet, & cæteris mulieris bonis pro portione funeranda est: ueluti si in dote centum sint, in hæreditate ducenta: duas partes hæres, unam uir conferet, non deductis legatis, nec precijs manumissorum seruorum, nec ære alieno. Sic pro rata & maritum & hæredem conferre in funus oportet: alioquin impensa funeris semper ex hæreditate deducitur, quæ etiam omne creditum solet præcedere, cum bona soluendo non sunt. Planè si cui funeris sui curam testator mandauerit, & ille accepta pecunia funus non duxerit: de dolo actio in eum danda est. sed & extra ordinem à Præatore compellendus erit funus ducere: uel ab eo quod ei à testatore relictum est, repellitur. Nam funus eum facere oportet, quem decedens elegit: si modò pro hoc aliquid emolumenti ei relictum est. Sin autem de hac re defunctus non cauit, nec ulli delegatum id munus est: scriptos hæredes ea res contingit, si nemo scriptus est: legitimos uel cognatos quosq; suo ordine, quo succedunt. Planè rescriptum est, eum hæredem, qui prohibet funerari ab eo quem testator elegit, non rectè facere: poena tamen in eum statuta non est. Sumptus funeris arbitrantur pro facultatibus & dignitate defuncti,

LIBER TERTIVS. 311

functi. Sed de hac re plura dicentur aliquando in actione funeraria. Illud tamen sciendum est, licere statuas sepulchro superimponere & alia ornamenta. Ne corpora aut ossa mortuorum detineantur, aut uexentur, aut prohibeantur, quo minus uia publica transferantur, aut quo minus sepeliantur, Præsidis prouinciæ officium est. Corpus tamen sepultum uel eius ossa ex eo loco in alium transferri sine permissu Principis non oportet: si uerò non perpetuæ sepulturæ corpus traditum est, translatio eius nõ est prohibita. Sed etsi in arcula conditum hoc animo sit, ut non aliò transferatur: arculam ipsam (si res exigat) in locum commodiorem licebit transferre. Sanè quamuis in alienũ locum corpus hominis illatum sit, nõ tamẽ domino loci id effodere uel cruere sine decreto Põtificis, uel permissu principis licet. Planè si ui fluminis sepultura cõtingatur, uel alia iusta & necessaria causa interuenierit: estimatione Præsidis prouinciæ corpus aliò transferri potest. Sed et nullam poenã meruit is qui corpus in itinere defuncti per uicos aut oppidum trãsuexit: quamuis talia fieri sine permissu eorum, quibus permittendi ius est, non debeant. Hæc de sepultura. Antequã aut huic capiti finẽ imponamus, subiicienda sunt etiam ea quæ de hæreticis in iure habentur, tum generalia tum specialia. Hæreticorum autem appellatione continentur, qui uel leui argumẽto à iudicio catholice religionis & tramite detecti fuerint deuiarent
ut sunt

at sunt Arriani, Macedoniani, Pneumatomachi, Apollinariani, siue Sabatiani, Eunomiani, Tetradite siue Tessaresce, Decadite, Valentiniani, Papianiste, Montaniste seu Priscillianiste, Phryges, Pepuzite, Marcioniste, Borboriani, Messaliani, Euchite siue Enthusiaste, Donatiste, Audiani, Hidroparastate, Ascodrogite, Batrachite, Hermogeniani, Photiniani, Pauliani, Marcelliani, Ophite, Encratiste, Apotactite, Saccophori, Manichæi, & similes. Huiusmodi secte siue hereses in iure prohibite sunt: nec cōueniendi uel congregandi facultas hereticis conceditur: domibus seu prædijs, in quibus conueniunt, Ecclesiæ addictis. Ideoq; prædia quoque, in quibus monasteria uel oratoria constituta sunt, hereticis alienari prohibentur: item alia immobilia, quæ quidem ad Ecclesiam pertinent. Sed & seruos Christianos habere, hereticis est interdictum. Rescripta quoque ab hereticis impetrata uim nullam habent: quæq; priuilegia heretici habuerunt, amittunt: nec curiali fortuna liberantur: & parentibus suis uel alijs cognatis ab intestato non succedunt, nec ex testamento cuiusquam quidquam capiunt, etiamsi miles in suo testamento quid illis reliquerit. Testamenta quoque facere, legare uel donare prohibentur. Vis tamen hereticis illata, si illi nihil mobiantur, impunita esse non debet, ut exemplo Iudeorum & paganorum rescriptum est. Postremo, heretici baptizare, ad rempub. accedere

LIBER TERTIVS. 115

accedere & catechumenum circumcidere prohibentur. Hæc de hæreticis in genere: quanquam & plura de ijs restant, puta de testimonijs illorum & alijs quibusdam: quæ tamen suis subiecimus locis. Nunc sequitur de hæreticis in specie, & primum de Manichæis: His interdicitur omni communionem, ut nec moribus nec legibus cum cæteris uti possint. item interdicitur illis omnibus contractibus & testamenti factione: nec donatio illis facta ualet, nec ullo modo alijs succedere possunt: nec etiam filij ipsis hæredes existere possunt, nisi à paterna hæresi deficiant. Urbibus insuper eiciuntur, & ultimo supplicio adficiuntur, bonis eorū publicatis. Memoria quoq; illorum post mortem damnatur. Hæc de Manichæis. Nestoriani à Nestorio hæretico nuncupantur; cuius libros habere, legerè aut describere prohibitum est: conquiri eos atq; conburi, est constitutum. ne item Nestorij mentio in ulla disputatione fiat, cauetur: & omni conuenticulo Nestorianis interdicitur. Eutychetis secta in concilio Chalcedonensi damnata est; cuius sectæ homines hæretici dicuntur Apollinaristæ, iisdemq; pœnis, quæ aduersus hos constitutæ sunt, tenentur. Nec episcopos, presbyteros, aliosue clericos creare uel habere possunt, sub pœna exilij & bonorum publicationis. Ecclesias item & monasteria extruere, item conuenticula habere prohibentur. Ad militias quascunq; aspirare non possunt. Libros cõtra Chalcedonensem syno-

k dunt

dū scribere, edere, uel ab alijs scriptos proferre, deq̄ suo errore disputare illis non licet. Docentes illā heresin ultimo supplicio adficiuntur. Libri deniq; corū incendio concremandi. De apostatis hæc in iure cauentur, ut si quis à Christianismo ad Iudaismum defecerit, eius bona publicentur: eiq; ius testamenti facienda denegatur. factum tamen ab eo testamentum intra quinquēnium impugnari debet: quo tempore elapso, postea impugnari amplius non potest. Sed & qui ad quamcunq; heresin à Christianismo defecerit, alijs succedere, uel relicta capere, & testimonium dicere prohibetur, & excommunicatus esse iubetur, quāuis agat pœnitētiā. Accusatio quoq; aduersus apostatas perpetua est, nec illorū morte finitur, ijsq; ius alienandi denegatur. Qui autem apostatam aliquem uel uē uel persuasione fecerit, ultimo supplicio adficitur, bonis eius publicatis. Postremò apostatæ omnium hereticorum pœnis tenentur, & relegantur. Hæc de apostatis. De Iudæis illud cauetur, ut quod illorum universitati legatum est, nullius sit momenti. Et si aliquē, qui ex ijs ad Christianismum adspirauerit, saxis aut alio furoris genere obruerint, flammis concremari iubentur. Synagoga Iudæorum pro hospitio esse uetatur. Iudæi à curialibus muneribus immunes non sunt: cum Christianis autem matrimonia contrahere prohibentur, & leges eorum de matrimonio antiquantur. Iubeturq; cum in causis matrimonialibus tum in alijs

Roma.

L I B E R T E R T I V S. 314

Romanorum uti legibus. Precium rerum quas Iudæi uendales habent, nemo exterus religionis eorum statuere debet. Illi enim sua quanti uolent uendere possunt. Citra contemptum uerò Christianæ legis suorum seruare debent. Die autem sabbathi ac alijs festis molestandi non sunt: nec uis illis ullo tempore inferenda. contra quoq; illi Christianis uim inferre prohibentur. Si qua uerò lis sit inter Christianum & Iudæum, ea non à senioribus Iudæorum, sed ab ordinarijs iudicibus dirimenda est. Si Iudæus hominẽ Christianum circumciderit, uel circumcidendũ mandauerit, perpetuo exilio & honorũ publicatione punitur. Iudæorum primates suo periculo anniuersarium canonem de synagogis omnibus exigere debent. Ab omni autem dignitate & honore Iudæi arcentur. à muneribus tamen propterea immunes non sunt. Nominis quoque synagogas Iudæi extruere, item mancipium Christianum habere prohibentur. Hæc de Iudæis. De cœlicolis, quorum nomen inauditum dicitur atq; nouum, illud cauetur, ut ijsdem poenis, quibus & alij hæretici, coerceantur: & edificia eorum, in quibus conuentus agunt, Ecclesijs addicantur. Paganorum insuper hæresis atq; superstitio prohibetur, ita ut crimẽ publicum reputetur, & domus, aliud uel prædiũ, in quo conueniunt, fisco addicatur: dominusq; qui sciens illis ad hoc domum prædiũ uel concesserit, si quidem dignitate uel militia decoratus sit, amissione

K a amissione

amissione militiæ uel dignitatis, necnon rerum suarũ
 proscriptione plectatur. Sini uerò priuatus sit, post
 corporis cruciatus operibus metallorum aut perpe-
 tuo exilio puniatur. De Samaritanis illud cau-
 ne alijs succedere, relictãue capere, neq; alijs relinque-
 re possint: exceptis dũtaxat rusticis Samaritanis, idq;
 ob publicũ bonum agriculturæ. Præterea Samarita-
 nis interdicitur omni militiã, dignitate atq; honore.
 Baptizati autem Samaritani, si ad suum errorẽ reuer-
 si fuerint, proscribuntur & relegãtur. Antequã uerò
 baptizentur Samaritani, per duos annos in fide in-
 stituendi sunt, & pro uiribus scripturas ediscere de-
 bent. Pueros tamen, qui per etatẽ doctrinas intelligen-
 re nequeunt, etiã absq; hac obseruatione baptizare
 licet. Nullus quoq; Samaritanus Christianũ mancipiũ
 habere conceditur: ideoq; emptũ ab eo protinus in li-
 bertatẽ rapitur. Idẽq; dicendũ, si seruus Samaritani
 Christianus fuerit factus: nã hoc ipso liber efficitur.
 Hæc de Samaritanis. Postremò inter hæreticos nu-
 merantur, qui ab Ecclesiasticis anathemate notati
 sunt: ut Anthimus, Seuerus, Petrus, Zoorat, & horum
 exemplo alij quoq;, qui Ecclesiasticorum sententiã
 tanquam hæretici sunt damnati. Hactenus de hæreti-
 cis tam in genere quã in specie dictum est: necnon
 de Ecclesiasticis tum personis, tum rebus, tum deniq;
 actibus, generaliter simul & specialiter actum est. Sũt
 persunt tamẽ quedam specialia de orphanotrophijs,
 xno-

*xenodochijs & similibus collegijs hic ad finem subij-
 cienda. Et primum quidem de personis horum colle-
 giorum: hinc de rebus. Orphanotrophi igitur tutori-
 bus & curatoribus æquiparantur, suosq; orphanos
 etiam sine satisfactione defendere, resq; eorum iudi-
 care & possunt & debent. Ideoq; res etiam orphano-
 rum illis tradendæ, & ab ijs custodiendæ sunt: nec a-
 lienandæ, nisi propter scœnus forsan, aut quia seruari
 non possunt, aut ob aliam urgentem causam: quibus
 tamen casibus æstimatio earum prius à magistratu fa-
 cienda est. Orphanotrophos iure quidē antiquo ratio-
 nes reddere non erat necesse: quod tamen iure nouo
 mutatum ac sublatum est, cautumq; ut & tutelaribus
 & curatorijs rationibus sint obnoxij. Ideoq; orpha-
 notrophi, ptochotrophi, nosocomi & similes, res suas
 post tale officium adq̄sitas alienare prohibentur.
 Quod ad res & priuilegia dictorum collegiorum at-
 tinet, sciendum, orphanotrophijs, xenodochijs & alijs
 similibus collegijs omnia priuilegia, quæ Ecclesiæ
 sunt, conseruari. Ideoq; donatio illis facta insinuatio-
 ne non indiget, resq; illis ex causis lucratiuis adq̄si-
 te à lucratiuorum inscriptione sunt immunes. Sed &
 alia horum priuilegia uide supra inter priuilegia
 Ecclesiarum. Hastenus ergo de iure ecclesiastico, e-
 iusq; partibus ac membris sit dictum: nunc de
 iure Imperatoris & fisci di-
 cendum.*

78
INSTITUTIONVM
DE IVRE IMPERATORIS
& fisci. CAP. V.

De perso-
nis Impera-
toris & fi-
sci

Hic, ut in precedentibus, primum de personis
seu ministris, hinc de rebus imperatoris & fi-
sci atq; privilegijs agetur. Quod igitur ad
personas seu ministros Imperatoris attinet, inter hos
numerantur privatae & linteariae uestis magistri, the-
saurorum praepositi, baphiorum ac texturorū pro-
curatores, ceteriq; quibus huiusmodi sollicitudo com-
mittitur: qui ad rem ararij procurandam sine satisfac-
tione prius praestita accedere prohibentur. Omnes
autem conductores homines ue domus Imperialis le-
gitimis iudicijs subiecti sunt, nec patrocinium alijs li-
tigatoribus praestare debent, nec executionis ministe-
rium ulli accommodare, uel alijs negocijs tum priua-
tis tum publicis se immiscere. De procuratore Cesa-
ris uel rationalis specialia haec notanda, primum qui-
dem, quod acta a procuratore Caesaris perinde ha-
beantur, ac si ab ipso Cesare acta essent. Ideoq; eius
iussu seruus Caesaris adire hereditatem potest: & si
Caesar haeres instituatur, miscendo se hereditati he-
redem Caesarem facit. Si tamen ea soluendo non sit,
causa cognita Imperatori succurritur. Sed etsi uen-
ditionis, transactionis uel donationis causa quid agat,
nihil agit: non enim alienare ei rem Caesaris, sed dili-
genter gerere commissum est. Ideoq; si rem Caesaris
quasi rem propria tradat, dominiū nō transfert: tūc
enim transfert, cum negocium gerens Caesaris consen-

Suis ius tradit. Porro procurator Cæsaris ius depor-
 tandi non habet: quia pœne constituendæ ius non ha-
 bet. Ius aut probibendi habet, ne in prædia Cæsaris
 quis accedat. Ius tamen remittendi eius quod ita pro-
 hibuit non habet. Præterea uniuersi fundi templorū
 ad procuratoris Cæsaris sollicitudinē curāq; pertinet.
 Cause quoq; fiscales apud procuratorē Cæsaris pera-
 gende sunt, ut supra quoq; diximus, nō tamē absente
 fisei aduocato. Hec de procuratore Cæsaris. De comi-
 te atq; palatinis sacrarū & priuatarū largitionū hæc
 habentur in iure, primū quidē, quod palatinis hæc
 cura esse debeat præcipua, ut periculo proprio nota-
 rijs destinatis super negligentia iudicū (si ita res exe-
 gerit) conquerantur, ne eorū sit impunita desidia. Iu-
 dices quoq; de eorū nominibus referre cōuenit, quos
 cōmodis proprijs magis q̄ utilitatibus publicis stude-
 re prouiderint. Breues uerò quadrimestri ad offi-
 ciū palatinū dirigendi, aurumq; exactū ad sacras lar-
 gitiones sine ulla dilatione mittendū est. Si item quid
 negoeiorū actitatū fuerit, in quibus aliquid cōmodi fi-
 scalis appareat: ad officii rei priuata acta transmit-
 tenda, ut instructione percepta, quid sibi iuris auxi-
 lio debeat, agnoscat. Ad palatinorū insuper curam
 & rationalium officia omnium rerum Cæsaris & to-
 tius ppetuarij, hoc est Emphyteuticarij iuris exactio
 pertinet. Palatini autem ab extraordinarijs & sordi-
 dis muneribus, susceptionibus & temonarijs onerib.,

immunes sunt: pro capitibus tamen seu iugis suis pensionem atque obsequia recognoscunt. Nihil omnino ullis iudicibus cum palatinis, qui à comitibus diriguntur, debet esse commune: excepta reuerentia, quae ipsis non solum ab inferioribus, sed etiam à maioribus, et in prouincia degentibus rectoribus prouinciariū debetur atque defertur. Princeps palatiorum ad aliam dignitatem adspirare prohibetur. Reliqua de palatinis uide in meis Digestis. Sequitur de aduocatis fisci, qui contra fiscum patrocinium praestare non possunt, ut supra suo loco dictum est. Fisci commodè occultare non debent, nec tamen fisci nomine priuatis calumnias mouebunt. Sanè officium aduocatorum fisci biennio tantum durat, quamuis iure antiquo annuale tantum erat. Salarium uero annuum illis erat sexaginta librarum auri, calendis octobribus soluendū, quod etiam ad eorum haeredes transit, si in officio fuerint defuncti. Praeterea aduocati fisci à muneribus immunes sunt, et à cohortali atque curiali fortuna liberi. Comituum dignitatem sortiuntur. finito autem officio, exconsularis moderatoris prouinciae dignitate decorantur: et non nisi pro se et certis personis patrocinium praestare permittuntur. Circa fortulas quoque aduocati fisci priuilegium habent. Sed plura de aduocatis fisci uide in meis Digestis. Sed et de actoribus et susceptoribus tributorum ac censuum fisci, de procuratoribus metallorum, de metallarijs et

ijs qui metallis fodiendis addicti sunt, de monetarijs,
 de bapheis seu tinctoribus pannorum Cæsaris, de gi-
 neciarijs seu ijs qui pannos imperiales texunt, de ba-
 stagiarijs, de murilegulis, de conchilegulis, de fabri-
 censibus, de pistoribus, de suarijs, de colonis & ser-
 uis, reliquaq; familia Cæsaris & fisci, quæ in iure ha-
 bentur, cum plus obscuritatis quam utilitatis habeant,
 hic prudens omitto. Si quis autem curiosius ista requi-
 rat, ex Digestis meis petere potest. Nunc de rebus
 Imperatoris & fisci partim in genere, partim in spe-
 cie nobis est dicendum: & primum de ijs adquiren-
 dis. Acquiruntur autem fisco res per nunciationem et
 delationem, per actiones, per tributorum indictionem et
 exactionem, per uectigalia & commissa, de quibus sin-
 gulis ordine dispiciendum. Quod igitur ad nuncia-
 tionem, delationem, necnon actiones fiscales attinet,
 causæ ex quibus nunciatio uel delatio ad fiscum fieri
 possit, uel fisco actio competere, hæserunt sunt: Si quis
 quod tacite relictum est non capaci deferat: uel quod
 mors ab heredibus non uindicetur: uel quod indignus
 quis hæres nunciatur: uel quod princeps hæres insti-
 tutus est: uel quod testamentum siue codicilli subre-
 pti esse nunciantur: uel quod dicatur quis thesau-
 rum inuenisse: uel magni precij rem minoris ex fisco
 comparasse: uel præuaricatione fiscum uictum esse:
 uel cum decessisse, qui in capitali crimine esset: uel e-
 tiam post mortem aliquem reum esse: uel domum de-

De rebus
 Imperato-
 ris & fisci.

structam esse: uel ab accusatione recessum esse: uel rem litigiosam uenundari: uel poenam fisco ex contractu priuato deberi: uel aduersus leges commissum factum esse. Quod diximus, Si quis quod tacite relictum est non capaci deferat, ex eo fisco actionem ad id quod tacite relictum est petendum competere: id exceptionem recipit in casu, quo testator uoluntatem mutauit, nec tacitum fideicommissum post mortem suam praestari uoluit. Ex eo tamen non praesumitur mutata testatoris uoluntas, si cum in testamento uni heredum praecipiones dedisset, & eius fidei tacite commississet, postea alio testamento facto nullas praecipiones heredi dederit. Ideoq; alijs argumentis uoluntatem testatoris in tacito fideicommissio mutatam esse probandum est, ut fiscus repellatur. Sed & plura de hac re alibi proponuntur. Quod insuper diximus, Vel quod mors ab heredibus non uindicetur: idem etiam dici debet, si maritus mortem uxoris necate non uindicauerit: hoc enim casu dos fisco uindicatur. Sed & praeter causas superius enumeratas sunt et plures, ex quibus fisco defertur & actio competit. Nam si in fraudem ciuiliu muneru per tacitam fidem praedia sunt alienata, ea fisco uindicantur, tantumq; alterum interdictae rei minister de suis bonis cogitur soluere, items si quis sine herede decesserit, fiscus defuncto in bona uacantia succedit. quod tamen ita uerum est, si bona soluendo sunt: alioquin si ex his fisco nihil adquiri possit.

fit, ea ueneunt. Sed & uacantiū bonorum nunciatio quadriennio finitur. Ideoq; eo elapso fiscus bona uacantia petens quadriennij præscriptione repellitur. Tempus aut quadriennij ex die, quo certū esse cœperit neq; heredem, neq; bonorum possessore extare, cōputari oportet. Itaq; post irritum testamentum factum, et intestati possessionē ab omnib. repudiatam, qui gradatim petere debuerunt, uel post temporis finem, quod singulis præstitum est, computabitur. Planē si intra quadriennium denunciatio bonorum uacantium fit facta, temporis præscriptio interruptitur. Si tamen uacantium bonorum delator facta denunciatione destitit: post quatuor annos secūdo delatori uenienti prior nūciatio, quō minus præscriptione temporis submoueatur, non proderit: nisi prioris præuaricatio detegatur: quo declarato, non solum præscriptio, sed & negocij quæstio perimetur. Præterea fiscus à bonorum uacantium petitione repellitur, si Imperator ea possessori concesserit: neq; enim à fisco controuersia ei mouenda, qui quoquo modo aut titulo easdem res possederit. Sed & si fortē res duob. ab Imperatore donata sit, & unus ex ijs sine heredē decesserit: socius fisco in successione præfertur. item si præfectarius sine heredē mortuus fuerit, præfectus prætorio, non fiscus, bona eius uacantia iudicabit. Hæc de bonis uacantibus fisco deferendis. Præterea fisco uel Imperatori acquiritur donationibus

tionibus ei factis . Si tamen lites ei donate sint , ipso iure donatio non ualeat: quia iudicij mutandi causa uidentur alienata. Insuper si is qui prouincie praest, in ea quid contra leges comparauerit : infirmato contractu aestimatio eius fisco debetur. Item si miles in ea prouincia, in qua militat, praedium comparauerit, id fisco acquiritur. Obsidum quoq; & captiuorum bona fisco uindicantur. Idem etiam dicendum de bonis eorum, qui in colonias deducuntur. Si nauis uiuentorum uel naufragio facto expulsa fuerat ad littus, iure quidem antiquo nauis cum mercibus fisco uindicabatur; quod tamen ius tanquam inhumanum iure nouo mutatum atq; sublatum est. Adquiritur demum fisco ex auri & argenti fodinis : item decimae acquiruntur fisco e saxis effosis . Multae deniq; indictae fisco inferendae sunt, nisi iudex publicis operibus uel cursui publico, uel alijs necessarijs causis specialiter eas deputauerit. Haec de causis, ex quibus fisco acquiritur, sunt dicta. acquiritur tamen praeter ista fisco ex censibus & tributis, de quibus infra dicetur. Quibus autem ad fiscum delatio competat, nunc dicendum est. Et sane mulieres propter sexus infirmitatem deferre non possunt: nisi forte seipsas deferant. Idem de pupillis quoq; dicendum est. Clarissimi quoq; uiri deferre non possunt. item damnati iudicio publico: nisi ante damnationem delatio coepta sit. Veterani quoq; delatores esse prohibentur, propter

propter honorem utiq; & merita militiæ. Idem de militibus dicendum. Serui etiam delatores dominorum audiendi non sunt: item liberti delatores patronorum. Idem dicendum de tutoribus & curatoribus, nec non procuratoribus, qui deferunt eos quorum tutelam uel curam gesserunt. Sed nec uenditor emptorem de re uendita deferens audiendus est. Plures huiusmodi regulas enumerauimus supra in accusationibus. Planè regule hæc locum non habent, si quis seipsum deferat: quemadmodum exemplo fœminæ & pupilliam ostensum est. Sed & communem causam sibi cum fisco quiuis deferre potest: nec per hoc famosus est, licet non obtinuerit. Nemo autem sine fisci aduocato deferre potest. Quamcunq; uerò questionem apud fiscum (si non alia sit propria præscriptio) uiginti annorum silentio præscribi cautum est. Quæ præscriptio solet ex eo numerari, ex quo quid ad fiscum pertinere potuit. Sed & causæ, quæ statim motæ sunt, & tractæ ultra uicesimum annum, differri possunt & post uicesimum annum. Illæ quoq; causæ, quæ à priore nunciatore proditæ dicuntur, etiam post annum uicesimum possunt nunciari. Super sunt euentus delationis & nunciationis. Horum primus est, quod is qui seipsum detulit, profitendo sibi, quod capere non possit, relictum esse: dimidiam partem præmij nomine accipit: Nihilq; interest, quæ causa impediatur ius capiendi: Planè id deferri debet quod latet;

latet, non id quod iam ab alio est delatum. Si tamen cum ante apertum testamentum, tacitum fideicommissum nunciatum esset ab his qui fidem tacitā susceperāt, deinde post apertas tabulas à fideicommissario delatum esset: diuus Antoninus recipi possessionem eius iussit: neq; enim dignam esse præmio tam præcipitem festinationem prioris: & cum quis se nunciet nō capere, potius confiteri de suo iure, quàm alium deserere uidetur. Sed etsi non ei qui desert, relictum est fideicommissum, uerùm alij: quamuis deferenti actio, si utile esset fideicommissum, competeret: tamen præmiū delationis non sortitur. puta si seruo deferentis relictum sit: item si, cum defuncto incapaci tacitè relictū esset, hæres eius detulerit: nā hæredi dimidia pars nō debetur: nisi fortè defunctus, cū se deferre uellet, morte præuentus se nō detulit. Præterea ij qui quasi indigni repelluntur, submouendi sunt à præmio: id est, ij qui de inofficioso egerunt, uel falsum dixerunt testamentum, qui usq; ad finem litis oppugnaverunt testamentum. Illud aut nō interest, si is qui alioquin ad fiscum deferre nō potest, se deserat: huic enim nihilominus præmiū dimidiæ partis debetur: ut foemina, pupillus, etc. Quamuis item eius, cuius fidei tacitè commissum est, bona sint publicata, nihilominus seipsum deferens præmium sortitur. Planè is qui se desert, dodrantis tantum, non totius assis dimidiā partē aufert. Hæc de eo qui seipsum desert, dicta sunt. Porro si quia
alium

alium deferat, uel inutiliter seipsum: tertiã eius quod
 defert partẽ præmij loco cõsequitur: nisi magis pro-
 prie cause quã fisci gratia detulerit. Ideoq; delato-
 ris opera non esse functum Papinianus respondit, qui
 fisci pecuniã, quam alius tenebat, ad sui temporis ad-
 ministrationem pertinere (quam probare nõ potuif-
 set) contendit quoniam propriam causam egerat. Sed
 & cum qui periculum communis condemnationis
 diuidi postulauit, quòd participes iudicati soluendõ
 essent: reuocatis alienationibus, quas fraudulen-
 ter fecerant, non uideri causam pecuniæ fisco nun-
 ciasse, idem Papinianus respondit. Hæc de præmij
 delationis. nunc de pœnis eiusdem. Si igitur dela-
 tor citatus non comparuerit, eadem pœna tenetur,
 qua teneretur, si causam non probasset: scilicet ut
 præter infamiam quam incurrit, etiam tantum ab
 eo exigendum sit, quantum aduersarius ærario sol-
 ueret, si delator suam delationem probasset. quod ta-
 men ita accipi debet, si non suã magis quã fisci cau-
 sam delator egerit: nã si suã magis quã fisci causam, uel
 causam sibi cum fisco cõmunem detulerit, quãuis nõ
 obtinuerit, impunitum ei erit. Idem dicendum, si cum
 ab officialib. fundum seu domũ fisci possidere dicere-
 tur, is nõ se, sed alium eius rei possessore esse mōstra-
 uerit: nã & hic macula uel crimine delatoris nõ ad-
 spersitur. Sed et ex uaria statutorũ diuersitate ad id
 decursum est, ut hi q reipub. causas defedũt, delatoriũ
 crimini-

criminibus non teneantur: cum omnibus notissimum
 sit, eos solos execrabiles nunciatores esse, qui fisco de-
 ferunt. Is quoque qui officij necessitate tractus detulit,
 non punitur. Idem dicendum de eo quoque, qui non
 premij consequendi, item de eo qui ulciscendi gratia
 aduersarium desert: Sed & ei qui errore lapsus sei-
 psum detulit, hoc nocere non debet: si modò talis sit,
 qui iuris ignorantia excusatur: alioquin ei nocebit.
 Non autem solum delator causa non probata puni-
 tur, sed et mandator, quem delator exhibere debet. Is
 autem qui delatorem submitit in causa pecuniaria,
 eadem poena tenetur, qua tenentur hi qui ob instruē-
 das lites falsas pecuniam acceperunt. Sed & qui de-
 latorem subiecit, tantum in ærarium deferre iubetur,
 quantum premij nomine delator consecuturus fuis-
 set, si uicisset. Si quis uerò arguatur falsas rationes de-
 tulisse, de eo præfectus ærario cognoscere, & quan-
 tam fraudem inuenerit, tantam pecuniam in ærarium
 inferri iubere debet. Cogitur autem delator ad finē
 persequi suam delationem, nec potest, si uelit, desiste-
 re: ideoque nec cum delato transigere ei licet. Hæc
 quidem de delatore. In delato hæc eueniunt, ut si de-
 lator non comparuerit, is absoluitur, ratione tamen
 sententiæ inserta, quòd propter contumaciam dela-
 toris fuerit absolutus: Delatus autem non tenetur
 probare uel dicere titulum suæ possessionis, quemad-
 modum nec alius reus. Qui uerò delatus ommissa de-
 fensione

ensione sententiam redimere maluit, cum illi crimen obijceretur: quingētos solidos fisco inferre iussus est. Sed & pro confesso habetur, qui delatorem uel iudicem corrupit. de qua re supra libro prox. diximus.

Hactenus de nunciatione & delatione ad fiscum dictum est: nunc de actionibus fisci dicendum: quamquam ex precedentibus plura etiam ad eas pertineant. Ex quibus enim causis fisco actiones competant, ex ijs quæ dicta sunt, patet. In rem aut actionem ex tacito fideicommissio fiscus habet. Per quos autem fiscus suas actiones exercere possit, dicetur infra de exigendis censibus & tributis. nunc aduersus quos actio fisco sit danda, uidendum. Et quidem si fisci debitor exactori soluit cautione siue apochâ à tabulario non subnotata, per eam solutionem nō liberatur. Prius tamen exactor à fisco conueniendus est: qui si soluendo non sit, debitor qui soluit, à fisco conueniri potest. Si item susceptores tributorum, alijq; qui ad præposituram horreorum & pagorum creati sunt, fisco fuerint reliquati, neq; soluēdo sint: nominatores eorum fisco tenentur. quod si ne ab his quidem fiscus suum consequatur, consortes atq; socij susceptorum & exactorum tenebuntur. Sed & debitoris sui debitorem fiscus conuenire potest, si debitum non inficietur: alioquin si neget se debitori fisci debere, absoluedus est. Si tamen exceptionem dilatoriam, non peremptoriam opponat, adiuari non debet, sed ad

De actionibus fisci

l. solui

solutionem nihilominus est cōpellendus, si modo cer-
 tum sit debitum iri. Sed & rescriptis principum ca-
 uetur, non aliter fiscum debitorum suorum debitores
 conuenire, nisi principales debitores defecerint, uel
 ex ratione fisci nomina facta liquido adprobentur,
 uel ex contractu fiscali debitores conueniantur. Em-
 ptores quoq; atq; possessores bonorū debitoris fisci,
 fisco tenentur: de quo paulo inferius dicetur. Is etiam
 qui fisci debitorem uel exemit, in solidum debitum fi-
 sco tenetur. Porro delata uel euieta fisco hereditate,
 rationes quoq; & instrumēta hereditaria debentur:
 nec possunt ulla bona uacantia ad fiscū pertinere, ni-
 si quæ deducto ere alieno supersunt. Si autē priuatus
 simul & fiscus eandē petat hereditatē, priuati actio
 differenda est, donec fisci causa peragatur. Quod ue-
 rò ad tēporis præscriptionē attinet, ea fiscalib. actio-
 nibus æquē ac priuatis obstat. Quādiu autē actiones
 fiscales cōpetant, dictum est supra. Bona quoq; rei cō-
 uenti ante sententiam inquietanda nō sunt, neq; ipsi
 reo defensio deneganda. Petenti etiā ad cōparandam
 pecuniā dilatio danda est. cuius rei æstimatio ita ar-
 bitrio iudicantis cōceditur, ut in maiorib. summis nō
 plus q̄ tres menses: in minorib. uerò, nō plus quā duo
 prorogentur. Prolixioris autē temporis spaciū ab Im-
 peratore postulandū est. Si quis uerò unus ex plurib.
 expediendi negocij causa tributa in solidum soluerit
 aduersus ceteros, quorū æquē prædia tenentur, ei qui
 soluit

solut actiones à fisco præstade sunt: quia quodammodo nominum uenditorum precium acceptum uideatur. Sed & hæres, qui non habita ratione tributoris ex causa fideicommissi prædia restituit, actionem aduersus fideicommissarium habet. Bonis autem ad fiscum delatis, puta ijs hæredi tanquam indigno ademptis, nihilominus ea quæ in testamento relicta sunt, ualent, & fiscus creditoribus hæreditarijs tenetur.

Hæc de fisci actionib. in genere dicta sunt. Nunc de duab. fisci actionib. in specie dicendum est: prima quidem, quæ datur fisco ad reuocanda ea quæ debitor in fraudem eius alienauit: altera ex locato. In fraudem igitur fisci alienata reuocatur sine distinctione, utrum per donationem, an alio quocunq; modo res fuerint alienatæ. Sed & si, cum acquirere posset debitor, in fraudem fisci non adquisiuit, actioni locus est. Planè cum quidam capitis reus emancipasset filium, ut hæreditatem delatam adiret: rescriptum est, non uideri in fraudem fisci factum, quòd acquisitum non est. In fraudem quoq; fisci datas libertates retrahi placuit. Debitorè tamè ita ab alio emere mancipium, ut manumittat, prohibitum nõ est. Ergo tunc & libertatè præstare poterit. Tunc demum aut fiscus possessoribus bona debitoris sui auferre potest, si debitor ipse, eiusque hæres soluendo nõ est. Sed et alienata antequam fisci debitor esse coeperit, reuocanda non sunt. Hæc actio in eum q aliquid sciens in fraudem fisci suscepit, in duplum

l. 2 datur

datur: interdum etiam in quadruplum: ita tamen, ut
 si plures in fraudem fisci susceperint, non ut in furti
 actione singuli solidum, sed omnes semel quadrupli
 poenam pro uirili portione debeant. Pro non idoneis
 tamen idonei tenentur. Planè non esse præstandas u-
 suras, cum pecunia, quæ creditori in fraudem fisci so-
 luta est, reuocatur, conuenit: quoniam res, non perso-
 na conuenitur. Postremò reuocata pecunia, quæ cre-
 ditori in fraudem fisci soluta erat, creditori utilis da-
 tur actio tã aduersus debitorẽ eiusq; hæredes, quã
 aduersus fideiussores & pignora: nec interest, id i-
 ipsum quod solutũ est, an tantundem repetatur. Nunc
 de locati actione, quæ fisco competit, quædã sunt no-
 tanda. Et quidem quod ad causas huius actionis atti-
 net, de ijs dicitur infra in locatione rerum fiscalium.
 Illud notandum est, quod si quis rem fisci certa pen-
 sione conduxerit, siue ad tempus siue in perpetuum,
 eamq; rursus alij locauerit, qui non sit idoneus, is pro
 eo quem succedaneum subrogauit, teneatur. Non ta-
 men tenetur ultra eam quantitatem, qua ipse condu-
 xit, licet rem alij pluris locauerit. Si tamen condu-
 ctor ex fundo fiscali aliquid transtulerit, cupressi ma-
 teriam uendiderit, uel oliuæ, non substitutis alijs, ar-
 boret sue pomiferas ceciderit: facta eius rei estima-
 tione in quadruplum tenetur. Finito autem condu-
 ctionis tempore, fideiussor non ulterius pro condu-
 ctore inuitus obligatus est: sed nec ipse conductor in-
 uitus

mitus in conductione detineri potest, quamvis alius conductor reperiri non possit. Hæc de fisci actionibus tam in genere, quàm in specie sunt dicta. Sed et plures fiscalium actionum species tractabuntur in sequentibus.

Nunc de censibus & tributis dicendum, cum ad res fisco acquirendas spectent. Primum autem de illis indicendis dicetur: hinc de illis exigendis & suscipiendis: postremo de ijs transmittendis & transvehendis. Censuræ igitur partim personis imponitur & capitatio appellatur, partim rebus. Cum autem antea per singulos viros, per binas uerò mulieres capitatis norma esset, tandem binis ac ternis uiris, mulieribus autem quaternis ius unius capitatis pendendi tributum est. Ab hac uerò capitacione excipiuntur plebs urbana, & coloni Thracenses. Sed & quibusdam ætas tribuebat, ne tributo onerarentur: ueluti in Syrijs à quatuordecim annis masculi, à duodecim foeminae usque ad sexagesimum quintum annum tributo capitatis obligabantur. ætas autem spectabatur censendi tempore.

Rebus ita census indicitur, ut lacus quoque piscatorios, & portus in censum dominus deferre debeat. Salinae quoque, si quæ sunt in prædijs, æquæ et ipsæ in censum deferendæ sunt. Deserta quoque & sterilia prædia ijs qui fertilia possident attribucenda sunt, & ab ijs in censum deducenda, si is qui sterilia tantum habet, ea in censum deducere recuset. Ecclesia tamen

L 3 sterili-

De censib.
& tributis.

sterilibus prædijs oneranda non est. Sanè & alia hoc casu remedia præscribuntur in iure, quo fiscus indemnis seruetur: de quibus licet uidere mea Digesta. Omnium autem bona censibus & tributis obnoxia sunt, etiam eorum qui alias à muneribus excusantur. Proinde & eorum qui in dignitate positi sunt, prædia publicis necessitatibus obnoxia sunt. Quinimò Imperator quoque & Ecclesia res tributarias emens, tributa pro ijs soluere tenetur. Prædia tamen Italica ab hoc onere immunia sunt, necnon quarundam aliarum ciuitatum & prouinciarum, quæ iuris Italici esse dicuntur: ut Phœnice in Syria, Lugdunum in Gallia, Colonia Agrippina in Germania, & aliæ plures, quæ in Iure enumerantur. Beneficio quoque Imperatoris quorundam prædijs immunitas concedi potest. Et quanquam priuilegium personæ datum cum persona extinguitur, tamen rebus datum priuilegium ad successores transit. Idem dicendum, si ciuitati immunitas sit concessa: nam & hoc beneficium ad posteros transmittitur. Officinæ quoque siue tabernæ urbis Constantinopolitanæ immunitatis beneficio donatæ sunt. Porro si quis agrum in alia ciuitate habet, in ea ciuitate eum in censum deducere ac profiteri debet, in qua ager est: agri enim tributum in ea ciuitate debet leuari, in cuius territorio possidetur. Nullius autem census uel tributum indictio sine Imperiali authoritate ualet. Ita autem prædia

prædia in censum deducenda sunt. Nomen fundi cuiusque, & in qua ciuitate, & in quo pago sit, & quos duos uicinos proximos habeat: & aruum, quod in decem annis proximis satum erit, quot iugerum esse uideatur: uinea quot uites habeat: oliuetum quot iugerum, & quot arbores habeat: pratium, quod intra decem annos proximis factum erit, quot iugerum: pascua quot iugerum esse uideantur: item syluæ cædæ, omniâque ipse qui defert æstimabit. Illam enim æquitatem debet admittere censitor, ut officio eius congruat releuari eum, qui & in publicas tabulas delato modo frui certis ex causis non potuit. Quare & si agri portio chasmate perierit, debet per censitorem releuari. Sed & si uites mortuæ sint, uel arbores aruerint, iniquum fuerit eum inseri numerum censui. Quod si exciderit arbores uel uites, nihilominus iubetur eum numerum profiteri, qui fuit census tempore: nisi causam excidendi probauerit censitori. In seruis deferendis obseruandum est, ut & nationes eorum, & ætates, & officia, & artificia specialiter deferantur. Porrò per unamquamque indictionem particulares delegationes contributionum futuræ indictionis insinuari iubentur, quæ significant quantum in quaque prouincia siue urbe cuique iugerum, uillarum, aliorumue quorumcunque nomine tam in specie quàm auro publicorum tributorum titulo

impositum sit, quæq; declarent tum specierum æstimationem, tum quid ex ijs in arcã inferri, aut in quaque prouincia præstari insumiuue conueniat,

De exigendis ac suscipiendis censibus atq; tributis hæc maximè cauentur: primum quidem, ut exigendi munus ad præsidem prouinciæ eiusq; officium pertineat, nec palatinis ab eo demandari possit. Deinde, ne alius uel alterius prædia pro tributo ab alio debito molestantur. item, ut ab ipso domino prædij, non colono, tributum exigatur: nisi forte colonus proprias habeat possessiones. Sed & possessor fundi qui fructus percipit, non auctor, de tributo conueniri debet. Daturq; facultas ei qui argentum debet, ut pro eo aurum inferat, ita ut pro singulis libris argenti quinos solidos auri inferat, ad collationem tamen auri coronarij nemo absque consuetudine est cogendus. Quotiescunque autem certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri massa transmittitur; in septuaginta duos solidos libra acceptoferenda. Sed & quoties de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet per singulas ciuitates unum constitui, qui pro sua fide atque industria neque fallat, neq; fallatur, eamq; contentionem dirimat. Aeris precia ita exigenda sunt, ut pro uiginti libris æris, unus auri solidus à possessore soluatur. Præterea meliorato et aucto fundo, augetur quoq; eius tributũ: quemadmodum cõtra deminuto fundo

fundo eiusq; estimatione, tributū quoq; deminuitur. In uectigalibus & tributis quoniam ipsa prædia, non personæ conueniuntur, possessores etiam præteriti temporis uectigal soluere tenentur, eoq; exemplo actionem, si ignorauerint, habent. Si tamen prædia deserta, uel quòd prior possessor non soluit, ad alium à peræquatore sint translata, nouus possessor præteriti temporis tributum soluere non cogitur. Susceptores quoq; noui non modò præsentis anni debita, uerum etiam species, quas ex reliquis inferunt, quia non uel sunt ad crescentes, suscipere iubentur. Hi uerò qui ad exigenda tributa mittuntur, mandatum speciale ante exactiōem in prouinciali iudicio eo nomine insinuare debent: quod & in priuatis debitis obseruandum est. Quo factò, si qui tributa soluere recusaerint, per præsidem prouinciæ cogendi sunt. Soluentibus autem apochæ ab exactoribus dandæ sunt, quæ & pecuniæ numeratæ, & specierum, nec non iugorū seu uillarum, siue etiam centuriarum quantitatem, præterea possessionum, pro quibus tributa penduntur, nomina contineant. Exacta uerò pecunia statim ad thesaurarios prouinciæ referri ac consignari debet, nunciariq; ab exactore quid exactum sit, quidq; perlatum: ratioq; singulis annis reddenda. Porro de tempore exactiōis notandum, quòd specierum quidem illatio protinus ex primordijs cuiusq; indiotionis incipiat, tituli uerò argentarij statis temporibus.

Particularis quoq; solutio fieri potest, & id quod offertur quandocunq; intra annum exactor suscipere cogitur. Quòd si intra annum tributum solutum non sit, quo minus prædiū iure pignoris distrahatur, oblata moratoria cautio non impedit. nec audietur possessor contradicens, ob præteriti temporis tributa actorem soluendo esse. Nec reuocari potest uenditio pignoris, etiamsi prior dominus precium offerat, uel priuatus creditor ius hypothecæ siue pignoris prætendat. Potior enim est causa tributorū, quibus prior loco omnia bona cessantis obligata sunt. Planè si uenditio nulla iusta auctoritate Præsidis præcedente facta est, hanc ratam haberi iura non concedunt. Sed & plura de uenditione pignorum ob cessationem tributorum aliquādo proponentur in generali tractatu distractionis pignorum. Non solum autem distractione pignoris coercetur is qui non soluit tributum, sed etiam translatione prædiorum, item custodia militari. Porro si plus debito tributi nomine fuerit exactum, in duplum actio datur aduersus exactorem: & si in eodem scelere perseuerauerit, capitali poena coercetur. Sin autem minus exactum fuerit, uel aliquid remissum, de suis facultatib. exactor soluere tenetur. Et si negligens in exigēdo repertus fuerit, salario priuatur. Si oblatum accipere recusauerit, in duplum fisco tenetur. Idem dicendum, si exactor aliquid retinuerit, uel in suos usus cōuerterit. Superest de exactis

cenſibus

ensibus & tributis transmittendis transuehendisq̃.
 Et quidem ad comites *erarij* transmitti iubentur, omnesq; omnino naues huic muneri tenentur sine discrimine. Et intra anni spacium transmitti iubentur. Priuata uerò sarcinā huic oneri publico imponi prohibetur. & qui recta nauigatione contempta, littora deuia sectatus species transuehendas auertendo distra xerit, capitali pœna plectitur. Hęc de censibus ac tributis indicendis, exigendis, suscipiendis, & transmittendis sint dicta. Plura huc pertinentia ex meis Digestis cognoscere licet. Sequitur ut dicamus de publicis uectigalibus & commissis. Publica aut uectigalia intelligere debemus, ex quib. uectigal fiscus accipit: quale est uectigal portus, uel uenaliū rerū, itē salinarū et metallorū, & piscariarum. Non aut temerè noua uectigalia constituenda sunt, siue publica siue certarum rerum publicarū. Verūm de hac re Imperator consulendus est, sine cuius aūthoritate uectigalia neq; constitui, neq; reformari, neq; mutari possunt. Proinde is qui nouum uectigal sine Imperiali consensu instituerit, pœna legis Iulie de ambitu plectitur, & lege Iulia de ui publica tenetur. Alioquin legitimè cōstituta uectigalia pendenda sunt, & ex ijs duę partes fisco, tertiā ciuitati iure antiquo debebantur. In omnibus tamen uectigalibus serē consuetudo spectari solet. Ciuitates quoq; uectigalia, quę sibi debentur, locare possunt. Ei autem potissimūm locanda, qui supertor
in li.

in licitatione, quæ coram præfecto prætorio faciendæ est, extiterit, ita ut non minus triennij sine locatio cõcludatur, nec ullo modo interrumpatur tempus exigendis uectigalibus præstitutum. Quo peracto tempore, licitationum iura conductionumq; renouari oportet, ac simili modo alijs locari. Locatio tamẽ, quæ calore licitantis ultra modum solitæ conductionis inflatur, ita demum admittenda est, si fideiussores idoneos, & cautionem is, qui licitatione uicit, offerre paratus sit. Sed nec reliquatores uectigalium ad iterandam conductionem, antequam superiori conductioni satisfaciant, admittendi sunt. Idem dicendum etiam de debitoribus fisci & reipub. nisi fortè tales fideiussores obtulerint, qui debitis eorum satisfacere parati sint. Ad conducendum autem uectigal inuitus nemo compellitur: nisi fortè quis maximos fructus ex redemptione uectigalium consecutus sit, nec postea tanti locari ea possunt: tunc enim ipse ea prioribus pensionibus suscipere compellendus. Socij uectigalium si separatim partes administrent, alter ab altero minus idoneo in se portionem transferri iurè desiderat. Sed & ob non solutas uectigaliũ pensiones uel repellere conductores, necdum etiam tempore conductionis completo, uel ab his usuras ex more exigere permittitur. Vectigali autem non soluto, res de qua uectigal soluendum fuit, in commissum incidit, & fisco uel ciuitati, cui uectigal debetur, acquiritur. Idem dicendum,

dum, si quis illicitas merces uendiderit uel uexerit, ad-
 deo quidem, ut & nauis in qua uehuntur, cum merci-
 bus in commissum incidat. Si tamen absente domino
 id à magistro, uel gubernatore, uel conductore, aut
 proreta, nauitæ factum sit: ipsi quidem capite pu-
 niuntur commissis mercibus, nauis autem domino re-
 stituitur. Præterea si non salinarius sal uendiderit, sal
 istud cum eius precio fisco uel ciuitati addicitur. Idē
 etiam dicendum, si quis præter redemptorem cotem
 ex insula Creta exemerit. Planè quod diximus, rem
 cuius nomine uectigal solutum non sit, in commissum
 cadere, id distinguitur sequentibus modis: primum
 quidem in pupillo. Nam Imp̄p. Antoninus & Verus
 rescripserunt, pupillo remittere se pœnam commissi,
 si intra diem tricesimum uectigal intulisset. Militibus
 quoq; indultum est, ne ob omissas professiones pœna
 commissi teneantur, si uectigal postea soluerint. Fi-
 scus etiam ab omnium uectigalium præstationibus
 immunis est. Mercatores tamen, qui de fundis fisca-
 libus mercari consueuerunt, nullam immunitatem
 soluendi publici uectigalis usurpare possunt. Idem e-
 tiam obseruatur in negociatoribus qui ad domum
 Principis pertinent. Non etiam prodest rescriptum
 principis, quo alicui priuato immunitas à uectigali
 concessa est. Excipiuntur tamen nauicularij, quum
 sibi rem getere probabuntur. Sed & legati gentium
 pro rebus, quas ex Romano solo ad propria deserunt,
 quæ

que tamen lege sunt concessæ, uectigal soluere non tenentur. De rebus quas in usus suos aduehendas sibi mandant Præsides, Imp. Hadrianus præsidibus rescriptit, ut quoties quis in usus suos, aut eorum qui prouincijs exercitibus ue præsumt, aut procuratorum suorum usus sui causa mittat quendam empturum: significet libello manu sua subscripto, cumq; ad publicanum mittat, ut si quid amplius quam mandatum est transferat, id municipum sit. Res autem exercitui paratas præstationi uectigalium subijci non placuit. Præterea pro ijs rebus, quas domum quis ducit usu suo, uel ad fiscum infert, uel exercendi iuris gratia reuehit, nullum uectigal exigendum est. quo casu quæsitum est, primum quidem, quid esset domum ducere, hinc quid esset suo usu ducere? Et quidem quod ad primum attinget, constitutum est, eam domum uniuscuiusque debere existimari, ubi quisque sedes ac tabulas haberet, suarumq; rerum constitutionem fecisset. Quid autem esset Vsu suo, magna fuit dubitatio. Et magis placuit, quod uictus sui causa paratum est, tantum contineri. Itemq; de seruis eadem ratione quæsitum est, qui eorum usus sui causa parati essent? Et Vlpiano uisum est, eos demum usus sui causa patremfamilias habere, qui ad eius corpus tuendum, atq; ipsius cultum prepositi destinatiq; essent: quo in genere ætiores, cubicularij, coci, administratores atq; alij, qui ad eiusmodi usum parati essent, numerarentur. Ad

hæc

hec earum rerum uectigal, quarum nunquam preſtitum eſt, preſtari non poteſt. Quòd ſi preſtari conſuetum indulgentia publicanus omiſerit, alius exercere non prohibetur. Veterana quoq; mancipia in comiſſum non cadunt. Sunt autem ueterana, quæ anno continuo in urbe ſeruiuerunt: nouitia uerò mancipia intelliguntur, quæ anno nondū ſeruiuerunt. Sed & ſerui qui in fuga ſunt, in comiſſum non cadunt, cum ſine uoluntate domini fines egreſſi ſint: ne in poteſtate ſeruorum ſit, inuitis uel ignorantibus dominis fugæ ſe tradendo poteſtati dominorum ſe ſubtrahere. Planè ſi quis per ignorantiam uectigal ſe non ſoluiſſe dicat, non excuſatur. Diui tamen reſcripſerunt, cum quidam non per fraudem, ſed per errorem in cauſam comiſſi incidiſſet, ut duplo uectigalis contenti publicani merces reſtituerent. Itaq; non imputari debet publicano, quòd non inſtruxit tranſgredientē. Sed illud conſtituendum, ne decipiat profiteri uolentē. Si propter neceſſitatem aduerſe tempeſtatis expoſitū onus fuerit, non debet hoc comiſſo uindicari. Si quis etiam profeſſus apud publicanum fuerit, non tamen uectigal ſoluerit, hoc concedente publicano, ut ſolent facere, reſcriptum eſt res in comiſſum non cadere. Cum enim profeſſiones recitantur, comiſſum ceſſat: cū poterit ſatisfieri fiſco ex bonis publicanorū uel fideiuſſorum. Præterea neq; comiſſum, quod ante quinquennium factum dicitur, ſi lite res anticipata non eſt,

uindi-

uindicari potest: neq; pro re quæ in commissi causam cecidit, si ipsa nõ extat, nec dolo supprimatur, precium peti potest. Sed & seruus qui in commissum incidit, si iure manumissus fuerit lite nondum mota, uectigalis nomine compelli uel uindicari non debet. Etiam si autem uel minima pars uectigalis nomine non sit soluta, res in commissum incidit. Est autem solidum uectigal octaua pars sortis. Porro rei quæ in commissum incidit nomine in rem competit actio, & aduersus quemuis possessorem datur. Nam quod commissum est, statim desinit eius esse qui crimen commisit, dominiumq; rei uectigalis acquiritur. Ea propter commissi persecutio, sicut aduersus quemlibet possessorem, sic aduersus heredem competit. Quamuis autem regulariter quidem ipsa res, quæ in commissum incidit, uindicari & uendi possit, interdum tamen eius æstimationo tantum debetur. Sic enim rescriptum est, cum seruus qui actum domini gessisse diceretur, in commissum cecidisset, uenire ipsum non debuisse, sed pro eo uiri boni arbitrato æstimationem oportuisse dari. Sic etiam, si quis improfessus seruus fuerit, & aut uxorem domini corrupisse dicatur, aut aliud grauius quid admisisse, procurator fisci cognoscere debet: et si in his causis seruus cõpertus sit, æstimari debet, dominoq; ad pœnam tradi. Seruis autem commissis, res peculiares non sunt in eadem causa, nisi hoc quod proprio nomine in causam commissi incidit. Sed etsi

res

res communis ob delictum unius in commissum incidit, portio alteri socio non auferitur. Postremò de commissis & hoc notandum, quòd si res commissa uendatur, dominus eam emere non prohibeatur uel per se, uel per suos, uel denique per alios, quibus hoc mandauerit. Hæc de commissis.

Hactenus de rebus fisci acquirendis dictum est: nunc de ijs administrandis & alienandis est dicendum. Sanè nemini licet bona fisco delata occupare, nisi ostensis prius literis Principis: alioquin illi à priuatis resisti potest. Planè petere bona fisco delata nemini licet: etsi petenti concessa sunt; tamen illa concessio, quamuis literis Principis ostensis, uires nullas habet. Si tamen nemine petente Imperator alicui ea concessit, ualet concessio. Delata uero fisco bona ritè atq; solenniter per comitem rerum priuatarum, deinde per rationales in singulis quibuscunq; prouincijs commorantes incorporanda sunt: diligenti stylo sigillatim omnibus perscriptis, & titulo, quo fisco accesserunt, publica testificatione proposito. Res insuper fisci, horreaq; à priuatis usurpari non debent, nec ad alios usus, quàm quibus deputatæ sunt, transferri. Pecus itaque alienum in pascua Principis uel fisci immitti non debet: ædesq; Principis, inclytaq; palatia ab omni priuatorum usu, et communi habitatione excipiuntur. Præterea ne frumenta fisci corrumpantur uel pereant, ad curam præsidis pro-

M lincia

uinciae spectat. In expendendis autem uel erogandis
 ijs illud obseruandū, ut prius uetera q̄ noua frumenta
 expendantur: nisi fortē uetera corrupta sunt: tūc enim
 eis noua miscēda sunt, quorum adiectione corruptio
 uelata damno nō sit fisco. Aqua etiā, quae ad irrigan-
 dos principis uel fisci agros pertinet, tēporis preseri-
 ptione submota recuperari iubetur. De equis princi-
 pis subtractis peculiaris poena statuitur. Pecunia fisci
 mutuo dari sine Principis auctoritate prohibetur.
 De reb. fisci uendēdis illa notatur, quod res quae in cō-
 trouersia sunt, distrahi nō debeant. Res tamē pignori
 alijs obligatae distrahi nō prohibētur, ita tamē ut cre-
 ditores ex eo quod superfluū est, praestentur indēnes.
 Res quoq; fisco cū alio cōmunis in solidum à procura-
 tore fisci distrahi potest, parte tamē precij socio resti-
 tuta. Bonorum fisco uindicatorum actores à procura-
 tore uendi non possunt: & si uenditi sunt, uenditio ir-
 rita constituitur, nisi Principis auctoritas interuene-
 rit. In uendendis autem rebus fisci non respiciendum
 est ad precium, quo fiscus res emit, sed quo nunc esti-
 mantur. Sicut enim diligenti cultura precia praedio-
 rum ampliantur, ita si negligentius habita sint, minui
 ea necesse est. Praeterea in uenditionibus fiscalibus fi-
 des & diligentia à procuratore exigitur. Etsi autem
 fiscus uel Imperator, quod semel uendidit, regulariter
 quidē reuocare non possit: tamen nisi precium fuerit so-
 lutū, rei dominiū ad emptorē non transit. quod in do-
 natione

natione secus est, ubi solutio precij non desideratur. Sed et prohibentur quaedam res fiscales distrahi, quibus distractis nihil agitur, ut paulo superius exēplo actorū ostensum est. huius etiā generis sunt fundi patrimoniales siue fisci limitrophi et saltuenses per tractū Orientis positi: quos ad ius priuatū trāsferre nō licet. Præterea re fisci uēdita uel locata, intra certū tēpus meliore cōditione ab alio allata, licet fisco rē priori auferre, et posteriori, qui conditionē obtulit meliorem, addicere. quod priuilegiū alijs rebus pub. uel ciuitatib. nō datur. Sed nec rebus principis patrimonialibus uenditis locū habet. Permittitur etiā priori emptori uel conductori, qui licitatione superatus est, augmentū offerendo rē retinere. Si quis nō perpetuo iure, sed ad tēpus prædiū fisci cōduxerit, ualebit eius donatio ab Imperatore alij facta, nō obstante eo, quod alius prædiū istud cōduxerit. Porro is qui rem ab Imperatore uel fisco bona fide cōparauit, eius rei alienanda potestātē tanq̄ dominus habet, exceptis bonis feudalibus. Manumittēdi quoq; seruos fiscales, quos cōparauit, potestas illi nō est interdicta. Præterea priuilegium habet is qui quid ab Imp. uel fisco comparauit, ne eius rei nomine ab alio conueniri possit: sed datur hoc casu intra quadriennium actio aduersus ipsum auctorem, Principem puta, uel fiscum. Prædijs autem à fisco distractis, præteriti temporis tributū eorūdem prædiorū emptorem spectare placuit. Sed et q̄ bona

uacantia à fisco comparauit, debet actiones quæ contra defunctum competebant, excipere: nisi fortè fisco aduersus defunctum aliqua competijt actio: hæc enim tanquam confusione sublata aduersus emptorem dari da non est.

Porro in rebus fisci locãdis uel iure emphyteutico concedendis sciendum, quòd minoribus uiginti quinque annis neque fundus neq; uestigalia locanda sunt, ne aduersus ea beneficio ætatis utantur. Palatini quoque res principis uel fisci neq; per se, neq; per alium conducere possunt. Quod et de militibus et decurialibus intelligendum est. De mercede autem seu pensione conductionis illud cauetur in iure, ne in passuis saltibusq; rei patrimonialis uel fiscalis locandis pensio licitatione augeatur, sed ut antiqua maneat: neq; ob meliorationes emphyteutæ pensio illi siue canon amplietur. Locantur autem res fiscales periculo locantis officij, ut si conductor eius ue fideiussor soluendo non sit, officium è suis facultatibus damnum hoc fisco præstet. Cautio autem à conductore fisco præstanda est, siquidem locuples sit, sub hypotheca bonorum suorum: sin uerò locuples non sit, datis fideiussoribus idoneis. Nihil autem ex fundo fiscali conductor transferre potest. Si quis uerò fundos emphyteutici iuris salua lege fisci, quamuis citra iudicis auctoritatem, donauerit, ualet id quod actum est: dummodò suis quibusq; temporibus ea quæ fisco pen-

*pensitanda sunt, represententur. De usu aquæ illud
 cauetur, ut aquarum ius potestasq; penes emphyteu-
 ticarios permaneat, tantumq; ex ijs colonis impertia-
 tur, quantum culturis eorum agrorum sufficere ma-
 nifestum est, quos ipsi colunt. Pro modo autem su-
 persuæ irrigationis, quam ultra culturas suas usur-
 parint, emphyteuticarijs possessoribus pensiones ac-
 cessionesq; præbeant. Illud etiam peculiare est in ijs
 qui prædia ab Imperatore uel à fisco comparauerunt,
 quòd ueteres colonos expellere non possint. Porrò is
 qui rem in emphyteusin à fisco accepit, si pensionem
 aliquot annis non soluerit, iure suo cadit: excusantur
 tamen minores ætate. Si quis autem dempto canone
 prædium comparauerit, ipso iure non ualet quod a-
 ctum est, & is qui ita comparauit, prædium cum
 prædio perdit: nisi fortè Princeps dictum pactum
 confirmauerit. Sed & si Princeps emphyteutæ
 prædium patrimoniale donauerit, uel pensionem
 remiserit, non soluens canonem prædio non priua-
 tur. Planè si causetur emphyteuta sterilitatem prædij,
 excusatio eiusmodi nulla est. Per partes tamen solu-
 tionem facere non prohibetur.*

*Supersunt nonnulla de priuilegijs fisci & Impe-
 ratoris. Sunt autem priuilegia fisci, quòd habeat ta-
 citum pignus in bonis debitoris sui, & cæteris credi-
 toribus præferatur; de qua re supra suo loco copio-
 sius dictum est. Sententia quoque contra fiscum lata*

etiam sine appellatione intra triennium potest retraheri, de quo etiã superius dictũ est. Præterea neq; instrumenta neque acta à quoquam aduersus fiscum edi oportet. Et ipse fiscus actorum suorum exempla hac conditione edit, ut ne is, cui describendi fit potestas, aduersus se uel rempub. his actis utatur: de qua cauere compellitur, ut si usus is contra interdictũ fuerit, causa cadat. Planè non delinquit is, qui in dubijs questionib. cõtra fiscum faciliè respondet. Illud etiam peculiare in fisco est, quòd ultra simplum euictionis nomine nõ teneatur, quamuis procurator eius dupliũ uel triplum promiserit. Plura huiusmodi fisci priuilegia passim suis subiecta sunt locis. Illud hoc loco sciendũ, quòd fiscus, si in priuati ius succedat, priuati iure pro anterioribus sue successionis temporibus utatur: posteaquã aut successerit, tum demum priuilegiũ suũ habeat. Et quidẽ usuras exinde petit fiscales, etsi breuiores debebantur, ex quo conuenit certũ debitoreẽ et confitentem. At in priuilegio uariè rescriptum est. Obtinuit tamen exinde priuilegio esse locum, ex quo inter nomina debitorum relatum nomen est. Quodcunq; aut priuilegium fisco cõpetit, hoc idem et Cæsaris ratio et Augustæ habere solet. Simile tamen priuilegium fisco nulla ciuitas habet, nisi nominatim id alicui à principe datum sit. Is uerò qui in locum fisci successit, fisci quoq; priuilegio utitur in bonis debitoris: de quo superius etiam libro proximo diximus.

Is quoq; qui debitoris fisci adiit hereditatem, privilegij fisci coepit subiectus esse. Hæc de privilegijs Imperatoris & fisci sint dicta. Pertinent tamen huic etiam quæ de uestitu Cesaris habentur in iure, quæ licet cognoscere ex meis Digestis. hæctenus ergo de iure Imperatoris & fisci.

DE IVRE MILITARI.

CAP. VI.

Sequuntur nunc iura militaria, ubi primum de personis, hinc de rebus militaribus dicetur. Inter personas militares primum locum obtinet magistratus militares: ut sunt magistri militum, magistri officiorum, duces, &c. de quibus initio dicendum. Officiū ergo regentis exercitū non tantum in danda, sed etiā in obseruanda disciplina consistit. Debet quoq; is qui armato præest, parcissimè cōmeatum dare, equis militarē extra prouinciam duci non permittere, ad opus priuatū, piscatū, uenatum, militem non mittere. Nam in disciplina Augusti ita cauetur: Etsi scio, fabrilibus operibus exerceri milites non esse alienum: uereor tamē, si quidquam permisero quod in usum meū aut tuum fiat, ne modus in ea re non adhibeatur, qui mihi sit tolerandus. Præterea officium tribunorum est, uel eorum qui exercitui præsunt, Milites in castris continere, & ad exercitationem producere, clauēs portarum suscipere, uigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum interesse,

M 4

teresse,

teresse, frumentum probare, fraudem mensuræ coercere, delicta secundum suæ authoritatis modum castigare, principijs frequenter interesse, querelas comilitonum audire, ualctudinarios inspicere. Duces quoque militum, & præcipuè quibus gentes (quæ maximè cauendæ sunt) appropinquant, in ipsis limitibus commorari debent, & milites ad proprium redigere numerum, imminentibus magistrisq; potestatibus diurnisq; eorum exercitationibus inhere: castrorum insuper refectionis lustrationisq; curam habere. Milites etiam à numeris ad alios numeros, & de locis in quibus consistunt, ad alia loca sine speciali Principis permissu transferre non debent: ne eorum expensæ in locis, in quibus consistunt, minuantur. Nec etiam ad custodiam alicuius sine Principis permissu deputandi sunt. Non danda pro tempore tribuno licentia est, triginta uiris amplius sub comæatus occasione dimittere. Ad iurisdictionem magistratus militaris homines pagani siue priuati nõ pertinent. Militaribus enim uiris nihil commune est cum curijs, nihilq; licitum quod suæ non subiectum est potestati. Ideoq; magistro militũ ius uerberandi degradandiue Senatores denegatur. Hoc tamen ius magistro officiorum concessum est. Præterea rei militaris comitibus lauacra præstanda nõ sunt: nec qui in ducũ officijs militant, post impletam militiam agentes in rebus fieri possunt. Filij officialium quorumcunque officio-

officiorum, siue parentes adhuc sacramento tenentur, siue iam dimissi sunt, in parentum militiam uocantur. Et filios primipilariorum paternam sequi conditionem, constitutum est. Hæc & huiusmodi alia quedam, quæ in Digestis meis ordine proposita sunt, de magistratu militari in iure habentur. Nunc de ipsis militibus, quæ in iure cauta sint, eadē breuitate sunt exponenda. Quod itaq; ad milites recipiendos attinet, sciendum, seruos ab omni militia prohiberi. Planè si sciente domino seruus militet, hoc ipso liber & ingenuus efficitur, & militiam retinet. Qui status cōtrouersiam patiuntur, licet reuera liberi sunt, nõ debent per id tempus nomen militiae dare, maximè lite ordinata, siue ex libertate in seruitutem, siue contrà petantur: ne hi quidē qui ingenui bona fide seruiunt: sed nec qui ab hostibus redempti sunt, priusquam se luant. Coloni quoq; & saltuenses nec ultrò se offerentes ad militiam recipiendi sunt armatam, nec cogendi inuiti. Idem dicitur de ijs qui curialis uel cohortalis conditionis sunt. Nam nemini facultas datur eodem tempore plus quàm unius ordinis nomen affectare. Ideoq; & negociatoribus, ne militent, interdictum est. Qui cum uno testiculo natus est, quiue amisit, iure militabit. Ad bestias datus si profugerit, & militiae se dederit, quandoq; inuentus capite puniendus est. Idemq; obseruandum est in eo qui passus est legi se. Sed & in insulam deportatus, si effugiens militiae se

M 5 dedit,

§4. INSTITUTIONVM

dedit, lectusue dissimulauit, capite puniendus est. Temporarium exilium uoluntario militi insule relegationem adsignat: dissimulatio, perpetuum exilium. Ad tempus relegatus si expleto spacio fuge militiae se dedit, causa damnationis quaerenda est, ut si contineat infamiam perpetuam, idem obseruetur. Si transactum de futuro sit, & in ordinem redire potest, & honores petere militiae non prohibetur. Generaliter iudicio publico damnati inter milites non sunt recipiendi. Sed & qui reus iudicij publici nomen militiae dedit, statim sacramento soluendus est. Hi quoque qui litis causa militiae appetierunt, postulantibus aduersarijs sacramento solui debent. Non tamen omnis qui litem habet & militat, exauthorari iubetur, sed qui eo animo militiae se dedit, ut sub obtentu militiae preciosiorem se aduersario faceret. nec tamen facile indulgendum est extra ordinem iudicationis, qui negotium ante habuerunt: sed si in transactionem recidit, indulgendum est. Exauthoratus autem eo nomine non utique infamis erit, nec prohibendus lite finita militiae eiusdem ordinis se dare: alioquin & si relinquat litem, uel transigat, retinendus est. Omnibus in fraudem ciuiliu munerum nomina armatae militiae dantibus fraudem prodesse displicuit: omnisque tyro uagus, aut ueteranus, aut censibus obnoxius ad militiam accedere prohibetur. Porro quamuis olim magistris ac ducibus probatorias militum fa-

cere,

ere, uel militib. adiungere liceret: tamē iure nouo ne
 mo sine probatoria imperiali ad militiā admittitur.
 Militibus autē uaria in iure priuilegia concessa sunt,
 tum circa sportulas & litis expensas, tum circa mune-
 ra, tum circa alia quædā: de quibus licet uidere mea
 Digesta. Illud etiam cautum est, ne milites de eadē re
 ad diuersos iudices uocentur: item si uniuersitas mi-
 litum cōueniatur, ut duo primates & syndicus ab ipsa
 rei cōstituantur. De missionib. militum hæc sunt no-
 tanda: Missionū generales causas tres esse: honestam,
 causariā & ignominiosam. Honestam, quæ tempore
 militiæ impleto datur. Causaria, cū q̄s uitio animi uel
 corporis minus idoneus militiæ renunciatur. Igno-
 miniosa causa est, cum quis propter delictū sacramē-
 to soluitur. Præter has tamen est & quartum genus
 missionis, si quis euitandorū munerum causa militiā
 subiisset. Hæc autem missio existimationem nō ledit:
 quemadmodum et causaria missus nulla existimatio-
 nis macula adspergitur. Quanquam semel causaria
 missis militibus instauratio non solet concedi obtentu
 recuperatæ uoletudinis melioris: quādo non temerē
 dimittuntur, nisi quos constet medicis denuntiantib.
 & iudice cōpetente diligenter examinante uitium
 contraxisse. Is uerò qui ignominia missus est, neque
 Romæ neque in sacro comitatu agere potest: in a-
 lijs uerò locis, ubi uelit, morandi habet potestatem.
 Etsi autem sine ignominie mentione missus quis sit,
 nihil.

nihilominus ex causa ignominia missus intelligitur: et infamia notatur, nullisq; honoribus, qui integræ dignitatis hominibus deferri solent, uti potest. Porro antequam officia militum exponantur, de quibusdam militum speciebus pauca dicenda sunt: puta de veteranis, tyronibus, nec non de militibus ab hostibus reuersis. Veterani ergo rei rusticæ operam dare, uel tela in usum uomeris & ligonis conuertere prohibentur. His autem & horum liberis idem honor habetur, qui & decurionibus: & ne iniurijs afficiantur, specialiter prohibetur. alia item priuilegia his à iure conceduntur, circa munera, circa pœnas, etc. de quibus suis locis dicetur. Hisce tamen priuilegijs carebunt, si latrocinijs se dedent. Tyrones in scholis loco semper posteriore ponuntur: nec enim ferendum, quenquam celsiorem gradum obtinere, nisi cui & laborum assiduitas, & stipendiorum prolixitas suffragatur. Captiui milites ab hostibus reuersi pristini ius recipiunt, si probabunt se captos euasisse, non transfugisse. Sed licet hoc liquido constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est. Et si bonus miles antè existimatus fuit, propè est ut adfirmationi eius credatur: si emanfor aut negligens suorum, aut segnis, aut extra contubernium agens, non credatur ei, si post multũ temporis redijt. Planè stipendia & donatiua temporis, quo apud hostes fuit, restitui sibi postliminio reuerso non iurè desiderat. Sed plura de

de hac re proponentur alibi in iure postliminij. Supersunt quædam etiam specialia de militibus limitaneis. Sed hæc tanquam plus obscuritatis quam utilitatis habentia prudens omisi. Nunc de officijs & delictis militum agendum est. Omne autem delictum est militis, quod aliter quam disciplina cõmunis exigit, committitur: ueluti segnitie crimen, uel contumacie, uel desidiæ. Suntq; militum delicta siue admissa, aut propria, aut cum cæteris communia. Propriũ militare delictũ est, quod quis uti miles admittit: dedere se militem cui non licet, graue crimen habetur, & augetur ut in cæteris delictis dignitate, gradu, specie militiæ. Grauius delictum est detrectare munus militiæ, quàm adpetere uel in aliam militiam nomen dare. Nam & qui ad delectum olim non respõdebãt, ut proditores libertatis in seruitutem redigebantur. Sed mutato statu militiæ recessum à capitis pœna est: quia plerunq; uoluntario milite numeri suppleantur. Qui filium suum subtrahit militiæ belli tempore, exilio & bonorum parte mulctandus est: si in pace, fustibus cædi iubetur: & requisitus iuuenis, uel à patre postea exhibitus, in deteriorem militiam dandus est: qui enim se sollicitari ab alio passus est, ueniam non meretur. Eum qui debilitauit filium delectum propter bellum indictum, ut inhabilis militiæ esset, præceptum Imp. Traiani deportauit. Si præsidis uel cuiusuis præpositi ab executione quis desistat,

desistat, peccatum desertionis subibit. Et contumaciâ omnis militis aduersus ducem uel præsidē capite puniendâ est, aded quidem, ut si in bello quis rem à duce prohibitam fecerit, aut mandata non seruarit, quamuis res bene cesserit, capite puniatur. Irreuerens miles non tantum à tribuno uel centurione, sed etiam à principali coercendus est: nam eum qui centurioni castigare se uolenti restiterit, ueteres notauerunt. Si uitem tenuit, militiam mutat: si ex industria fregit, uel manum centurioni intulit, capite punitur. Augetur autem petulantia crimine dignitate præpositi. Qui præpositum suum non protexit, cum posset, in pari causa factori habendus est: si resistere non potuit, parcendum ei. Sed et in eos qui præfectum centuriae à latronibus circumuentum deseruerunt, animaduerti placuit: proinde occiso eo capite puniuntur. Qui seditionem atrocem militum concitauit, capite punitur. Si intra uociferationem aut leuem querelam seditio mota est, tunc gradu militiae deijcitur. Et cum multi milites in aliquod flagitium conspirant, uel si legio deficiat, auocari militia solet. Desertor, si in urbe inueniatur, capite puniri solet: alibi adprehensus, ex prima desertione restitui potest: iterum deserendo, capite puniendus est. Desertor autem habebitur, quisquis belli tempore abierit à signis. Eius fugam, qui cum sub custodia uel in carcere esset, discesserit,

cesserit, in numero desertorum non computandam esse placuit: quia custodiae refuga, non desertor militiae est. Eum tamen, qui carcere effracto fugerit, etiam si antè non deseruerit, capite puniendum Paulus scripsit. Desertorem qui à patre suo fuerit oblatuſ, in deterioreſ militiam Pius Imperator dari iuſſit: ne uideatur pater ad ſupplicium filium obtuliſſe. Sed & ſi fuerit ultrò reuerſuſ, non cum neceſſitudine, nõ erit eiuſdem ſortis ut capite puniatur, uerũ in inſulam deportandus eſt. Qui poſt deſertionem in aliam militiam nomen dederunt, legiue ſe paſſi ſunt, reſcriptum eſt et hoſ militariter puniendos. Grauiuſ enim delictum eſt, detrectare munuſ militiæ, q̃ adpetere. Si plureſ ſimul primò deſeruerint, deinde intra certum tempuſ reuerſi ſint: gradu pulſi in diuerſa loca diſtribuendi ſunt. Sed tyronib. parcendum eſt: quò ſi iteratò hoc admiferint, poena competẽti adſciuntur. Qui in pace deſeruit, eques gradu pellendus eſt, pedes militiam amittat. Planè non omneſ deſertoreſ ſimiliter puniendi ſunt, ſed habetur & ordinis & ſtipendiorum ratio, uel graduſ militiæ, uel locuſ & muneris deſerti, & anteaſtæ uite: ſed & numeri, ſi ſoluſ uel cum altero, uel cum pluribuſ deſeruit, aliudue quod crimen deſertioni adiunxerit: item tempore quo in deſertione fuerit, et eorũ quæ poſtea geſta fuerunt. Præter poenas aut̃ deſertionis haſtenuſ enumeratæ ſunt et plureſ. Nam qui militiæ tempuſ in deſertio-

desertione impleuit, merito priuatur. Defuncto-
 rü quoq; in desertione bona cõfiscari debent. Si item
 desertores inuenti resistendum atq; armis oppugnã-
 dum putauerint, tanquam rebelles in ipsis temerita-
 tis suæ conatibus opprimi possunt. Sed & si quis de-
 sertorẽ receperit, atq; diu apud se delitescere passus
 sit, actor quidem uel procurator loci, qui hoc sciens
 prudensq; commisit, capite punitur: dominus uero, si
 huius rei conscius fuerit, prædij in quo latuerit de-
 sertor, amissione coercetur. Si quis desertorem pro-
 diderit, mediocris loci ingenuus immunitate dona-
 tur. Edictum Germanici Cæsaris militem desertorẽ
 faciebat, qui diu abfuisset, ut is inter emansores habe-
 retur. Sed siue redeat quis & offerat se, siue depre-
 hensus offeratur, pœnam desertionis euitat: nec in-
 terest, cui se offerat, uel à quo deprehendatur. Leuius
 itaq; delictum emansoris habetur, ut erroris in ser-
 uis: desertionis grauius, ut in fugitiuis. Emansor au-
 tem est, qui diu uagatus ad castra regreditur. Deser-
 tor est, qui per prolixum tempus euagatus reduci-
 tur. Emansoris pœna in arbitrio est Imperatoris. Ex-
 aminantur semper causæ emansionis, & cur, & u-
 bi fuerit, & quid egerit: & datur uenia ualetudi-
 ni, affectioni parentum, & ad finium, & si seruum
 fugientem persecutus est, uel si qua huiusmodi causa
 sit. Sed & ignorantia adhuc disciplinam tyroni igno-
 scitur. Is qui in exploratione emanet hostibus insi-
 stentibus,

stentibus, aut qui à fossa tunc recedit: capite puniendus est. Qui stationis munus relinquit, plus quam emāssor est. Itaque pro modo delicti aut castigatur, aut gradu militiæ deijcitur. Qui relictis militaribus castris se ad depredationes uel latrocinium contulerit, arbitrio iudicis punitur. Si ad diem commeatus quis non ueniat, perinde in eum statuendum est, ac si emanisset, uel deseruisset pro numero temporis: facta prius copia docendi, num forte casibus quibusdam detentus sit, propter quos uenia dignus uideatur. Nam habetur ratio dierum, quibus tardius reuersus est, item temporis, nauigationis, uel itineris: & si se probat ualetudine impeditum, uel à latronibus detentum, similiue casu moram passum: dum tamen non tardius à loco se profectum probet, quam ut occurrere possit intra commeatum. Proditores & transfugæ plerumque capite puniuntur, & exauthorati torquentur: nam pro hoste, non pro milite habentur. Ideoque licet eos, ubicunque inuenti fuerint, quasi hostes interficere. Sed & uiui exuruntur, aut furca suspenduntur. Si tamen ex improviso, dum iter quis facit, capiatur ab hostibus: inspecto uitæ eius præcedentis actu, uenia ei dabitur: & si expleto tempore militiæ redeat, ut ueteranus restituetur, & emerita accipiet. Qui tamen captus, cum posset redire, non rediit, pro transfuga habetur. Item eum qui in præsidio captus est, in eadem conditione esse, certum est. Qui transfugit,

N

fugit,

fugit, et postea multos latrones adprehendit, & transfugas demonstrauit, posse ei parci rescriptum est. Ei tamen pollicenti ea nihil permitti oportet. Qui in acie prior fugit spectantibus militibus, propter exemplum capite puniendus est. Qui agmen excesserit, ex causa uel fustibus ceditur, uel mutare militiam solet. Si quis uallum transcedat, aut per murum castra ingrediatur, capite punitur. Si uero quis fossam transiit, militia reijcitur. Si quis barbaris scelerata factione facultatem depredationis in Romanos dederit, uel si quis alio modo factam diuiserit, uiuus comburitur. Miles qui sibi manus intulit, nec factum peregit, nisi impatientia doloris, aut morbi, luctusue alicuius, uel alia de causa fecerit, capite puniendus est: aliis cum ignominia mittendus est. Si miles artem ludicram exercuerit, uel in seruitutem se uenire passus est, capite punitur. Si quis commilitonem uulnerauit, si quidem lapide, militia reijcitur: si gladio, caput amittit. Porro milites qui a republica armantur & aluntur, solis debent utilitatibus publicis occupari, nec sibi uacare, neque aliena obsequia peragere. Sed nec possessiones alienas conducere debent: ne omissio armorum usu, ad opus rurestre se conferant. Si quis tamen ignorans militi quasi pagano locauerit, exigere illum posse probandum est. Non enim contemnit disciplinam, qui ignorauit militem. Præterea milites agrum comparare prohibentur in ea prouincia.

cia,

tia, in qua militant: scilicet ne studio culturae militiae
 sua auocentur. Et ideo domum comparare non pro-
 hibentur. Sed et agros in alia prouincia comparare
 possunt. Ceterum in ea prouincia, in quam pro-
 pter causam praelij uenerunt, ne sub alieno quidem
 nomine eis agrum comparare licet. Planè paterna
 eorum praedia fisco distrahente comparare nõ pro-
 hibentur. Sed & alia stipendijs impletis emere per-
 mittuntur. Fisco autem uindicatur praedium illi-
 cite comparatum, si delatum fuerit. Sed si non-
 dum delata causa stipendia impleta sint, uel missio
 contigerit, delationi locus non est: nisi fortè ig-
 nominiae causa missio facta sit. Praedia quoque hæ-
 reditario iure possidere ibi, ubi militant, non pro-
 hibentur. Porrò miles qui in bello arma amisit uel
 alienauit, capite punitur: humanè militiam mutat.
 Nam arma alienasse graue crimen est, & ea culpa
 desertioni exaequatur, utique si tota alienauerit.
 Sed etsi partem eorum, idem est, nisi quòd in-
 terest: nam si tibiale uel humerale alienauit, casti-
 gari uerberibus debet. Si uerò lorica, scutum,
 galeam, gladium: desertori similis est. Tyroni in
 hoc crimine facilius parcitur, armorumque custodi
 plerunque ea culpa imputatur, si mora militi com-
 misit, non suo tempore. Qui aliena arma subri-
 puit, gradu militiae pellendus est. Cum supra ripas
 fluminum legionum multitudo consistit: prohibitum

est, ne quis flumen conspurcet, uel equorum sudores abluat, uel nudus in flumine lauet. Nemitem ex familia sua miles ad se admittet, præterquam coniuges, liberos & seruos de peculio castrensi emptos, nec adscriptos censibus. Præterea ne milites in profectio- nibus suis incolas ledant, prohibitum est: & unde illis in transitu alimenta suppeditanda, Imp. Iustinianus peculiari constitutione definiuit. Vicesimo insuper, non amplius lapide paleas sibi conuectare iubetur. Animalia quoq; militum à pratis & pascuis publicis priuatisq; arrenda sunt. Hæc de officijs & de- lictis militaribus, adeoque de personis militum sunt dicta. nunc de rebus militaribus nobis est dicen- dum.

Sunt autem res militares, annona militaris, uestes, hospitia & arma. de quibus singulis ordine dicetur. Et quidem quod ad annonam militarem attinet, ea fuit consuetudo, ut expeditionis tempore buccella- tum ac panem, uinum quoq; atque acetum, sed & lardum, carnem ueruecinam milites ita perciperent: in duobus diebus buccellatum, in tertio die panem: uno die uinum, alio die acetum: uno die lardum, bi- duo carnem ueruecinam. Sed & illud cautum est, ut pecuniæ, quæ mortuis militibus usque ad diem mortis eorum debitæ fuerant, uxoribus uel liberis eorum soluerentur. Plura de annona militari ha- bentur in iure, quæ ex Digestis meis cognoscere li- cet.

et. De ueste militari hæc maximè cauta sunt, ut omnis canon uestium ex calendis Septembris usq; ad Calendas Aprilis inferretur: itè ut Prouinciæ Thraciarum per uicena iuga seu capita uestem conferrent. Scythia & Mysia in tricenis iugis seu capitibus, item annua solutione depēderet. Per Aegyptum & Orientis partes in tricenis ternis iugis, per Asianam uerò & Ponticam. dioecesin ad eundem numerum in capitibus seu iugis annuæ uestis collatio dependeret, ita ut per Orientem prouinciæ in titulo auri comparaticij, quod per iugationem redditur, compensationis gratia persfruerentur: exceptis Histronicatis & Osdroena & Isauria. Nam eæ aurum comparatitium minimè debebant. Quod autem militaris uestis nomine conferebatur, eius quinque partes militibus in precio erogabantur: sexta pars gyneciarijs Imperatoris pro contextione datur. Minoribus tamen gregarijsq; militibus in specie, quam maximè eos desiderare constabat, prebebatur. Per Illyricum pro singulis chlamydibus singuli solidi militibus dabantur. Hæc de ueste militari. De hospitij militum hæc maximè in iure cauta sunt: primum quidem, ut omnium domus militibus hospitio recipiendis deseruiant: exceptis domibus fabricensium, archiatri sacri palatij uel urbis Romæ, magistrorum literarum, uel picturæ professorum: item exceptis domibus illustrium & clarissi-

morum hominum, horumq; hæredum: ita tamen, ut
 si quis consularem ac patriciam nactus sit dignita-
 tem, tres domos proprias, dum superest, habeat ho-
 spitum immunitate securas: hæredes uerò eius filij,
 aut pater, aut mater, nepotes, aut frater, aut so-
 ror, aut uxor duarum domuum suarum excusatio-
 ne potiantur. Si quis uerò consulatu tantummo-
 dò gloriatur, duas semis domos suas immunes ha-
 beat: post mortem uerò eius memorati hæredes u-
 nam semis domum suam. Pari priuilegio perfrua-
 tur cum memoratis hæredibus, qui solius patriciæ
 dignitatis sine consulatu decoratur insignibus. Præ-
 fectorij uerò, necnon & magistri militum duas do-
 mos suas habeant, quoad uixerint, hospitibus li-
 beratas. Hæredes uerò eorum memorati unam de-
 fendant domum suam simili excusatione munitam.
 Magistri uerò officiorum uel quæstores unam semis
 domum suam, quoad uixerint, habeant hospitum
 onere liberatam: hæredes uerò eorum prædicti u-
 nam tantum. Comites domesticorum & protecto-
 rum & sacrarum largitionum et rerum priuatarum
 & primicerius notariorum singulas domus suas ab
 hospitum grauamine, dum uiuunt, gaudeant esse se-
 curas: memorati uerò hæredes eorum mediam par-
 tem unius domus suæ immunem ab hospitij grauami-
 ne habeant: residuæ uerò partis dimidiæ tertiã par-
 tem hospitibus deputent. Si qui uerò illustres hono-
 rarias

*varias dignitates quasq; sine actu coelitus impetra-
 uerunt, domus suas pro tertia portione hospitib. præ-
 beāt: exceptis ergasterijs, quæ in plateis uel angipor-
 tis sunt. Præter hos quos enumerauimus, etiã ab ho-
 spitiij onere excusantur decem post primicerium tri-
 buni, item præpositi sacri cubiculi, decuriones & si-
 lentiarij, item hi qui in sacris scrinijs militant, necnō
 grammatici, oratores, medici & philosophi. Porro si
 quis metatorum manum, qua deputatã singulis qui-
 busq; domus denotant, & hostibus hospitaturi no-
 men adscribunt, deleuerit: falsi poena tenetur. Præ-
 terea ad ius hospitij militũ pertinet hoc quoq;, quòd
 cautum est, ne quis militũ nomine salgami gratia cul-
 citram, lignum, oleum à suis extorqueat hospitibus,
 sed nec uolentibus hospitibus in prædictis specieb. au-
 ferat: nec balneum quisquã à domino ediu postulet.
 quid quòd solum hospitium præstandum sit ita, ut ni-
 hil etiam ab hospite, quod uel hominum uel anima-
 lium pascuis necessarium est, postuletur: omniumq;
 sit acceleratum iter atque continuum, nec ulli liceat
 diutius residere? Præmium autem hospitij hoc est,
 ne dominus uel pensionis uel discussionis domus
 gratia molestiam sustinere cogatur. Hæc atque
 huiusmodi alia, quæ prudens omitto, de hospitijs
 militum legibus cauta sunt. De armis militari-
 bus suprã diximus, si miles arma sua amiserit uel a-
 lienauerit, item si aliena subtraxerit, qua poena*

teneatur. sed & de armis transportandis illud cauetur, ut quoties transferenda sunt, numerus transferendorum, & locus ex quo transferenda sunt, magistratui loci per quem transferenda sunt indicetur, ut cōtinuò super præbendis angarijs uel nauibus de publico, pro numero eorum quæ transferenda sunt, præses prouinciæ instruatur. Hæc de personis & rebus militaribus potissimum in iure habentur. De actibus quoq; militaribus nonnulla cauta sunt, quæ supra inter officia militum enumerauimus. Nunc de iure ciuitatum agendum est.

DE IURE CIVITATVM, ET
primùm de personis earum tum publicis tum priuatis.

C A P. VII.

IN iure ciuitatum exponendo perinde ut in præcedentibus primùm dicetur de personis, hinc de rebus, postremò de actibus ciuitatum. Personæ autem ciuitatum partim publicæ sunt, partim priuatae. Publicæ sunt, utputa magistratus municipalis: de quo primùm in genere, hinc in specie dicetur. Magistratus igitur municipales, cum unū magistratum administrant, etiam unius hominis uicem sustinent: et hoc plerunque quidem lege municipali eis datur. Verùm etsi non sit datum, dummodò non denegatum, moribus competit. Si qui ad magistratum
nomina-

nominati hoc onus subterfugerint, bona ipsorum ijs qui in locum eorum uocati sunt permittuntur: ita ut, si postea reperti fuerint, biennio integro magistratum, quem subterfugerunt, cogantur agnoscere. Sed et alijs pœnis magistratus desertores puniuntur, quas ex Digestis meis cognoscere licet. Porro ea quæ imperij magis sunt quam iurisdictionis, magistratui municipali non permittuntur, ut & superius diximus. Ad magistratus autem officium pertinet exactio pecuniæ legatorum reip. relictorum: & si cessauerint, ipsi uel heredescorum eo nomine conueniri possunt: aut si soluendo non sunt, fideiussores eorū, qui pro his cauere. Nam à magistratu municipali initio cautio exigitur, de qua infra suo loco dicetur: quam cautionem non minus ij qui compulsi magistratu funguntur, quam qui sponte officium agnouerunt, prestare tenentur. Præterea magistratus conficiendorum actorum habent potestatem. In duumuiros autem & rem pub. etiam post annum actio datur ex contractu magistratuū municipalium. Hæc quidem de magistratu municipali in genere sint dicta. Species eius sunt, defensores ciuitatum, duumuiros, decuriones, & alij, de quibus singulis ordine dicetur. Defensores itaq; ciuitatum non ex decurionum seu cohortalium corpore, sed ex alijs idoneis personis creantur, uiri scilicet bonæ existimationis & orthodoxæ fidei. Nulli autem omnium facultas est defensoris ordinationem repu-

De defensoribus ciuitatum.

N 5 diandi,

diandi, sed per uices honoratissimi quique incolae hoc munus subire tenentur, singuli scilicet per biennium: quo finito, alius priore remoto subrogandus est, nisi forte communi decreto uelint in alterum quoque biennium priorem in eodem officio detinere. Quod si sic altero quoque biennio eam sollicitudinem sustinuerit, illo finito omnino desistet, tunc demum rursus defensor futurus, cum ipse eum circulus in hunc reduxerit ordinem. Constituitur autem defensor decreto Episcoporum, clericorum, honoratorum, possessorum ac curialium, confirmatione praefecti praetoriorum secuta, et praestito ab ipso iureiurando, omnia se secundum leges ac ius acturum. Remoueri defensor a praeside provinciae non potest, sed tantum si quid parum recte agere uideatur, de eo referendi potestas est praefecto praetoriorum, ut ab eo contingat sollicitudinis absolutio, a quo etiam datur. Porro defensor in sua ciuitate praesidis locum obtinet, maxime cum praesidem contingat abesse: ipsique qui publicarum exactio num negotium gerunt, auxilio esse, malos coercere, tumultus sedare debet. Ideoque cohortales quoque ei regioni addicti, qui per illam consistunt ciuitatem, in qua defensor est, ei obedire et opem ferre tenentur. Cognoscet etiam de leuioribus criminibus, et competentem castigationem adhibebit. Eos uero qui in maioribus delictis ac criminibus capiuntur, conijciet in custodiam, et ad provinciae praesidem transmittet. In ciuilibus quoque causis, quae sunt iure quidem antiquo

Viquo intra quinquaginta solidos, iure aut nouo intra
 trecentos solidos, defensoris ciuitatis cognitio atq; iurisdictionis est. Defensoris insuper hoc est officium, imprimis, ut parentis uicē plebi exhibeat, descriptionibus rusticos urbanosq; non patiatur affligi, officialium insolentiae & iudicum procacitati (salua reuerentia pudoris) occurrat. Ingrediendi, cum uolet, ad iudicē liberam habet facultatē: super exigendi damna uel spolia plus petētium ab ijs quos liberorum loco tueri debet, excludet: nec patietur quidquā ultra delegationē solitā ab ijs exigi. Nihil insuper sibi insolēter, nihil indubitū uindicare debet, nominis sui tantum fungens officio: nullas infliget multas, seuiore non exercebit questiones, plebē & decuriones ab omni improborum insolentia & temeritate tuebitur: ut id quod esse dicitur, esse non desinat. Illud defensori ciuitatū, quemadmodum et praesidi prouinciae, concedendū non est, ut uicarios in locū suum constituent. Praeterea apud defensores insinuatur testamenta, donationes, & omne deniq; quod proprie ad ius monumentorum pertinet. Sed & in acta referēt quaecūq; quae uoluerit, edētq; tametsi quod in acta refertur, perstringat ipsum prouinciae praesidē, uel aliquem potentiorē. Oportet enim eos qui in officijs uel cū potestate aliqua sunt, ita se gerere, ut cōfici aduersus se acta non prohibeāt: imō se moribus inculpatis praebere, ut nemini detur opportunitas mouēda alicuius cōtra ipsos querelae. Appellatiōes à defensoribus ad ipsos

ad ipsos fiunt *præsides*. Et si quid *cohortalis* contra *defensores* admiserit, *præsēs* *provinciae* uindictabit, *cohortalemq;* castigabit. Quòd si *præsēs* hoc *neglexerit*, licebit eo nomine *defensoribus* referre ad *præfectum* *prætorio*, ut inde *competens* uindicta procedat, & *defensores* habeant contra *delinquentes* quandam *iudiciariæ* *grauitatis* *imitationem* & *figuram*. *Constituuntur* *insuper* *defensores* *gratis*: & pro *ipsis* *iussionibus*, si *maiores* *sint* *ciuitates*, *quatuor* *tantummodò* *aurei* *dabuntur* *in* *iudicio* *præfecti* *prætorio*: si *minores*, *tres*. *Præterea* *in* *singulis* *ciuitatibus* *domus* *aliqua* *publica* *constituenda*, *in* *quam* *defensores* *actorum* *suorum* *monumenta* *reponant*, *creato* *aliquo* *eius* *loci*, *penes* *quem* *huius* *sit* *custodia*, *quo* *magis* *et* *incorrupta* *ea* *maneant*, & *celerius* *quæsitâ* *inueniantur*, *sitq;* *apud* *ipsos* *aliquod* *archiuum*. *Habeant* & *ex* *cohorte* *illi* *provinciae* *destinata* *exceptorem* *futurum* *illis* *in* *ministerio*, & *duos* *cohortales*, *qui* *ab* *ipsis* *iudicata* *exequantur*. *Hæc* *de* *defensoribus* *ciuitatum*.

De duum-
uiris.

De *duumuiris* hæc *potissimum* *notantur*, *primùm* *quidem*, *quòd* *ex* *decurionibus* *cligantur*. *Nec* *enim* *qui* *non* *sit* *decurio*, *duumuiratu* *uel* *alijs* *honoribus* *fungi* *potest*: *quia* *decurionum* *honoribus* *plebei* *fungi* *prohibentur*. *Deinde* & *illud* *notandum*, *quòd* *duumuiro* *impunè* *non* *liceat* *extollere* *potestatem* *fascium* *extra* *metas* *territorij* *proprie* *ciuitatis*. *Postremo*

Itemò & hoc notandum, quòd & suprà annotauimus, ex contractu magistratus municipalis actiones descendentes à duumuiris excipiendas esse.

De decurionibus.

Nunc sequitur de decurionibus & curialibus. Decuriones autem quidam dictos aiunt ex eo, quòd initio, cum colonie deducerentur, decima pars eorū qui deducerentur, consilij publici gratia conscribi solita sit. Decuriones fieri non possunt serui, imò ne liberti quidem. Ex libera tamen muliere natus, quamuis ex seruo patre, non prohibetur decurio fieri in sua ciuitate. Nauicularij quoq; decuriones fieri non possunt; item surdi & muti, qui in totum non audiunt uel loquuntur: item pauperes. neq; minores uiginti quinq; annis decuriones creari possunt, nisi ex causa: neque hi qui annum quinquagesimum & quintum excesserunt. Heretici sanè à curiali fortuna non excusantur, honores tamen et priuilegia decurionum non habēt. Spurios quoq; posse in ordinē allegi, nulla dubitatio est: sed si habeant competitorē legitimè quæsitū, preferri hunc oportet. Ii quoq; qui ab edilibus flagellis cæsi sunt, deficientibus alijs honestis uiris decuriones creari non prohibentur. In tempus relegatos & reuersos in ordinem allegi sine permissu principis, rescriptum est. Is quoq; qui in relegatione natus, non prohibetur honore decurionatus fungi. Idem de eo dicendum, cuius pater ignominia fuit notatus. Quòd iudicij publici quæstionem citra ueniam abolitionis deserue-

deseruerunt, decurionum honore decorari non possunt: cum notentur ignominia, ueluti calumnie causa iudicio publico damnati. Filij familiarū decuriones fieri non prohibentur, quemadmodum literarū quoque expertes. Porro illud notandū, quod sola albi præscriptione minimè decurio fiat, qui secundum legē decurio creatus non sit. Sed neque poenæ gratia decurionē aliquē creari oportet. Decuriones autē ad magistratum uel exactionem annonarum ante tres menses uel amplius nominari debent: ut si querimonia eorū iusta uideatur, sine impedimento in absoluedi locū alius subrogetur. Creatione uerò facta, nominatus per appellationem excusationes suas opponere debet: quæ omiſsa, non admittendus est postea contradicere uolens, quod non rectè creatus sit decurio. Hæc de creandis decurionibus dicta sunt. Nunc officia & priuilegia horum exponemus. Decuriones ergo à ciuitate sua recedere non possunt, nec relicta curia militare, nec religionis ergò uitā solitariā sequi, nec aduocationis gratia peregrinari. Planè ob publicā necessitatem abesse possunt, sed & suæ rei causa, impetrata tamen prius proficiscendi licentia. Quod si aliàs relicta ciuitate aliò proficiscatur, à Præside provincie reuocandus est: aut si præsidis desit copia, in eundē manus iniectioe cōcessa à quolibet reduci et suæ curiæ uindicari potest. Curiales quoque singularū ciuitatū etiā inuiti uel reparare intra ciuitates, quas olim habuerunt

runt domus, uel de nouo ædificare coguntur, illic semper muneribus inscruituri, & aucturi frequentiam suarum ciuitatũ. Præterea curialis neq; procurator neq; conductor alienarũ rerũ, nec fideiussor aut mandator conductoris esse potest: alioquin nulla obligatio uel actio neq; locatori neq; conductori ex huiusmodi cõtractu dabitur. Planè decurio uel curialis qui prohibetur conducere, si iure successerit in cõductionem, remanet in ea: quod & in omnibus similibus seruandũ est. Quod aut quis suo nomine exercere prohibetur, id neq; per subiectam personam agere debet. Et ideo, si decurio subiectis aliorum nominibus prædia publica colat, quæ decurionibus conducere nõ licet: non secundum legem usurpata reuocari debent. Decurio etiam suæ ciuitatis uestigalia exercere prohibetur, & à tabellionum officijs abstinere: neq; per substitutũ curiales functiões implere potest. & actionib. publicis reip. procurator uti debet. Quilibet aut principalium uel decurionum, si uel decoctor pecuniæ publicæ, uel fraudulētus in adscriptionib. illicitis, uel immoderatus in exactione fuerit inuentus, plumbata rũ ictibus subijcitur. Præterea decurionũ prædia tam urbana q̄ rustica sine decreto alienari prohibentur, & non nisi necessitate urgente alienatio permittēda est. Quanquam iure antiquo sola uenditio prædiorũ decurionum erat prohibita, donationibus, permutationibus & alijs contractibus etiam sine decreto

per:

permissis. Sed iure nouo omnis alienatio talium præ-
 diorum decretum desiderat, quatiuis mortis causa do-
 natio fiat: excepta donatione propter nuptias & do-
 tis causa: in his enim alienationis speciebus decretum non
 exigitur. Rebus uero decurionis uel curialis ex causa
 lucratiua ad alium translatis, quatuor siliquæ curiæ
 debentur. Lucratiua autem causa accipitur causa heredi-
 tatis, legati, fideicommissi, donationis, uel cuiuslibet
 postremæ uoluntatis. Descriptionis autem onere sili-
 quarum quatuor, quas ex lucratiuis alienationibus
 tantum, non humanis uel animalium censibus, neque
 mobilibus rebus indicare licet, maiores ac posteri
 alienantis liberantur: ut si pater, auus, proauus fi-
 lio, nepoti, pronepoti, uel filiæ, nepti, pronepti ue in
 postrema uoluntate uel inter uiuos etiam donatione
 quidquam de suis opibus largiatur, memoratæ de-
 scriptionis cesset indictio. Idem ediuerso dicendum, si
 liberi parentibus præfatis titulis alienauerint. Sed &
 si is cui res lucratiuo titulo alienata est, eiusdem ciui-
 tatis ordini sit obstrictus, seu curialis sit, licet inter
 extraneos numeretur, uacuum tamen ea functione
 quod datum est consequitur: nam cum personæ con-
 ditio non mutetur, ne rei quidem statum conuenit
 immutari. Idem dicendum etiam est, si ad Ecclesiam
 uel alium uenerabilem locum res curialis peruenerit.
 Sed etsi socer futurus filij uel nepotis uel pronepotis
 sponsæ adfinitatis coeundæ causa donauerit, uel pa-
 tris

tens etiam filiam uel neptem uel proneptem curiali
 seu extraneo nubentem dotauerit, licet casu mortis
 uel diuortij euentu, res eius cui data est, uertatur ad
 lucrum: nec inter lucratiuas numerabitur, nec de-
 scriptionis oneri subiacet. Nec enim iuris optimi
 est, matrimonium, cum tot tantisque suis difficultati-
 bus opprimatur, aduenticijs etiam cumulare ponde-
 ribus. Res uero quæ memoratis causis lucratiuæ se-
 mel nomen exordiumque sortita est, licet ab eo qui su-
 sceperat, ad alterum emptionis uel cuiuscunque con-
 tractus iure migrauerit: cum prædicto descriptionis
 grauidamine proculdubio transferetur, ut uel sciens
 sibi imputet, qui accepit oneratam: uel si ignora-
 uerit, quod interest consequatur. Contraque si cuius-
 libet contractus exordio lucratiuæ nomen euaserit,
 etsi postea lucri titulo in dominium alicuius cecide-
 rit, sarcinam memoratæ descriptionis effugiet: nulla
 enim in huiusmodi causis confusionis intercedit oc-
 casio; si ad primordium tituli posterior quoque for-
 metur euentus: nisi forte res decurionis, quæ ad eum
 cuiuslibet mercimonij iure peruenerit, ad alteram
 fuerit postrema eius uoluntate, uel ab intestato; uel
 inter uiuos donatione translata: tunc enim, quid semel
 in personam cecidit, principali ueterum titulorum
 nequaquam ratione perspecta, conditionem et o-
 mnis merebitur lucratiuæ. Porro decurione defun-
 cto, quarta pars bonorum eius ad curiam pertinet;

⊙

nisi

nisi forte defuncti hæres et ipse decurio sit uel curialis, aut foemina hæres decurioni nupta sit: hi enim hæredes ad quartam curiæ præstandam obligati non sunt. Sed etsi defunctus spontè sese curiæ addixerat, cum antea curialis non esset, hæredes eius qualescunque ab hoc onere præstandæ quartæ sunt immunes. quod tamen in liberis naturalibus, quos pater curiæ obtulit, distinctionem recipit: hi enim, quamuis spontè non obligati curiæ addicantur, tamen quartam bonorum suorum partem curiæ relinquere tenentur. Sed & ne quarta pars curiæ debeatur, transactione effici potest. Ita uerò hereditas inter curiam & heredem decurionis diuidenda est, ut hæres omne patrimonium quod relictum est, in partes quatuor distribui procuret: deinde forte iacta, uel curia quarta uel hæres dodrantis electionem habeat. Et quidem res soli siue immobiles sub aspectu curialium æstimari diuidiq; debent: mobiles autem res uel se mouentes, uel instrumenta, uel si quid aliud in huiusmodi iure consistat, æstimantur ab ipso hærede iuramento interueniente. Quid enim tam durum tamq; inhumanum est, q̄ publicatione pompaq; rerum familiarium & paupertatis detegi uilitatē, & inuidiæ exponere diuitias? Si tamen hæres iuramentum subire noluerit, eadē in istis, quæ & in rebus immobilibus diuidendis, ratio obtinebit, actionibus hereditarijs tam curiæ q̄ contra curiam pro quarta parte cōpetentibus. Planè quod diximus, quartam partē ex bonis decurionis defuncti ad cu-

riam pertinere, id intelligitur, si defunctus liberis re-
 lictis decesserit: alioquin nullis liberis relictis dodrans
 bonorum curiæ iure nouo debetur. Idem dicendū est
 & si filiam reliquerit defunctus, quæ curiali nupta
 non sit, filijs nullis existentibus. Sed & si filios reli-
 querit naturales ex non iusto matrimonio natos, i-
 dem iuris est: nisi fortè filij huiusmodi à defuncto ri-
 tē hæredes sint instituti: hoc enim ipso à defuncto cen-
 sentur curiæ oblatis, ideoq; curiæ nihil ex bonis defun-
 cti debetur, secundum ea quæ supra diximus. Idem di-
 cendum est & si ipsi liberi naturales spontè sese cu-
 riæ obtulerint: nam & hoc casu nullis alijs legitimis
 liberis existentibus, huiusmodi liberis naturalibus do-
 drans bonorū debetur, quarta tantū ad hæredes ab
 intestato uenientes pertinet. Quod de naturalib. li-
 beris diximus, de liberis quoq; ex ancilla natis intelli-
 gendū est. Sed & si extraneos hæredes defunctus reli-
 querit, qui se curiæ offerant, sibi retinent hæreditatē
 illibatā, curia neq; antiquo iure quartā, neq; nouo iu-
 re dodrantē ex ea sibi uindicante. Porro si decurio se
 filios reliquerit etiam curiales, uel filias curialibus nu-
 ptas, non minus illis ex bonis defuncti parentis q̄ do-
 drans debetur. Idem dicendum & si liberos natura-
 les reliquerit curiales: Hæc de bonis decurionum
 sint dicta. Quod uerò ad priuilegia decurionum at-
 tinet, sciendum, illis immunitatem tribui, ne pro re
 priuata inquietudinem sustineant, neq; extraordi-
 narijs

narijs oneribus molestantur: quoniam satis uisum est, si ciuitatum munera per eos congruè compleantur. præterea decuriones torqueri & alijs corporalibus poenis affici prohibentur: quod adeo uerum est, ut quamuis decuriones esse desierint, eodent tamen priuilegio in memoriam prioris dignitatis fruantur. de qua re superius quoq; libro primo diximus. Porro decuriones in albo ita scriptos esse oportet, ut lege municipalì præcipitur. Sed si lex cessat, tunc dignitates erunt spectandæ, ut scribantur eo ordine, quo quisq; eorum maximo honore in municipio functus est: puta qui duumviratū gesserunt (si hic honor præcellat) et inter duumvirales antiquissimus quisq; prior: deinde qui secundo post duumviratum honore in Repub. functi sunt: post eos qui tertio, & deinceps: mox hi qui nullo honore functi sunt, prout quisq; eorum in ordine uenit. In sententijs quoq; dicendis idem ordo spectandus est, quem in albo scribendo diximus. Priuilegijs cessantibus cæteris, eorū potior causa habetur in sententijs dicendis, qui pluribus eodem tempore suffragijs iure decurionis decorati sunt. Sed & qui plures liberos habet in suo collegio, primus sententiam rogatur, cæterosq; honoris ordine præcellit. Qui ad tēpus relegatus est decurio, desinet esse decurio. Reuersus planè locū quidē suū non obtinebit, non tamen prohibetur decurio fieri, sed in locū suū non restituetur. hic enim uelut nouus in ordine uenit. Nam & sublegi
in lo-

in locum eius potest: et si numerus ordinis plenus sit, expectare eum oportet, donec alius uacet. Alia causa est eius qui ad tempus ordine remouetur: hic enim impleto tempore decurio est. Sed & in huius locum sublegi poterit. Et si locum plenum inuenerit, expectare debet donec locus uacet. Restitutus tamen in ordinem, eundem locum tenebit, quem pridem habuit. Primus curia, cum muneribus uniuersis expletis ad summum peruenerit gradum, comitiue primi ordinis fruatur dignitate; in curialibus tamen permanet. Ideoque curiales, qui honoraria adepti sunt comitiua dignitatem, obsequi debent ijs quorum moderationi sunt commisi, nec se existimare ideo incruisse dignitatem, ut iudicum precepta dispiciant. Nunc de decretis decurionum dicendum est. Quod autem semel ordo decreuit, non oportet rescindi: nisi ex causa, id est, si ad publicam utilitatem respiciat rescissio prioris decreti. Ambitiosa quoque decreta decurionum rescindi debent, siue aliquem debitorem dimiserint, siue largiti sint. Proinde (ut solent) siue decreuerint de publico alicui uel preedia, uel aedes, uel certam quantitatem prestari: nihil ualebit huiusmodi decretum. Sed & si salarium alicui decuriones decreuerint, decretum id nonnunquam ullius erit momenti: ut puta si ob liberalem artem fuerit constitutum, uel ob medicinam: ob has enim causas licet constitui salaria. Decurionibus item facultatibus lapsis alimenta decerni permissum est: maxime si ob munificentiam in patriam

triam patrimonium exhausserint. Exceptis insuper qui liberalium studiorum antistites sunt, & qui mendedi cura funguntur, decreto decurionū immunitas nemini tribui potest. Medicorū autē intra numerum præfinitū constituendorū arbitriū nō præsidi prouincie cōmissum est, sed ordini & possessoribus cuiusque ciuitatis, ut certi de probitate morū & peritia artis eligant ipsi, quibus se liberosq; suos in egritudine corporum committāt. Præterea illa decreta, quæ nō legitimo numero decurionū coactō facta sunt, nō ualent. Legitimus autem decurionū numerus dicitur maior pars decurionū. Nam quod maior pars curiæ efficit, pro eo habetur ac si omnes egerint. Maior uerō pars ita intelligenda est, ut complectatur duas tertiās, nam lege municipali cauetur, ut ordo nō aliter habeatur, quam duabus partibus adhibitis. Illud notandū, quod & patris suffragium filio proderit, & filij patri: item eorū qui in eiusdem patris potestate sunt: quasi decurio. n. hoc dedit, non quasi domestica persona. Quod in adtore constituendo & honorum petitione erit seruandum: nisi lex municipij uel perpetua consuetudo prohibeat. Minores uiginti quinque annorū decuriones facti, sportulas quidem decurionū accipiunt, sed interim suffragium inter cæteros ferre non possunt. Hæc de ordinis decretis, quorū pœna scientes, nō ignorantes punit. De filijs decurionum hæc maxime in iure habentur: primum quidem, quod cum patri-

bus

bus curiali fortunæ subiaccēt, ut si patres decesserint, teneatur adgnatio: nisi fortè quis spontè se curiæ obtulerit: huius enim liberi curiæ non sunt obnoxij: excepto eo, si pater filium suum naturalem curiæ obtulit, uel alios legitimos liberos non habens heredē instituit: hoc enim casu non solum naturalis curiæ spontè oblati curialis efficitur, sed etiā liberi ex eo descendentes. Ad eò aut filij decurionis, patris sequuntur conditionē, ut quāuis mater alterius sit originis uel conditionis, ideoq; per rescriptū filius à curia sit liberatus, nihilominus curiæ nexibus sit obstrictus. Planè nati ex matre inquilina domus Cæsaris & patre decurione, matris, non patris conditionē sequuntur. Nō excusat aut filium, quamuis ipse aduocatus sit, uel pater eius magister uel miles fuerit. Maiores tamen dignitates filiū à curiali nexu liberāt: utputa senatoria & similes. de qua re infra, ubi de munerū excusatiōe tractabitur, dicetur. Planè nepoti nō præiudicat cōditio aui, ut quāuis auus curialis fuerit, pater tamē non fuerit, nepos propterea curialis censeatur. Quanquā ueteres principes indulserūt ex materno genere curialibus Antiochenis adscribi eos, quos patris cōditio nullius ciuitatis iuri uindicaret. Quo tamē casu, si curia Antiochena ex filia curialis nato nullā fecisset cōditionis cōtrouersia, nos nepotes eius uindicare permittebatur. Quemadmodum aut filij decurionum, patrum conditionem sequuntur, ita etiā certis fruun-

tur privilegij propter eandem conditionē. Nam non
 torquentur, nec alijs plebeiorū pœnis subijciuntur: de
 qua re dictū supra libro primo. Nec interest, natura-
 les sint, an adoptiui filij. Planè huiusmodi privilegij
 non gaudet filius, cuius pater ordine motus sit, uel re-
 legatus: quod tamē distinctionē recipit. Nam si pater
 ordine motus sit ante conceptionē filij, hic quasi ple-
 beij filius in honoribus spectatur: quòd si post conce-
 ptionē pater dignitatē amiserit, benignè dicēdū erit,
 ut decurionis filium intuendū. Proinde hic quoq; qui
 post patris relegationē natus est, siquidē antè cōceptus
 sit, similis senatoris filio habebitur: si postea, nocet
 illi relegatio. Sed & si ad tempus ordine moto patre
 fuerit natus, medioq; tempore conceptus & editus
 sit, quasi decurionis filius erit, licet pater eius antè
 obierit, quàm in ordinem redierit: nec patris nota
 filius maculabitur. Illud nō interest, ut quis decurionis
 filius reputetur, quamuis eo tempore conceptus &
 natus sit, quo pater adhuc nondum decurio fuerit.
 Sed & si conceptus sit à plebeio, mox ante editio-
 nem pater eius decurionatum adeptus, ante edi-
 tionem amiserit: non infavorabiliter, medium tem-
 pus illi prodesse uelut iam nato, Vlpianus respondit.
 Planè ex libera conceptus & seruo uelut spurius
 habetur, nec ut decurionis filius (quamuis pater eius
 naturalis manumissus, & natalibus suis restitutus
 hunc fuit adeptus honorem) defendi potest. Hec
 de

de filijs, necnon de alijs priuilegijs & officijs decurionum sint dicta. Porro amittitur decurionatus, si decurio factus sit infamis, si relegatus sit, uel ordine motus. Si tamen ad tempus ordine motus sit, finito tempore pristinum locum recipit: secus, si ad tempus sit relegatus, ut supra est ostensum. Ex crimine tamen quod ignominiam importat, ordine motos in perpetuum moueri placuit. Ad tempus autem exulare iussos ex crimine leuiore, uelut transacto negotio non inter infames habebimus. Præterea quicumq; decurionum censuali ministerio spontè se mancipauerit, amittit ordinis sui dignitatem, si cum necessitas quæstionis subeundæ inuenerit. Cæcitas sanè & senectus decurionis à curiali fortuna cum non liberant. Hactenus de decurionibus & curialibus sit dictum. Inter personas ciuitatum habentur & legati, de quibus cum illorum officio nunc dicetur. An tequam autem legatio destinatur, uniuersi curiales conuenire debent, & decreta cum subscriptione sua interponere, eaq; præsidi seu præfecto prius insinuare, ut eius relatione comitati legatione perpensa res ordinetur. Præcipitur uerò omnibus ciuitatibus, ne plures quàm ternos legatos mittant, & ut ordo in legationibus iniungendis seruetur: hiq; qui legatione functi sunt, biennij uacationem habent, ne interim ad aliam legationem suscipiendam cogi possint, etiamsi de eadem causa litigetur: nec interest, utrum lega-

De legatis
& legationibus.

tio in urbe, an in prouincia agente Imperatore mandetur: nisi fortè de proximo peragi possit. Debitorcs fisci non prohibentur legatione fungi. Debitorcs tamen reipublicæ prohibentur. Sed et eos quibus ius postulandi non est, legatione fungi non posse, constitutum est. Ideoq; in arenam missus non iure legatus esse potest. Eundem autem plures legationes suscipere prohibitum non est, præsertim si sumptus et itineris compendium id suadeat. Si accusatio alicuius publicè instituta sit, non est compellendus accusator ad eum legationem suscipere, qui se amicum uel domesticum dicit eius qui accusatur. Filio autè propter legationem patris excusatio à legatione non datur. Porro legati officium est, Ne deserat suam legationem, neque alienis proprijs ue negocijs se interponat, et ut per se, non per alium legationem impleat. Nam legatus si deseruerit legationem, pœna adficitur extraordinaria motus ordine, ut plerunque solet. Vtrum autem deseruerit legationem, an ex necessaria causa moram passus sit, ordini patriæ suæ probare debet. Cessatio tamen unius legati ei qui munus ut oportet obiit, non nocet. Præterea legatus (ut dictum est) neq; alienis neq; proprijs negocijs se interponere debet. Ideoq; libellum sine permissu principis, de alijs suis negocijs dare non potest. In hac tamen causa non est, qui cum amico suo prætorc gratis consiliū participat. Sed et responsum est, de eo dam-

no, quod legationis tempore legatus passus est, posse eum etiam legationis tempore experiri. Antoninus quoque Imperator permisit legato pupilli nomine et instituere et defendere causam, licet legationi quam susceperat, nondum renunciaisset: precipue cum participem officij ipsius absentem esse diceret. Plane domum emere legatus etiam non perfecta legatione non prohibetur. Sed et per alium nihilominus quid à principe postulare, uel aliud negotium gerere potest, adeo quidem, ut et contra rem publicam cuius legatus est, per alium à principe quid postulare possit. Præterea ad officium legati (ut diximus) pertinet, per se, non per alium legationem expedire. Nam legati uicarios dare non possunt, nisi filios suos. Si tamen absenti iniuncta est legatio, eamque gratuitam suscepit, potest is et alium in legationem mittere. Porro his qui non gratuitam legationem susceperunt, legatium ex forma restituitur. Sed et legato, qui in negotio publico sumptum fecit, danda in municipes actio est. Et si legatus in munere legationis, antequam ad patriam reuerteretur, decessit: sumptus qui proficiscenti sunt dati, non restituantur. Legatis insuper, si tempore legationis conueniantur, reuocandi domum ius datur. sed et sancti sunt: et quid iuris sit, si quis legatum hostium pulsauerit, supra suo loco expositum est. Nunc de actore

De actore
uniuersita-
tis siue sy-
re dico.

re uniuersitatis siue syndico dicendū est. Nam & hic inter personas ciuitatum publicas numerari potest. Nulli autem permittitur nomine ciuitatis uel curie experiri, nisi ei cui lex permittit, aut lege cessante ordo dedit: cum duæ partes adessent, aut amplius quàm duæ. Planè ut duæ partes decurionum adfuerint, is quoq; quem decernunt adnumerari potest. Si decuriones decreuerunt actionem per eum mouendam, quem duumuiros elegerunt, is uidetur ab ordine electus, & experiri potest. Parui enim refert, ipse ordo eligat, an is cui ordo negocium dedit. Illud notandū, quòd & patris suffragium filio proderit, et filij patri: item eorum qui in eiusdem patris potestate sunt, ut antea quoq; diximus. Actor etiam filius familiæ dari potest. Constitui autem actor potest non ad agendum solum, uel defendendum, sed etiã ad operis noui nunciationem, & ad stipulationes interponendas: ueluti legatorum, damni infecti, iudicatum solui: quamuis seruo potius ciuitatis caueri debeat. Sed & si actori cautum fuerit, utilis actio administratori rerum ciuitatis dabitur. Si ita decreuerit ordo, ut quæcumq; incidisset controuersia, eius petendæ negocium Titius haberet: ipso iure id decretum nullius momenti esse uidetur: quia non possit uideri de ea re, quæ adhuc in controuersia non sit, decreto datam persecutionem. Sed hodie hæc omnia per syndicos solent secundum locorum consuetudinem explicari.

Si actor

Si actor datus postea decreto decurionum prohibitus sit: exceptio ei nocebit. Ex iisdem autem causis mutandi actoris potestas erit, ex quibus etiam procuratoris: quas supra suo loco enumerauimus. Sed & alia quæ de procuratoribus diximus, de actore quoque erunt intelligenda. Nam actor ille procuratoris partibus fungitur, & iudicati actio ei ex edicto non datur, nisi in rem suam datus sit: & constitui ei potest. Non solum autem ciuitates actorem siue syndicum habent, sed etiam quibuscumque permissum est corpus habere collegij, societatis, siue cuiuscumque alterius nomine: eorum proprium est ad exemplum reipub. habere res communes, arcam communem & actorem, per quem tanquam in republica quod communiter agi fieri oporteat, agatur fiat. nec dicendum erit, hunc quasi à pluribus datum sic haberi: hic enim pro reipub. uel uniuersitate interuenit, non pro singulis. Hæc de actore uniuersitatis. Restat ut de curatore reipublicæ, qui & ipse inter personas ciuitatis publicas numeratur, dicamus. Ad huius officium pertinet, agros reipublicæ retrahere, licet à bonæ fidei emptoribus possideantur: cum possint ad auctores suos recurrere: item pecuniam ad annonam destinatam uel distractis rebus exigere: item cautionem exigere fideicommissi nomine reipub. relictæ. Quod si suo officio non satisfecerit, quanti reipub. interest, conueniri potest. de qua actione cum alijs similibus

De curatore reipub.

De colle-
gijs & cor-
poribus.

similibus infra suo loco dicetur. Hæc de personis
ciuitatum publicis sint dicta: nunc de priuatis per-
sonis dicendum est: & primum quidem de collegijs
earum & corporibus. Hoc igitur loco sciendum, quod
neque societas, neque collegium, neq; huiusmodi cor-
pus passim omnibus habere concedatur: nam & le-
gibus & senatusconsultis & principalibus consti-
tutionibus ea res coercetur. Paucis admodum in cau-
sis concessa sunt huiusmodi corpora: ut ecce uetti-
galium publicorum socijs permissum est corpus ha-
bere uel aurifodinarum, uel argentifodinarum, uel
salinarum. Item collegia Romæ certa sunt, quorum
corpus Senatusconsultis atq; constitutionibus princi-
palibus confirmatum est: ueluti pistorum & quo-
rundam aliorum, & nauiculariorum, qui & in pro-
uincijs sunt. Milites autem in castris collegia habe-
re, specialiter etiam prohibitum est: tenuioribus ta-
men permittitur stipem mensuram conferre, dum
tamen semel in mense coeant: ne sub prætextu hu-
ius illicitum collegium coeant. Religionis causa co-
ire prohibitum non est: dum tamen sub prætextu re-
ligionis uel sub specie soluendi uoti coetus illiciti non
habeantur. In summa, nisi ex senatusconsulti uel Cæ-
saris auctoritate collegium uel quodcunq; tale cor-
pus coierit, contra senatusconsulta & mandata &
constitutiones collegium celebratur. Porro conuenit
tres facere collegium posse. Seruos etiam licet in
collegium

collegium tenuiorum recipere, uolentibus tamen dominis: nam si inuito uel ignorante domino seruos in collegium tenuiorum recipiant curatores horum corporum, centum aureorum poena in singulos homines tenentur. Non licet autem amplius quam unum collegium licitum habere. Et si quis in duobus fuerit, rescriptum est eligere eum oportere, in quo magis esse uelit: accepturum ex eo collegio, à quo recedit, id quod ei competit ex ratione, quæ communis fuerit. Sed & collegia, si qua fuerint illicita, mandatis & constitutionibus & senatusconsultis dissoluantur, ac permittitur eis, cum dissoluuntur, pecunias communes (si quas habent) diuidere, pecuniamque inter se partiri. In collegijs autem & corporibus, uel uniuersitatibus nihil refert, utrum omnes iidem maneant, an pars maneat, uel omnes immutati sint. Sed & si uniuersitas ad unum recedit, magis admittitur posse eum conuenire & conueniri: cum ius omnium in unum reciderit, & extet nomen uniuersitatis. Porro corporum huiusmodi proprium est (at diximus) habere res communes, arcant communem & actorem siue syndicum. Qui uero eiusdem corporis uel collegij sunt, sodales appellantur, quibus potestatem facit lex pactione, quæ uelint, sibi ferre: dum ne quod ex publica lege corrumpant. Hæc autem lex uidetur ex lege Solonis translata esse: nam & illic ita est eadem: Quod si populus uel eiusdem religionis cultores,
ad

uel Originum sacrificuli, uel nautæ, uel sodales, uel commune sepulchrum habentes, uel publicani, uel in societatem coemëdorum pecorum, aut negociationis, aut cuiuscunq; alterius rei cocuntes paciscantur inter se: ratum esto, quatenus publica id monumenta non prohibeant. Si quid uniuersitati debetur, singulis non debetur: nec quod debet uniuersitas, singuli debent: nisi uniuersitas ad unum reciderit: nam hic conuenire & conueniri potest, ut supra diximus. Si ciuitas uel alia uniuersitas non defendatur, id quod commune est possidetur & uenit: si nihil corporale est quod possideatur, per actiones debitorum ciuitatis agentib. satisfieri oportet. Postremò habent quælibet corpora licita sua iura atq; priuilegia, quæ ijs qui solo nomine in corpore uel collegio sunt, non cõpetunt: sed nec ijs quidem, qui supra legitimum numerum additi sunt. Hæc de collegijs & corporibus ciuitatum in genere sint dicta: nunc de certis collegijs & personarum conditionibus dicetur. & primum quidem de magistris artium liberalium, doctoribus & professoribus. Hi iubentur ab ostentatione uulgari & institutione priuata: nisi forte quidam priuata tantum institutioni uacare, & à publica professione abstinere uelint. Certus itè professorum numerus constituitur tam in urbe Romana quàm Constantinopoli, nimirum Oratores tres, Grammatici decem, Sophistæ quinque, Physicus unus, Iuris legumq;

De profes-
soribus ar-
tium libera-
lium & do-
ctoribus.

legumq; professores duo : ita ut unicuique loca specialiter deputata sint, ne discipuli sibi inuicē possint obstrepere, uel magistri, neue uocum confusio permista aures quorundam aut mentes à studio literarum auertat. Magistros autem studiorum, doctorēque excellere oportet moribus primū, deinde facundia. Et quisquis docere uult, non repente nec temere ad hoc munus prosilire debet : sed iudicio ordinis probatus, decretum curialium prius obtinere debet, optimorum consensu conspirante. Merces et salaria professoribus constitui iubentur arbitrio præsidis : præterea cum uxoribus et filijs, nec non et rebus, quas in ciuitatibus suis possident, ab omni functione, et ab omnibus muneribus ciuilibus uel publicis immunes esse præcipiuntur, ut neq; in prouincijs hospites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, uel exhiberi, uel iniuriã pati debeant. Si uerò se non utiles studentibus præbeant, ordinis decreta reprobare possunt. Plane philosophos hoc primū profiteri oportet, mercenariã operam spernere. Ideoq; merces petere non possunt, nec à patriæ muneribus excusantur. Turpe enim est, ut patriæ functiones ferre non possint, qui etiam fortunæ uim se ferre profitentur. Philosophis tamen qui se frequentes atq; utiles per eandem studiorum sectam contendentibus præbent, tutelam, item munera sordida corporalia remitti placuit, non ea

De philo-
sophis.

P que

quæ sumptibus expediuntur. Etenim uerè philosophantes pecuniam contemnunt, cuius retinendæ cupidine fictam adseuerationem detegunt.

De medicis.

Medici decreto decurionum constituuntur, ut supra suo loco dictum est. his extra ordinem de salario ius dicitur, ut supra libro proximo diximus. Si quis in archiatri defuncti locum subrogandus est, non antè particeps fiet, quàm primis, qui in ordine reperientur, septem uel amplius iudicantibus idoneus adprobetur: ita tamen, ut quicumque fuerit admissus, non in priorum numerum statim ueniat, sed eum ordinem consequatur, qui in cæteris ad priora subiectis ultimus poterit inueniri. Ea uerò sola medicos accipere conuenit, quæ sani offerunt pro obsequijs, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt. Pauperum quoque curam non aspernanter suscipient. Reprobari autem posse medicum à Republica, quamuis semel probatus sit, Imp. Antoninus rescripsit. Idem Imperator rescripsit, iuris studiosos, qui salaria petant, hæc exigere posse. Nunc de argentarijs et similibus dicendum. Argentariorum igitur opera uiriliter est: ideoque, feminae ab officio argentarij sunt remotæ. Seruus autem argentarius esse non prohibetur. Cum autem argentariorum officium necessarium sit, aliquot ijs priuilegia ab ipso Imp. Iustiniano indulta sunt, quæ passim suis locis inferentur. De mercatoribus hæc sunt notanda, quòd nobilibus

De iuris studiosis.

De argentarijs.

De mercatoribus.

LIBER TERTIVS.

199

indobilibus mercimonijs sit interdictum, quodq; mercatores ad domum Principis pertinentes debeant esse quingenti sexaginta tres, qui à muneribus personalibus sunt immunes. Præterea mercatorib. certa loca definita sunt, ultra quæ negociationes suas exercere prohibentur. Sed & secundum auctionis formulam merces uendere iubentur: quemadmodum et artificibus, sed & mercenarijs certa formula fuit præscripta, ultra quam merces uendere, operæ sue locare sub pœna tripli prohibentur. Postremò interdictum est mercatoribus, ne militent, ne arma & alia quædã ad hostes transferant: de qua re alibi quoq; est dictũ.

coribus, artificibus & mercenarijs.

Superest de mendicantibus, qui singuli inspiciendi sunt & explorandi de ualetudine ac etate: & si qui reperti fuerint minimè debiles, à mendicitate ad labores adigendi sunt.

De mendicantibus.

DE REBUS CIVITATVM.

CAP. VIII.

HAtenus de personis actum est: nunc de rebus ciuitatum agemus, primum quidem in genere de ijs adquirendis & alienandis: hinc de quibusdam huiusmodi rerum speciebus. Adquiruntur autem ciuitati res cum alijs modis, tum etiam pollicitationibus & legatis. Differt uerò pollicitatio à pacto, quòd pactum sit duorum consensus atque conuentio, pollicitatio offerentis solius promissum. Et

R a ideo

ideo illud est constitutum, ut si ob honorem pollicitatio fuerit facta, quasi debitum exigatur. Ideoq; si quis sui alieniue honoris causa opus facturum se in aliqua ciuitate promiserit, ad perficiendum tam ipse q̄ hæres eius obligatus est. Planè si sine causa promiserit, non erit obligatus: nisi fortè opus facere coeperit. Coepisse sic accipimus, si fundamenta iecit, uel locum purgauit. Sed & si locus illi petenti destinatus est, magis est ut coepisse uideatur. Item si apparatus siue impensam in publico posuit. Sed etsi non ipse coepit, sed cum certã pecuniam promississet ad opus, respub. contemplatione pecuniæ coepit opus facere, tenebitur quasi coepto opere. nec interest, promittentis, an alterius sumptibus opus inchoatum sit: descri enim quod coeptum est, non oportet. Sed & si ob casum, quem ciuitas passa est, quis promiserit se quid facturum: etsi non inchoauerit, omnimodo tenetur. Si quis ob honorem uel sacerdotium pecuniam promiserit, & antequam honorem uel magistratum ineat, decedat: non oportet hæres eius conueniri in pecuniam promissam: nisi fortè ab eo uel ab ipsa repub. eo uiuo opus fuerit inchoatum. Sed & qui pro honore pecuniam promisit, si soluere eam coepit, totam prestare operis inchoati exemplo cogendus est. Cum quidam, ne honoribus fungeretur, opus promississet: tam honores subire cogendum, quàm operis instructionem, Imp. Antoninus rescripsit, Idem rescripsit.

psit, conditiones donationibus adpositas, quæ in rem-
pub. fiunt, ita demum ratas esse, si utilitatis publicæ
interest: quòd si damnosæ sunt, eas obseruari non de-
bere. Et ideo non obseruandum esse, quòd defunctus
certa summa legata, uetuit uectigal exerceri: esse e-
nim tolerabilia, quæ uetus consuetudo comprobat.
Etsi autem is qui opus reipub. facturum se promisit,
postea ad tempus relegatus est: tamen gratiam mu-
neris, quod spontè obtulit, minuere non debet: cum
et absens per amicum perficere opus istud possit. Nò
tantum masculos, sed etiam foeminas, si quid ob hono-
rem pollicitæ sunt, debere implere, sciendum est. Sed
& ex epistola quoq; , quam muneris edendi gra-
tia absens quis emisit, compelli potest ad editionem.
Si quis, postquam ex pollicitatione tradiderat rem
municipibus, uindicare uelit: repellendus est à peti-
tione: æquissimum enim est, huiusmodi uoluntates in
ciuitates collatas poenitentia non reuocari. Sed etsi
desierint municipes possidere, dicendum erit actio-
nem eis concedendam. Acceptilatio quoq; à magi-
stratu municipali pollicenti facta ei non prodest.
Si quis autem opus quod pollicitus est perfecit &
adsignauit, deinde id fortuito casu aliquod passum sit
periculum, ad eum qui fecit non pertinet. Sed et ope-
re perfecto & adsignato, nullum eum qui fecit, cuius-
ue hæredes ratiocinium, uel discussionem aliquam,
quasi non integram promissam quantitatem in id o-

pus erogata, uel inutiliter facta opere, aut alia quacumque ratione, quocumque modo, quocumque tempore sustinere oportet. Porro si is qui opus reipub. pollicitus est, detrectat, actores constituti, qui legitime pro ciuitate agere possint, nomine publico adire aduersus eum, iudicem poterunt, qui cognoscet: et si opus ab eodem perfici debere constituerit, obedire eum reipublice ob hanc causam iubebit. Si quis autem, antequam opus inchoatum perficeret, decesserit: heres eius extraneus quidem necesse habet aut perficere id, aut partem quintam patrimonij relictis sibi ab eo qui id opus facere instituerat (si ita malit) ciuitati, in qua id opus fieri coeptum est, dare. Is autem qui ex numero liberorum est, si heres extitit, non quintae partis, sed decimae concedendae necessitate adficitur. Inter liberos nepotem quoque ex filia contineri, rescriptum est. Et haec quidem obtinent, si opus sine causa promissum coeptum est, ideoque obligatio sit perfecta: alioquin si ob honorem uel aliam causam promissum sit, in solidum obligatus est heres, quemadmodum ex defunctus utroque casu in solidum est obligatus. Imperator tamen Pius Antoninus constituit, ipsum etiam donatorem pauperem factum ex promissione operis coepti quintam partem patrimonij sui debere. Idem rescripsit, opera extruere debere eos qui pro honore polliciti sunt, non pecunias pro his inferre cogi. Liberalitatis autem in rempub. fa-

Et usurae non exiguntur, nisi mora in soluendo facta sit. Si autem dies non sit ab his, qui in opus reipub. pecuniam legauerint, praefinitus: a praeside tempus statuendum est: et nisi opus fecerint haeredes, usuras leuiiores intra sex menses: si minus, semisses usuras reipub. pendunt. Si uero dies dictus est, pecuniam intra diem nisi dependant, dicentes forte se non inuenire materiam, aut de loco controuersiam facientes, semisses protinus pendunt. Postremo, quod ad certam speciem ciuitati relinquitur, in alios usus conuertere citra principis auctoritatem non licet, et forma a testatore praescripta non est negligenda. Si tamen in opus aliquod pecunia legata sit, quod falcidiae legis interuentu fieri non potest: permittitur summam, quae eo nomine debetur, in id quod maxime necessarium reipublicae uideatur, conuertere. Et si plures summae in plura opera legantur, et legis falcidiae interuentu quod relinquitur omnium operum extructioni non sufficit, permittitur in unum opus, quod ciuitas uelit, erogari. Sed et municipio pecuniam legatam, ut ex redditu eius uenatio aut spectacula edantur, Senatus in eam causam erogari uetuit: et pecunia eo legata, in id quod maxime necessarium municipibus uideatur, conferrimittitur: ut in eo munificetia eius qui legauit, in scriptione notetur. Sed et si ad nouum opus pecunia specialiter legata non sit, uetera ex hac reficienda sunt. Idem

dicendum & si satis operum ciuitas habeat, & non facile ad ea reficienda pecunia inueniatur: nam & hoc casu pecunia in opera noua legata, potius in tutelam eorum operum quæ sunt, conuertenda, quam ad inchoandum opus eroganda.

Hæc de rebus ciuitatum acquirendis dicta sunt. Sequitur nunc de ijs alienandis & locandis. Licet autem ciuitatib. res suas quolibet titulo adquisitas pro suo commodo uendere: dum tamen in urbe quidem Imperiali authoritate, in prouincijs uerò presentib. omnibus seu plurima parte tam curialium quam honorariorum & possessorum ciuitatis, et iuramento interueniente cõsistentibus, uenditio fiat. Vēditione aut uel locatione rerum ciuitatis rite peracta, quamuis postea melior conditio fuerit allata, tamen ab ea recedere, nisi de eo specialiter conuenit, non licet. In perpetuum uerò res ciuitatis ita locandæ sunt, si prius propositis edictis in eum canonis modum contendendum augmento peruentum sit, ut extendi ultra aut superari ab alterius oblatione non possit. Decurionibus autem res ciuitatis locandas non esse, supra diximus. Agri publici, qui in perpetuum locantur à curatore reipublicæ, sine authoritate principali reuocari non possunt. Nec utiq; de exemplo posterioris locationis, præteritarum conductionum, quæ suam legem habuerunt, rationem iniri oportet. Plura de locatione rerum ciuitatis supra in locatione uestigialium

lium est dictum. Nunc de actionibus aduersus ciuitates competentibus dicendum. Nam sicut municipum nomine actio datur à iure, ita et aduersus eos actionem dandam iustissimè placuit. Vnde si alicui cum municipibus hereditas communis erit, familiae eriscundæ iudicium inter eos redditur. Idemq; dicendum est in finium regundorum et aquæ pluuiæ arcendæ iudicio. Sed et ex delicto actio aduersus municipes datur: referturq; ad uniuersos, quod publicè sit per maiorem partem. Item ex facto magistratus ciuitas tenetur: quia municipes intelliguntur scire, quod sciunt hi, quibus summa reipub. commissæ est. Ipsos autem duumuiros et curatorè reipub. actionem ex contractu magistratus etiam post annum excipere cogi, suprâ diximus. Planè in magistratum, qui administrationis tempore creditoribus reipub. nouatione facta pecuniam cauit, post depositum officium actionem denegari non oportet. Diuersa est causa eius qui solui constituit: similis etenim uidetur ei qui publicè uedit, aut locauit. Hactenus de rebus ciuitatum tam adquirendis quàm alienandis, necnon actionibus aduersus ciuitatem competentibus, sit dictum. Nunc de rebus ciuitatum in specie agendum erit. Et primum quidem de operibus publicis. Opus igitur nouum priuato etiam sine principis autoritate facere licet: præterquam si ad æmulationem alterius ciuitatis pertineat, uel materiam seditionis præbeat, uel circa

De operibus publicis.

theatrum uel amphitheatrum sit: publico uero sumptu opus nouum sine principis autoritate fieri non licere, constitutionibus declaratur: exceptis horreis & stabulis publicis. Sed & ea instaurandi, quae iam deformibus ruinis intercidisse dicuntur, licentia unicuique concessa est. Quinimo prohibitum est noua opera inchoare, priusquam coepta perficiantur, uel uetustate collapsa reficiantur. Porro cura operum publicorum praesidi prouinciae demandata est, ut is procuraret, quo opera maxime necessaria pecunia publica reficiantur. Sed & pontium, uiarum, portuum in quibuscunq; suae prouinciae locis, ite murorum curam habere debet. Licet autem operis publici gratia uel ob publicam commoditatem priuata opera demoliri, aestimatione operis domino praestita. Si tamen ultra quinquaginta libras argenti opus destruendum aestimetur, princeps prius ea de re consulendus est. Praeterea & illud constitutum est, ne opera publica sine cautione locentur: quanquam & sine cautione iis quibus cura operum publicorum mandata est, uel pecunia ad extructionem credita, usque ad annos quindecim ab opere perfecto cum suis heredibus ipso iure obligati sunt, ut si quid uitij adificationi intra praestitutum tempus contigerit, de eorum patrimonio (casu tamen fortuito excepto) reformetur. Conductore perficiendi operis punito, si se decesserit qui pro eo interuenerat, idem opus alij extruendum locauerit: nec a secundo redemptore opere

per-

fecto, usurarum præstationē hæres fideiussoris recusare non debet: cum & prior causa in bonæ fidei contractu in uniuersum fideiussorē obligauerit, & posterior locatio (quia suū periculū agnouerit) solidæ præstationi reip. cum substituerit. Qui liberalitate, nõ necessitate debiti redditus suos ad opera facienda concessit, munificentia suæ fructū de inscriptione nominis sui operibus, si qua fecerit, capere per inuidiam non prohibetur: aliàs nullius nomē, præterquã principis, licebit inscribere, nec præsidis quidē. Sed etsi nõ nouū opus fecerit quis, uerū opus ab alio coeptū adornare marmoribus, uel alio quodam modo ex uoluntate populi facturū se pollicitus sit: nominis proprii titulos scribendo, manentibus priorū titulis qui ea opera fecissent, id fieri debere, Senatus cēsuit. Si priuati in opera, quæ publica pecunia fiant, aliquam de suo adiecerint summam: ita titulo inscriptionis uti debent, ut quantam summam in id opus contulerint, inscribant. Ne autem eius nomine, cuius liberalitate opus exstructum est, craso, aliorum nomina inscribantur, & propterea reuocentur similes ciuū in patriam liberalitates, præses prouinciæ auctoritatem suam interponet. Præterea iudicum & domos publicas oportet publico iuri atq; usui semper iudicare. Et basilicam alicuius imaginis & pictarum cuiuslibet honoris tabularum obumbratione suffari, in eam equos intromittere, uel nuptias in

ea celebrare non licet. Turres tamē & muri pro munitione ciuitatum in terris priuatorum fabricati, illorum usui deſeruire, eorumq; cura & ſumptu reparari debent. Conceſſo autem generaliter opere publico à principe alicui priuato, intelligi id debet de opere deſtructo & diruto, quod parum ſit in uſu ciuitatis. Controuerſiæ quæ occasione publicorum operum extruendorum uel reſiciendorum oriuntur, ad præſidis cognitionem pertinent. Hæc de operibus publicis in genere dicta ſunt. Eorū ſpecies ſunt *baſilica*, de qua paulò ſuperius dictum eſt: item prætorium, muri & portæ ciuitatum, ſtatue & imagines, aquæ ductus, de quibus ſingulis ordine dicemus. Et quidē prætoria erant loca ſiue ædificia publica, in quibus publicè magiſtratus uel ius reddere uel habitare ſolebant. Vbi autem palatium erat & prætorium, palatiū quidem habitationi præſidis, prætorium autem ſuſcipiendis conſeruandisq; ſpeciebus publicis horreorum uice, uel alij neceſſariæ rei deputabatur. Muros in municipijs ſanctos eſſe dicimus, prohiberiq; oportet, ne quid in his immittatur. Ideoq; muros ſanctos dicimus, quia poena capitis conſtituta eſt in eos, qui aliquid in muros deliquerint, uiolauerint, ſcalis admotis uel alia qualibet ratione tranſcenderint. Nam ciues aliò quàm per portas egredi non licet, cum id hoſtile & abominandum ſit. Nam Romuli frater Remus occiſus traditur ob id, quòd murum tranſcendere uoluerit.

De baſilica.

De prætorio.

De muris.

luerit. Sed et qui perforauerit muros, uel inde aliquid abstulerit, peculatus accusatione tenetur. Muros municipales nec reficere licet sine principis uel praesidis auctoritate, nec aliquid eis coniungere uel supponere. Iubentur tamen in uniuersum omnes ordines atque incolae urbium singularum muros uel novos facere, uel ueteres firmitus renouare, scilicet hoc pacto impendijs ordinandis, ut adscriptio currat pro uiribus singulorum, deinde adscribantur pro aestimatione futuri operis territoria ciuium: ne plus poscatur aliquid quam necessitas imperauerit, ne ue minus, ne instans impediatur effectus. Sed & restorationi moenium publicorum tertia portio eius canonis, qui ex locis fundis ue reipub. annua praestatione confertur, alia constitutione deputatur. Postremo neq; muri neque portae habitari sine permissu principis propter fortuita incendia possunt. De statujs & imaginibus nunc dicendum est. Concedi igitur solet, ut imagines & statuæ, quæ ornamento reipub. sint futurae, in publico ponantur. Sine principis tamen permissu nemo sibi statuas aeneas, argenteas uel marmoreas ponere potest. Si quis autem statuam in municipio ea mente posuit, ut ea municipij esset, & eam petere uult: excludi eum oportet praescriptione in factum data. In priuatis operibus, inuitis his qui fecerunt, statuas alijs ponere non possumus. Quanquam autem uirtutum praemia tribui merentibus conuenit, tamen aliorum honores

De statujs
& imaginibus.

nores alijs damnorum occasionem prestare non oportet. Idcirco quoties uel iudicibus, uel cuilibet alteri statua fuerit à quocunque collegio seu officio ponenda, nequaquam, ex descriptione sumptus colligi possunt: sed eius culus ad honorem ponitur, expensis statua collocari debet. Quoties uero in honorem principis statua in publico ponitur, iudex loci iubetur esse praesens, non tamen eam adducere debet. Si quando usus exegerit, uel porticus uel aedes uetustate uel fortuitis casibus confusas reparari: licet etiam inconsulto Principe cum reuerentia sui, imaginem Principis deponere, ita tamen, ut resectis aedificijs loco proprio reponatur. Restat ut de aqueductibus dicamus. Prohibetur, ne intra quindecim pedes ab utroque latere aqueductus, etiam in priuatorum praedijs, arbores sint, ne earum radices fabricam formae corrumpant. aquarum quoque possessoribus, per quorum fines formarum meatus transeunt, ab extraordinarijs muneribus immunitas datur, ut eorum opera aquarum ductus sordibus completi mundentur. Quod si neglexerint, amissione possessionum mulctantur. Quae poena etiam ijs infligitur, qui ex aqueductu publico aquam ad suum fundum deriuant; nisi forte ius aquae uel longo usu adquisierint, uel ab Imperatore impetrauerint: quo tamen posteriore casu Imperiale rescriptum praefecto urbi, non alij intimandum est, sed & qui ius illud impetrauerunt.

De aqueductibus.

petrauerunt, aut ex castellis aut ex ipsis formis aqua
 ducere debent, non fistularum cursum ac soliditatem
 attentare, neq; ab ipso aqueductu trahere: quod si
 aliter fecerint, & ius impetratum amittunt, & extra
 ordinem puniuntur. Sed etsi quis usum aquae ex a-
 queductu palatij Hadriani impetrauerit, rescriptum
 illud nullius est momenti. Haec de aqueductibus,
 quanquam plura de ijs & fontibus annotaui in meis
 Digestis. Sequitur nunc de operibus & edificijs pri-
 uatis. Si quis igitur priuatus iuxta aedes publicas edi-
 ficare uelit, spacium quindecim pedum relinquere
 in medio debet. Idem dicendum, si quis iuxta aedificia
 uel horrea publica menianum aedificet. Sin aut duo
 meniana priuatorum extruuntur, decem pedum spa-
 cium in medio relinquendum est. Sin deniq; aedificiũ
 extruendum prospectui in mare impedimento futu-
 rum est, centum pedum spacium non solum per di-
 rectum, sed etiam per transuersum relinqui debet. Si
 quis balneum extruere et aedificiũ superimponere ue-
 lit, ita permittitur illi, ut concameratis superinstruat,
 & ipsum concameret, nec modum usitatu altitudinis
 excedat. Senatus censuit, ne quis domum uillam ue-
 dirueret, quo plus sibi acquireretur: neu quis nego-
 ciandi causa eorum quid emeret, uenderet ue: pœ-
 na in eum qui aduersus senatusconsultum fecisset
 constituta, ut duplum eius, quanti emisset, in ararium
 inferre

De operib;
 & edificijs
 priuatis.

inferre cogetur: in cum uerò qui uendidisset, ut irrita fieret uenditio. Planè si mihi precium solueris, cum tu duplum ærario debeas, repetes à me, quòd à mea parte irrita facta est uenditio. Nec solum huic senatusconsulto locus est, si quis suam uillam uel domum, sed etsi alienam uendiderit. Cæterum de alia domo in aliam marmora uel quid simile transferre licere, exceptum est. nec tamen ita transferre licet, ut integris ædificijs depositis publicus deformetur aspectus. Sed & si quis ciuitate spoliata, marmora, columnas, uel similem ornatum ad rura transtulerit, priuabitur ea possessione, quam ita ornauerit. Si quis uerò ex alia in aliam ciuitatem labentium parietum marmora uel columnas de proprijs domibus in proprias transferre uoluerit, quoniam utrobique hæc esse publicum decus est, licenter hoc faciet. Data similiter facultate etiam de possessione ad aliam transferendi, quamuis per muros, uel etiam per mediam ciuitatem transferri necesse sit: ita ut ea solummodo, quæ illata fuerint ciuitatibus, exportentur. Sed & si ad opus publicum transferat marmora & columnas, quamuis ædificio urbano detraxerit, licito iure facit. Item si quid uxoris in ædificium uiri iunctum est, citra metum senatusconsulti detrahi potest. Sed plura de iure proposito dicentur aliquando in loco de legatis. Porro ad præsidis prouinciæ officium spectat, ut inspectis ædificijs dominos eorum causa cognita

gnita reficere ea compellat; & aduersus detrectantem competenti remedio deformitati auxilium ferat. Sed & ad curatoris reipublicæ officium spectat, ut dirutæ domus à domino extruatur. Domum uerò sumptu publico extructam, si dominus ad tempus pecuniam impensam cum usuris restituere noluerit, iure eam respublica distrahit. Planè si is, cuius domus corruit, non eandem speciem restituere, sed in hortum uel quid simile conuertere aream uelit, consuetudine loci defendi potest. Postremò pro ædibus quas priuati in solo reipublicæ extruxerunt, placitam præstare pensionem coguntur. Omnia uerò, quæ in foro uel in quocunq; publico loco contra ornatum & commodum, ac decorã faciem ciuitatis extructa sunt, dirui possunt & debent, temporis præscriptione non obstante. Siquidem præscriptio temporis iuri publico non debet obsistere, sed ne rescripta quidem.

Hæc de operibus & ædificijs priuatis. Nunc de re frumentaria ciuitatum & annona dicendum. Frumentariæ itaque pecuniæ debitor suo nomine quamprimum soluere iubetur: necessaria enim omnibus rebus publicis frumentaria pecunia moram solutionis accipere non debet. Sed nec compensari in erogata huiusmodi pecunia debet. proinde si frumentaria pecunia in alios usus, quàm quibus destinata est, conuersa fuerit, uelut in opus balneorum publicorum: licet ex bona fide datum probetur, compensari tamen fru-

De re frum:
mentaria &
annona:

Q mentariæ

mentariæ pecuniæ non oportet, uerum solui à curatore reipub. iubetur. Et si contra absentem pronuntiatum est, inanis est querela. Cum incremento autem debito frumentaria pecunia suæ causæ restituetur. Immodicæ tamen & illicitæ computationis modus non adhibetur, id est, ne commodorum commoda, & usuræ usurarum incrementum faciant. Ipsa quoq; frumenta de horreis publicis in alios, quàm quibus destinata sunt, usus conuerti non debent, neque pro annona solui. Porro minimè æquum est, decuriones ciuibus suis frumentum uilius quàm annona exigit, uendere: neq; ius est ordini cuiusq; ciuitatis, preciũ grani quod inuehitur, statuere. De annonis quilibet notandum, quòd hæ non dentur pro titulis dignitatum, sed pro meritis. Præter hæc & alia quedã de annona in iure habentur, quæ in meis Digestis collegi. Sed & illud non est prætereundum silentio, quòd annonæ nomine publica sit introducta accusatio. Nam lege Julia de annona poena statuitur aduersus eum, qui contra annonam fecerit, societatem uel coierit, quo annona carior fiat. Eadem lege continetur, ne quis nauem nautam uel retineat, aut dolo malo faciat, quo magis detineatur: & poena uiginti aureorum statuitur. Sed annonam attentare & uexare uel maximè dardanarij solent, quorum auariciæ obuiam itum est tam mandatis quàm constitutionibus. Mandatis denique ita cauetur: Præterea
debebis

debebis custodire, ne dardanarij ullius mercis sint, ne aut ab his qui coemptas merces supprimunt, aut à locupletioribus, qui fructus suos equis præcijs uendere nolunt, dum minus uberes prouentus expectant, annona oneretur. Pœna autem in hos uaria statuitur. Nam plerunque si negociantes sunt, negotiatione tantùm eis interdicitur, interdum & relegari solent, humiliores ad opus publicum dari. Onerant quoque annonam stateræ adulterinæ, seta falsæ mensuræ: de quarum pœna supra libro primo in falsi crimine diximus. Mulierem propter publicam utilitatem ad annonam pertinentem audiri à præfecto annonæ deserentem oportet. famosi quoque accusantes sine ulla dubitatione admittendi sunt. Milites etiam, qui causas alienas defendere non possunt, qui pro pace excubant, uel magis ad hanc accusationem admittendi sunt. Scrut quoque deserentes audiuntur. Sed & inter seruum & dominum iudicium constat, si annonam publicam fraudasse dicat dominũ. Hæc de re frumentaria & annona dicta sunt. Nunc de alijs quibusdam ciuitatum rebus tam publicis quàm priuatis, necnon de ciuitatum priuilegijs dicetur: & primùm de agris ciuitatũ, quorum alij uectigales uocantur, alij non uectigales. Vectigales uocantur, qui in perpetuũ locantur: id est, hac lege, ut quandiu pro his uectigal pædant, tamdiu neq; ipsis qui conduxerũt, neq; his qui in

De agris
ciuitatum.

De numif-
mate.

locum eorum successerunt, auferri eos liceat. Non ue-
tigales sunt, qui ita colendi dantur, ut priuati agros
nostros colendos dare solemus. De numo siue numif-
mate tanquam publica re nunc dicendum. Et sanè e-
ius rationem eleganter reddit Paulus Iurisconsultus,
dicens: Quia non semper, nec facile concurrebat, ut
cum tu haberes quod ego desiderarem, inuicem ego
haberem quod tu accipere uelles, ut permutatio ne-
cessarij cum non necessario inter nos fieri possit: e-
lecta materia est, cuius publica ac perpetua aestimatio
difficultatibus permutationum equalitate quantita-
tis subueniret. Ea materia forma publica percussa,
usum dominiumq; nō tam ex substantia præbet, quam
ex quantitate: nec ultra merx utrunq; est, sed alterū
preciū uocatur. Porro aestimationem numifmatis non
minuit uetustas. Ideoq; solidos ueterum principum à
uendētibus sine refragatione accipi oportet, modò si
iusti pondcris sint, & speciei probæ. Pro imminutio-
ne uerò, quæ in aestimatione solidi tractatur, omnium
quoq; specierum præcia decrescere oportet. Obryza-
torum deniq; omnium solidorum uniforme præcium
postulari iubetur. Porro de publica pecunia fœ-
neranda illud cauetur, ut si bene collocatæ sunt
pecuniæ publicæ, in sortem debitores non inquiet-
tentur, & maxime si parient usuras. Si non pa-
rient, prospicere reipubl. securitati debet præses
prouinciæ: dummodò nō acerbum se exactorem, nec
con-

De pecu-
nia publi-
ca.

contumeliosum præbeat, sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum: nam inter insolentiam iniuriosam & diligentiam non ambitiosam multum interest. Præterea prospicere debet, ne pecuniæ publicæ sine pignoribus idoneis uel hypothecis credantur. Sed & plura de publica pecunia administranda & custodienda Imp. Iustinianus sancit, quæ ex ipsius constitutione cognoscere licet. Sed & de ornatu tum ciuium tum equorum, necnon de armis à priuatis non conficiendis nec emendis, nonnulla constitutionibus Imperatorum cauta sunt, quæ propter uerbositatem suam prudens omitto. De priuilegijs ciuitatum supersunt quædam: nimirum quòd respub. ut pupilla extra ordinem iuuetur, quòd ut priuatus ius adquirendi & possidendi habeat, quòd denique omnibus alijs chirographarijs creditoribus præferatur: de quo tamen posteriore plura diximus supra libro proximo. Hactenus ergo de rebus ciuitatum sit dictum.

De uestitu et ornatu ciuium.

DE ACTIBVS CIVITATIVM. CAP. IX.

Supereft ut de actibus ciuitatum dicamus, cuiusmodi sunt consultationes publicæ, munera & honores, nundinæ, ludi & spectacula, conuentus & publicæ ciuium læticiæ, serię, &c. De consultationibus

Q 3 nibus

nibus ergo publicis hoc præcipitur, ut in loco publico de communi utilitate prouincialium sententia proferatur, atq; id quod maioris partis probauerit assensus, solennis firmet auctoritas. De nundinis cauetur, quòd non utendo decem annis ius earum amittatur. Rustici quoq; confestim, ubi detulerint mercem, tradere eam, et ad opera sua reuerti iubentur. Si quis enim ipsos cultores agrorum uel piscatores deferre utensilia in ciuitatem iusserit, ut ea ipsi distrahant, destituetur annonæ præbitio, cum auocentur ab opere rustico. Illud etiam de nundinis notandum, quòd tempore nundinarum negotiatores & alij ad nundinas concurrentes non possint ibi ex antè gesto conueniri. De ludis & spectaculis illud cauetur, ne in loco, in quo principis imagines consecrantur, ludi uel spectacula fiant, aut histriones uiles uel picture introducantur, ne ludi ex ciuitatibus in oppida transferantur: ut pecunia spectaculis deputata necessitate exigente in refectionem murorum collocetur, ijsq; refectionis pristinae causæ restituatur: ut cruenta gladiatorum spectacula cessent. Sed & plura de ludis & spectaculis in Digestis meis collegi. Porro festos conuentus ciuium, & communem omnium leticiam leges permittunt, dummodò absit superstitia & sacrificium. Ferie quoque certæ indictæ sunt: in quibus nisi feriatum fuerit, poena legibus definita committitur. Sunt autem feriarum dies hi: Dies dominicus

vicus siue solis, calendæ Ianuariæ, quindecim dies paschales, dies natalis atque Epiphaniarum Christi, & alij similes: in quibus tum à forensibus tum ab alijs negocijs cessandum est: sed & à spectaculis & obscœnis uoluptatibus, sub pœna amissionis militiæ & bonorum. Et quod in hisce diebus gestum erit, nullius censetur esse momenti. Excipiuntur tamen res tempore perituræ, quas diebus feriatis curare prohibitum non est: item opera rustica, emancipationes, manumissiones, pacta & transactiones: non etiam debiti exactiones, neque ludi uel spectacula, uel etiã obscœne uoluptates, ut diximus. A nullo autem iudice præsumi debet, ut authoritate sua ferias aliquas condat: non enim Imperiales ferias uocari oportet, quas administrator edixerit: ac per hoc, si nomine eximuntur, etiam fructu carebunt. Sed plura de ferijs supra libro proximo diximus. Superest ut de muneribus & honoribus dicamus.

DE MVNERIBVS
& honoribus.

CAP. X.

MVnus tribus modis dicitur. Vno donum, & inde munera dicuntur dari mittiue. Altero o-

Q 4. nus,

nus, quod cū remittatur, uacationē militiae munerisq; præstat: inde immunitas appellatur. qua significatione hoc loco accipitur. Tertio officium dicitur, unde munera militaria & quosdam milites munifices uocamus. Igitur & municipales dicuntur, quòd munera ciuilia capiant. Honor uerò municipalis est, administratio reipublicæ cum dignitatis gradu, siue cum sumptu, siue sine erogatione contingens, qui muneris appellatione non continetur. Idcoq; cui muneris publici uacatio datur, ei non remittitur, ne magistratus fiat: quia id ad honorem magis, quàm ad munera pertinet. Cetera omnia, quæ ad tempus extraordinem exiguntur, ueluti munitio uiarum, ab huiusmodi persona exigenda non sunt. Porro munus aut publicum est, aut priuatum. Publicum munus dicitur, quòd in administratione reipublicæ cum sumptu sine titulo dignitatis subimus: seu est officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos uniuersosq; ciues, remq; eorum imperio magistratus extraordinario peruenit. Huius generis est cura extruendi uel reficiendi operis in ciuitate. Sed & iudicare munus publicum est. Et tutelam & curam placuit publicum munus esse. In summa, publica siue ciuilia munera triplicia sunt: personalia nimirum, patrimoniorum & mixta. Personalia munera sunt, quæ animi prouisione, & corporalis laboris intentione sine aliquo gerētis detrimēto expediuntur.

ueluti

ueluti tutela, cura, calendarij curatio. questura quoque in quibusdam ciuitatibus inter honores non habetur, sed personale munus est. Tyronum siue equorum productio, & si qua alia animalia necessaria producenda, uel res peruehendæ siue persequendæ sunt, uel pecunie fiscalis, siue annonæ, uel uestis, personæ munus est. Cursus uehicularis sollicitudo, item angariarū prebitio, personale munus est: cura quoque emendi frumenti & olei: nam & harum specierum curatores creari moris est. Sed & inter personalia munera in quibusdam ciuitatibus numerantur calefactio publici balnei, si ex redditibus alicuius ciuitatis curatori pecunia subministratur: item cura custodiendi aquæductus. Irenarchæ quoq; qui discipline publicæ et corrigendis morib. præficiuntur, sed et qui ad faciendas uias eligi solent, personale munus sustinent: cum nihil de proprio patrimonio in hoc munus cõferant. item Episcopi, qui præsunt pani et cæteris uenalibus rebus, quæ ciuitatum populis ad quotidianum uictum usui sunt, personalibus muneribus funguntur. Qui annonam suscipit, uel exigit, uel erogat, & exactores pecunie pro capitibus, personalis muneris sollicitudinem sustinent. Sed & curatores, qui ad colligendos ciuitatum publicos redditus eligi solent. Hi quoq; qui custodes ædium, ut archiote, uel logographi, uel tabularij, uel xenoparochi (ut in quibusdã ciuitatibus) uel limenarchæ, uel curatores ad ex-

Q 5 truenda

truenda uel reficienda aedificia publica, siue palatia, siue naualia, uel mansiones destinantur (si tamen pecuniam publicam in operis fabricam erogent) & qui faciendis uel reficiendis nauibus, ubi usus exigit, praeficiuntur, muneribus personalibus adstringuntur. Camelclasia quoque similiter personale munus est: nam ratione habita & alimentorum & camelorum certa pecunia camelarijs dari debet, ut solo corporis ministerio obligentur. Legati quoque, qui ad sacrum Principis mittuntur: quia uaticum (quod legatium dicitur) interdum solent accipere: sed & nicostrategi, & pistrinorum curatores, personale munus in eunt. Defensores quoque, quos graeci syndicos appellant, & qui ad certam causam agendam uel defendendam eliguntur, laborem personalis muneris aggreduuntur. Iudicandi quoque necessitas inter munera personalia habetur. Si quis etiam fuerit electus, ut compellat eos qui prope uiam publicam possident, sternere uiam, personale munus est. Pari modo qui acceptandis siue suscipiendis censualibus professionibus destinatur, ad personalis muneris sollicitudinem animum intendunt. Mastigophori quoque, qui agonothetas in certaminibus comitantur, & scribe magistratus, personali muneri seruiunt: item is, cuius officio in bonis usucapiones interpellantur, ac ne debitores liberentur, prouidetur. Item ex Carboniano edicto bonorum possessione petita, si satis non detur,

tur.

tur, custodiēdis bonis curator datus, psonali fungitur munere. His similes sunt bonis dati curatores, quæ fuerunt eius q̄ ab hostib. captus est, & receriti speratur: item custodiendis ab eo relictis bonis, cui necdē quisquam ciuili uel honorario iure successit, curatores cōstituti. Acquē personale munus est annonæ diuī sio, cura prædiorū publicorū, publicæ uīe muniçdæ, arcæ frumētariæ, et quæcūq; aliæ curæ sunt similes istis. Ex his enim quæ retulimus, cætera p̄ leges cuiusque ciuitatis et ex cōsuetudine lōga intelligi poterūt.

Patrimoniorum sunt munera, quæ sumptib. patrimonij & damnis administrantis expediuntur. Munera aut quæ patrimonijs indicūtur, duplicia sunt. nam quædam possessoribus iniunguntur, siue municipes sint, siue non sint: quædam non nisi municipibus uel incolis. Intributiones quæ ex agris fiunt uel ædificijs, possessoribus indicuntur: munera uerò quæ patrimoniorum habentur, nō alijs quàm municipibus uel incolis. Prioris etiam generis sunt agninales siue curiales equi alendi, mule, angariæ atq; ueredi. Præterea habent quædam ciuitates prærogatiuam, ut hi qui in territorio earum possident, certum quid frumenti pro mensura agri per singulos annos præbeant: quod genus collationis, munus possessionis est. Patrimonij sunt munera rei uehicularis, item nauicularis, decemprimatus. Decaprotum fieri etiam patrimonij onus est. Ideoque minor uiginti quinque
annis

annis fieri potest, non militans tamen. Exactionem tributorum & extraordinarias indictiones patrimonij onus esse constat: item munus hospitis in domo recipiendi: item uiarum munitiones, praediorum collationes. Elæmporia hospitatura apud Alexandrinos patrimonij munus existimatur. Susceptores quoque uini per prouinciã Africam patrimonij munus gerunt. Sed et protastasiæ uel sacerdotiæ munus non corporale, sed tantum patrimonij esse constat.

Mixta munera sunt, decemprimatus, uiginti primatus, ut Herennius Modestinus & notando & disputando bene & optima ratione decreuit: nam decaproti & icosaproti tributa exigentes & corporale ministerium gerunt, & pro muneribus defunctorum fiscalia detrimenta resarciunt: ut merito inter mixta hoc munus numerari debeat. Sed et quæ supra personalia esse diximus, si hi qui funguntur, ex lege ciuitatis suæ uel more quid de proprijs facultatibus impense faciunt, uel annonam exigentes desertorum praediorum damna sustinent, mixtorum definitione continebuntur.

Porrò ad praesidis prouinciæ officium pertinet prouidere, ut munera & honores in ciuitatibus equaliter per uices secundum ætates & dignitates, aut gradus munerum honorumque, qui antiquitus statuti sunt, iniungantur: ne sine discrimine & frequenter his oppressis simul uiris & uiribus respub. destituantur.

Obserua-

Obseruare item oportebit magistratus, ut decurioni-
 bus sollemniter in curiam conuocatis, nominationem
 ad certa munera faciant, eamq; statim in notitiã eius
 qui fuerit nominatus, per officialem publicum per-
 ferri curent: habituro appellandi, si uoluerit, atq; a-
 gendi facultatem apud præsidem causam suam iure
 consueto: quem si constituerit nominari minimè de-
 buisse, sumptum litis eidem à nominatore restitui o-
 portebit. De honoribus autem siue muneribus iniun-
 gendis cum quæritur, in primis considerata perso-
 na est eius, cui defertur honor, siue muneris admini-
 stratio: item origo natalium: facultates quoq; an suf-
 ficere iniuncto muneri possit: item lex, secundum quã
 muneribus quisq; fungi debeat Planè operarũ præ-
 bitio à ciuibus exigenda non est, nec ut actus rei pub.
 à libero homine geratur. item si cui respub. necessi-
 tatem imposuerit statuarum Principi ponendarum,
 qui non promisit: non est necesse ei obtemperare.
 præterea glebam, uel sollem siue septem solidorum
 functionem, siue quamlibet huiusmodi collationem
 tam circa personas quàm res & prædia exigere pro-
 hibitum est. Porro munera & honores iniungun-
 tur municipibus cuiusq; ciuitatis, qui ideo dicti sunt,
 quòd munera ciuilia capiãt: nam propriè municipes
 appellãtur muneris participes, recepti in ciuitatem,
 ut munera nobiscum facerent. sed nunc abusiue mu-
 ticipes dicimus suos cuiuscunq; ciuitatis ciues: ut puta
 Cam-

Campanos, Puteolanos. Sed & municipes intelligendi sunt hi quoque, qui in eodem municipio nati sunt. Municipem uero facit aut natiuitas, aut manumissio, aut adoptio. Qui igitur ex duobus Campanis parentibus natus est, Campanus est. Sed & si ex patre Campano, matre Puteolana, æquè municeps Campanus est: nisi forte priuilegio aliquo materna origo censetur: tunc enim maternæ originis erit municeps. ut puta Ilicensibus concessum est, ut qui matre Ilicensi est, sit eorum municeps. etiam Delphis hoc idem tributum & conseruatum est. Sed & eius qui iustum patrem non habet, prima origo à matre, coque die quo ex ea editus est, enumerari debet. Aliàs regulariter filios apud originem patris, non in materna ciuitate, etsi ibi nati sunt (si modò non domicilijs retineantur) ad honores seu munera compelli oportet: quamuis quis speciale rescriptum impetrauerit, ut matris potius quàm patris originem sequatur. Mulier quæ alterius ciuitatis incolæ nupta est, ibi unde originem trahit, non cogitur muneribus fungi. Qui ex uico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui reipub. uicus ille respõdet. In adoptiua familia susceptum exemplo dati muneribus. ciuilib. apud originem aui quoque naturalis respõdere oportet: quauis in isto fraudis ne suspicio quidem interuenerit. Manumissio quoque (ut dictum est) municipem facit. Ideoque liberti originem patronorum & domicilium sequuntur,

item

Rem qui ex his nascuntur. Vnde libertos & eo loco
 munus facere debere, unde patronus erit, & ubi ipsi
 domicilium habebunt, placet. Ex causa fideicommissi
 manumissus in muneribus ciuilibus manumissoris
 originem sequitur, non eius qui libertatem reliquit.
 Si quis autem à pluribus manumissus sit, omnium
 patronorum originem sequitur. Sed & si quis patro
 num habeat duarum ciuitatum municipem, per ma
 numissionem earundem ciuitatum est municeps. Ita
 uerò liberti muneribus fungi debent apud originem
 patronorum, si sua patrimonia habeant suffectura o
 neribus. Res enim patronorum, munerib. libertino
 rum subiecta non est. Adoptione quoq; municipem
 fieri diximus. Ius autem originis in honoribus obeun
 dis ac muneribus suscipiendis, adoptione non muta
 tur: sed nouis quoque muneribus filius per adopti
 uum patrem adstringitur. Si autem emancipetur
 rursus ab adoptiuo patre, non tantum filius, sed
 etiam ciuis ciuitatis, cuius per adoptionem fuerat
 factus, esse desinit. Hæc de natiuitate, manumis
 sione & adoptione, quatenus municipem faciant,
 sunt dicta. Porro adsumptio originis, quæ non est,
 ueritatem nature non perimit. Errore enim ueritas
 originis non amittitur, nec mendacio dicentis se esse
 unde non sit, deponitur: neque recusando quis pa
 triam, ex qua oriundus est, neque mentiendo de ea
 quam nō habet, ueritatem mutare potest. Sed et sola
nomina

nominis similitudo ad confirmandam cuiusq; originem satis non est: uerùm cum quæritur an municeps quis sit, etiam ex ipsis rebus probationes sumi oportet.

Ad hæc quisq; non solum ibi ubi municeps est, seu unde oriundus est, sed etiam ubi incola est, ad munera ciuilia tenetur. Incola autem est, qui in aliquã regionem domicilium suum contulit. nec tantum hi qui in oppido morantur, incolæ sunt, sed etiam qui in allicuius oppidi finibus ita agrum habent, ut intra eum se quasi in aliquam sedem recipiant. Proinde sicut ciues siue municipes origo, manumissio, allectio uel adoptio facit: ita incolas facit domicilium. Et in eo loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi larerem, rerumq; ac fortunarum suarum summam constituunt, unde rursus non sint discessuri, si nihil auocet. Vnde cum profecti sunt, peregrinari uidentur: quod si redierint, peregrinari iam desierunt. Planè uiris prudentibus placuit, duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxerit, ut non ideo minus apud alteros se collocasse uideatur. Si quis autem negocia sua non in colonia, sed in municipio semper agit, in illo uendit, emit, cõtrahit, in eo foro, balneo, spectaculis utitur, ibi festos dies celebrat, omnibus deniq; municipij commodis, nullis coloniarum fruitur: ibi magis habere domicilium, quàm ubi colendi iuris causa uersatur, uidetur. Senatores qui
liberum

liberum commeatum, id est, ubi uelint morandi arbitrium impetrauerunt, domicilium in urbe retinent. Miles ibi domicilium habere uidetur, ubi meret, et si nihil ibi possideat. Relegatus quoque domicilium ibi, unde arcetur, retinet: & in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet. Nihil autem impedimento est, quo minus quis domicilium aliò transferre possit: modò antequam ad honores uel munera nominaretur, transferat. Nam muneribus publicis iam destinatus, nisi perfecto munere incolatui renunciare non potest. Sed & domicilium re & facto transfertur, non nuda contestatione: sicuti in his exigitur, qui negant se posse ad munera ut incolas uocari. Temporaria quoque permutatio ius prouinciæ uel incolatus non innouat. Illud sciendum est, eum qui in agro uel territorio alicuius ciuitatis moratur, incolam non existimari: qui enim eius ciuitatis præcipuis non utitur, is ne incola quidem existimatur. Nec ipsi, qui studiorum causa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, nisi decens annis transactis, eo loco sedes sibi constituerint. Idem dicendum est & in patre, qui propter filium studentem frequentius ad eum commeat. Placet autem filium familiars domicilium habere posse non utique ibi, ubi pater habuit, sed ubicunque ipse domicilium constituerit. Et qui originem ab urbe Roma habent, si alio loco domicilium constituerint, munera eius susti-

R nere

nere debent. Planè sola domus possessio, quæ in aliena ciuitate cõparatur, domicilium nõ facit. Idem etiã de alio quocunq; prædio intelligẽdum est, quamuis à decurione quis illud cõparauerit. nam sola ratio possessionis ciuilibus muneribus possessori intungendis citra priuilegium specialiter ciuitati datum idonea non est: nisi patrimoniorum sint munera, de quibus supra diximus. Patris etiam domicilium filium alibi habitantem non obligat. Nam filius ciuitatem quidem, ex qua pater eius oriundus est, non autem domicilium sequitur. Aliud tamen iuris est in libertis, qui originem simul & domicilium patronorum sequuntur, necnon & hi qui ex his nascuntur, ut diximus. Sed & mulierem, quamdiu nupta est, incolam eiusdẽ ciuitatis uideri rescriptum est, cuius maritus eius est & ibi unde originem trahit, non cogitur muneribus fungi, ut supra quoque diximus. Sed & uirua mulier amissi mariti domicilium retinet, exemplo clarissimæ personæ per maritum factæ: sed utrumque alijs interuenientibus naptijs permutatur. Mulieres tamen, quæ in matrimonium se dederint non legitimum, nõ ibi muneribus funguntur, ubi mariti sunt, sed unde ipsæ ortæ sunt. Ea quoq; quæ de spõsata est, ante contractas nuptias suum non mutat domicilium. Postremò qui fœnus exercent, omnibus patrimonij intributionibus fungi debent, etsi possessionem non habeant.

L I B E R T E R T I V S. 67

Hactenus de ijs quibus munera iniungi possint, dictum est. Qui igitur ex his non habent excusationē, etiam inuiti honoribus atq; muneribus fungi coguntur. Nam si quis magistratus in municipio creatus, munere iniuncto fungi detrectet, per præsidem munus agnoscere cogendus est remedijs, quibus tutores quoq; solent cogi ad munus, quod iniunctū est, agnoscendū. Cautionē quoq; rempub. saluā fore præstabis nō minus is q̄ cōpulsus magistratu fungitur, q̄ qui spōtē officium agnouit. Planē Imp̄p. Verus et Antoninus rescripserunt, à curatore calendarij cautionē exigi non debere: cum à præside ex inquisitione eligatur. Inuitus autē filius pro patre rempub. saluā fore cauere nō cogitur: nec mutat, si pater, priusquā ad munus nominaretur, partē bonorū suorū donationis causa in filiū cōtulit. Si unus ex plurib. eiusdē mulieris cōfortib. sumptus fecerit solus, pro uirili eos à consortibus repetere potest. Idem dicendū est et si quis sumptus de suo fecerit, quos respub. facere debuit: nam et hunc indemnem esse oportet. Contrā etiā, si quis malē in munere suo peragendo uersatus fuerit, eo nomine reipublicæ tenetur. Nam magistratus reipublicæ non doliam solummodò, sed et latam negligentiam, et hoc amplius etiam diligentiam debent. Unde et nominum, quæ deteriora facta sunt tempore curationis, periculum ad ipsum curatorem ciuitatis pertinet: quæ uerò antequā curator fieret, idonea non

R. 2 erant,

INSTITUTIONVM

erant, eorum periculum ad eum non pertinebit. Et mala ergo muneris administratione non solum is qui administravit, sed etiam fideiussor eius tenebitur: ita tamen, si res ab eo seruari non potest, pro quo intercessit. Sed et fideiussores magistratum in his que ad reipublice administrationem pertinent, teneri, non in his que ob culpam uel delictum eis poenae nomine irrogantur, placuit. Nominati insuper successoris periculum fideiussores nominantis non tenet. Quoties filiusfamilias uoluntate patris decurio creatur, uersis muneribus, que decurioni filio iniunguntur, obstrictus est pater, quasi fideiussor pro filio. Consensisse autem pater decurionatui filij uidetur, si praesens nominationi non contradixit. Proinde quidquid in republica filius gessit, pater ut fideiussor praestabit. Gestum autem in republica accipere debemus, pecuniam publicam tractare, siue erogandam decernere. Sed et si curatores operum, uel cuius alterius reipublice creauit, tenebitur. Sed et si successorem sibi nominauit, patrem obstringet. Sed et si uestigalia locauit, pater erit obstrictus. Sumptus insuper muneribus et honoribus subministrare filiosfamilias decurioni consensu suo creato pater compellitur, quamuis ipse ab honoribus et muneribus ciuilibus sit immunis. Pater autem, qui filio decurione creato praenocauit, etsi praescriptione temporis exclusus fuerit, si quod gestum est, non habuit ratum: ciuilibus

MUNE-

muneribus pro filio non tenebitur. Cui tamen rescriptum Imp. Antonini contradicere uidetur, dicentis: Cum appellasse te dicas, ostendis causam ad te pertinere: potueras enim nominato filio tantum cōtestari, & non consentire oneri ei delato. Tunc autē consentiendo pater ad decurionatū filij obligatur, si filium in potestate habeat, non etiam si emancipato filio creato consentiat: nisi fortē consulto filium emancipauerat, ne pro magistratu eius caueret: hoc enim casu perinde bona eius tenentur, atque si fideiussor pro eo extitisset. Sed etsi pro infante filio, quem decurionem esse uoluit, pater fidem suam obstrinxerit: tamen interim onera sustinere non cogitur: cum ad ea quæ mandari possunt, uoluntatem dedisse uideatur. Is qui decurionē adoptauit, onera decurionatus eius uidetur suscepisse, exemplo patris, cuius uoluntate filius decurio factus est. Vitricus autem onera ciuiliū munerum nomine priuigni sui suscipere nulla iuris ratione cogitur. Sed & uerus pater non de omnibus tenetur, de quibus filius. Si enim filius tutores dare non curauerit, uel minus idoneos elegerit, nec satis exegerit, uel non idoneum acceperit: ipse quidem quin sit obstrictus, nulla dubitatio est: pater uero ita demum obligatur, sicut & fideiussores solent hoc nomine obligari. Sed non solent: quia fideiussores rempublicam saluam fore promittunt. Reipublicæ autem nihil (quod ad rem

pecuniariam attinet) interest, pupillis tutores dari. Similiter, quemadmodum in fideiussore antea dictum est, ita etiam in patre dicendum, ut non alias conueniri possit, quàm si res à filio non possit seruari. Ideoque antè filium ex persona sua respublica debet conuenire, quàm patrem ex persona filij: nec ad rem pertinebit, an filius castrense peculium tantum possideat, cum antè militasset, uel postea. Sed et responsum est, heredes patris propter munera filij, quæ post mortem patris suscepit, iure conueniri non posse. quod responsum et ad eum pertinet, qui à patre decurio factus, post mortem patris munera suscepit: si nihil de expediendis muneribus testamento pater cauit. Si tamen de proprio suo patrimonio muneris editionem filij nomine pater promisit, onus erogationis etiam post mortem patris heredibus eius incumbet. Hæc de patre nominati ad munus, patrisq; heredibus dicta sunt. Sed et heredes eius qui munus gessit, perinde ac ipse tenentur, si quid malè gestum est: et operum periculum ad heredes etiam curatorum pertinet. Planè curator operum creatus præscriptione motus ab excusatione perferenda, sicuti cessationis nomine, in qua quoad uixit, moratus est, heredes suos obligatos relinquit: ita temporis quod post mortem eius cessit, nullo onere eos obstrinxit. Ideoque damno etiam, si quod post mortem eius dolo uel culpa collegarum accessit,

accessit, onerari eos non oportet. Sed & si curator in distrabendis bonis per fraudem quid gesserit, ut in duplum teneatur: hæc pœna ad eius heredes non descendit. Præterea ex mala muneris administratione is quoque, à quo is qui administravit, ad munus uel honorem nominatus est, conueniri potest: si modò res à nominato seruari non possit. Ideoq; prius nominatus, seu qui administravit, eiusue hæres conueniendus est, sed & fideiussor: quibus omnibus excusis, si solidum seruari non potest, nominator tenebitur. Si tamen nominatus non ex suo facto sit obligatus, sed ex facto eius quem ipse in locum suum nominavit: nihil ea res priori nominatori obest: nam nominati successoris duntaxat quisq; periculum suscipere compellitur, nec ad nominatoris nominatorum manus iure porrigi possunt. Planè ex facto collega nominati nominator conueniri potest, si à collega res seruari non potest: cum scire debuerit, eum qui nominaretur, indiuiduum officium & cõmune periculum suscepturum. Quod autem supra diximus, fideiussores ad ea quæ pœnæ nomine ei, pro quo intercesserint, irrogantur, non esse obligatos: idem de nominatore quoque accipi debet: nam & hic pœnabilibus actionibus non adstringitur, in quas incidit is quem nominavit: satisque est, damnum reipublice ab eo, quemadmodum & à fideiussoribus, præstari. Sed & si eo tempore, quo est nominatus,

R 4 idoneus

idoneus postea lapsus facultatibus damnū debitis rei publice dederit: quia fortuitos casus nullum humanum consilium providere potest, nominator siue creator hoc nomine nihil prestare debet. Idem multo magis dicendum, si nominatus finito magistratu idoneus fuit. Hæc de nominatore. Collega insuper ex mala muneris administratione alterius conueniri potest. Nam magistratum officium indiuiduum est, ac periculum commune. Quod tamen sic intelligi oportet, ut ita demum collega periculum adscribatur, si neque ab ipso qui gessit, neque ab his qui pro eo interuenerunt, res seruari possit, & soluendo non fuerit honore deposito. Alioquin si persona eorum, uel cautio sit idonea, uel soluendo fuerit, quo tempore conueniri potuit, unusquisque in his que administravit tenetur. Sed & exemplo fideiussoris priorem conueniendum placuit eum qui nominauit, quàm collegam: quoniam collega quidem negligentie ac poenae causa, qui uerò nominauit fidei ratione conuenitur: & ei contra collegam nominati utilem actionem dari non oportet. Proinde si alter ex magistratibus toto anno abfuerit, aut fortè præsens per contumaciam, siue ignauiam, uel ægram ualetudinem reipub. negocia non gesserit, & omnia collega solus administrauerit, nec tamen tota res ab eo seruari possit: talis ordo dabitur, ut in primis qui negocia gessit reipub. & qui

pro

pro eo cauerunt, in solidum conueniantur: mox per-
actis omnibus periculum agnoscat, qui non idoneum
nominauerit: postremò alter ex magistratibus, qui
reipub. negocijs se non immiscuit. Planè quoties duo-
bus nõ separatim, sed pro indiuiso munus iniungitur,
ita ut unusquisq; eorum periculo soliditatis uideatur
obstrictus: manus ad nominatorem, priusquam utri-
que, qui id munus administrauerunt, solenniter fue-
rint excussi, nulla ratione porrigi possunt. Si uerò se-
paratis portionibus ad munus nominati sunt: prius
pro portione conueniantur qui id administrauerunt,
item fideiussores eorum. si ne ab his quidem fideiusso-
ribus indemnitatis fuerit seruata, tunc demum creato-
rem: ac si ne is quidem sufficiat, nouissimè participè
muneris conueniri debere, leges uolunt. Sed & qui
iniunctum munus à magistratibus suscipere superse-
dit, potest conueniri eo nomine propter damnum
reipub. quamuis eo tempore, quo creatus est, in alie-
na fuerit potestate: Ius etiam reipub. pacto mutari
non potest, quo minus magistratus collegæ quoq; no-
mine conueniri queat. Hæc de collega: De successore
sciendum, quòd hic antecessoris sui factum non præ-
stat. Si tamen nomen, quod antecessor fecit, successor
agnouit, eius periculum ab antecessore in successorẽ
transfertur. Et qui nouissimus nomen probauit, in-
demnitati reipub. satisfacere debet, si nomen ad suc-
cessorem idoneum transmisisse non doceatur. Si autẽ

R s nomen

624 INSTITUTIONVM

nomen idoneum transmissum est, quilibet sui temporis periculum prestat, si cum nomine publico agere possit, id facere supersedit. Cum ergo publicum prædium in annos quinque idonea cautione non exacta curator reipublicæ locasset, & ceteris annis colonus reliqua traxisset, neque de fructibus prædij mercedes adseruari possent: responsum est, successorem eius qui locauit, teneri. Idem in uestigalibus quoque constitutum est, ut sui temporis singuli periculum præstarent. Postremò hoc loco sciendum, quòd uxor pro marito decurione conueniri non possit, nec frater pro fratre, quamuis indiuisa bona habeant. Hactenus aduersus quos ex mala muneris administratione competat actio, expositum est: nunc quid quantumque in hac ueniat actio, dicendum est. Quo loco sciendum, eos qui ex officio quod administrauerunt, conueniuntur, ad damnum sortis tantum, non etiam ad usuras teneri: nisi fraus aliqua arguatur, uel pecuniam publicam apud se retinuerint, uel in suos usus conuerterint: nam rescriptum est, eum qui pecuniam publicam magistratus sui tempore, & post nò pauco tempore detinuerat, usuras etiam prestare debere; nisi quid allegare possit, qua de causa tardius intulerit. Curatores, si in bonis distrahendis negligenter se gesserint, in simplum: si per fraudem, in duplum tenentur. Postremò, quòd supra dictum sit, magistratū etiam college sui nomine teneri: sciendum est.

est,

est, si quis pro collega suo conuentus soluerit, ei eo nomine aduersus collegã eiusq; heredes actionẽ dari ad repetendũ id quod soluit: quæ tamẽ actio nominati aduersus nominati collegam denegatur. Hec de actione, quæ ex mala muneris administratione competit, sint dicta. Superest ut de excusationibus & immunitatibus dicamus.

DE EXCVSATIONIBVS ET immunitatibus.

CAP. XI.

EXcusationum ergo & immunitatum siue uacationum cause plures sunt, quarum omnium duo sunt genera: unum pleniùs, quum & militiæ datur uacatio: alterum exiguiùs, quum nuda muneris uacatio conceditur. Species autem singulorum generum hæ sunt: prima quidem in sexu est. Nam corporalia munera fœminis ipse sexus denegat, quo minus honores uel munera ipsis iniungantur. Patrimoniorum autem munera etiam mulieres sustinere debent. Planè sunt quedam personalia munera, quorum fœmine quoque sunt capaces, à quibus illis uacatio non datur. Minores etiam uigintiquinque annis ad honores & munera admitti non oportet: multò minus impuberes, quamuis necessitas penuriæ hominum urgeat. Pla-

*nè quæ munera patrimonij inunguntur uel in tribu-
 tiones, talia sunt, ut neq; ætas ea excuset, neq; alia præ-
 rogatiua, quæ alioquin à personalib. muneribus solet
 excusare. Decaprotos ergo minores annis uiginti-
 quinque fieri (non militantes tamen) placuit: quia pa-
 trimonij magis onus uidetur esse. Sed plura de mimo-
 rum excusatione superius suis locis dictum est. Maior
 quoq; ætas excusationem præstat. Nam semper sene-
 ctus Romæ uenerabilis fuit, maioresq; penè eundem
 honorem senibus, quem magistratibus, tribuebant. ita
 circa munera municipalia subeunda idem honor se-
 nectuti tributus est. Nam maiores septuaginta an-
 nis à tutelis & muneribus uacant. Sed qui ingres-
 sus est septuagesimum annum, nondum egressus, hac
 uacatione non utetur: quia non uidetur maior esse
 septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum.
 Planè maiores annis quinquagintaquinque ad decu-
 rionatus honorem inuiti uocari cõstitutionibus pro-
 hibentur. A' munerib. tamen patrimoniorũ (ut antea
 quoq; dictum est) nulla ætas excusationem præstat.
 Sed & cum qui in senectute locuples factus est, &
 antè nullo munere publico functus est, dici potest nõ
 eximi ab hoc onere priuilegio ætatis: maxime si non
 tam corporis habeat uexationem, quàm pecuniæ e-
 rogationem indicti muneris administratio, & ex ea
 fit ciuitate, in qua non facile sufficientes uiri publicis
 muneribus inueniantur. Legem quoq; respici cuiusq;
 loci*

Soci oportet, an, cum quas immunitates nominatim complecteretur, etiam de numero annorum in ea commemoretur. Sed & etas septuaginta annorum ab honoribus, aut muneribus his coherentibus excusationem non præstat, sed à muneribus tantum ciuilibus. Maiores tamē annis quinquagintaquinque ad decurionatus honorem inuitos cogi non oportet, ut diximus. Sed si ei rei consenserint, etsi maiores annis septuaginta sint, munera quidem ciuilia subire non coguntur, honores autem gerere debent. Is quoque qui per senectutem à decurionatu uacare coepit, ordinationi nihilominus, quæ per plurimos citò definiri solet, adesse debet. Præterea ualetudo aduersa excusationem à muneribus præstat. Sic Prætor eos, quoscunque intelligit operam dare non posse ad iudicandum, pollicetur se excusaturum: forte quòd in perpetuum quis operam dare non potest, quòd in eam ualitudinem quis incidit, ut certum sit, eum ciuilia officia subire non posse: aut si alio morbo laboret, ut suis rebus superesse non possit. Planè corporis debilitas eorum munerum excusationem præstat, quæ tantum corpore implenda sunt. Ceterum quæ per consilium prudentis uiri uel patrimonio sufficientis in honores obiri possunt, nisi certis & receptis probabilibus causis non remittuntur. Podagra quoque ualetudo nec ad personalium munerum excusationem prodest: nisi ita quis ex pedibus laboret, ut ne suis quidem rebus superesse possit.

Cecitas,

citas, qua quis omnino non uidet, uacationem personalium munerum præstat. Surdus & mutus, si in totum non audiant, aut non loquantur, ab honoribus cænilibus, nõ etiã à muneribus excusantur. Liberi quoq; à muneribus ciuilib. personalibus, nõ etiã patrimonialibus excusationẽ parentibus præstant. Nam quinq; liberorum incolumium pater à muneribus excusatur. Sed & trium incolumium liberorũ pater à legationibus publicis liberatur. Planè numerus liberorum postea impletus susceptis antea muneribus non liberat. Defunctus quoq; filius ad excusationem munerũ non prodest, præterquã in bello amissus. Ab hostibus autem captum filium, ac necdum reuersum, ad excusationem munerum personalium patri proficere non posse, magis placuit. Liberi uerò incolumes, etiamsi in potestate patris sui esse desierint, excusationem à muneribus præstant. Adoptiui tamen filij non profunt. Nepotes autem in locum parentum succedentes uice eorum prodesse consueuerunt. Ab honoribus tamen numerus liberorum non excusat, præterquã à sacerdotio. Sed etsi non ab omnibus muneribus liberorum numerus patri uacationẽ præstat: tamen duodecim liberorum pater à decurionatu liberatur, & sedecim liberorum ab omnibus muneribus excusatur. Præterea ordo in honoribus & muneribus iniungendis obseruari debet: nec aliàs compellendus quis est munere fungi, quã si priores functi sunt. Et ab honori-

honoribus ad honores eisdem quinquennij datur uacatio: triennij uerò ad alios. Legatione uerò perfunctis biennij uacatio concessa est. Planè præscriptio temporum, quæ in honoribus repetundis, uel alijs suscipiendis data est, apud eisdem seruat, non apud alios: sed nec alijs competit, quàm his qui ad eosdem uel alios honores, eademq; uel alia munera de nouo uocantur. Ideoq; fratribus eorū, licet communia possideant bona, minimè prodest. Patri tanè et filio in eadem domo honores et munera continuari nō debent. Vicarius aut̄ alieni muneris uolūtate sua datus ordine legationē, aliūdue munus suscipere, nō admissa temporis præscriptione cogetur. Proinde filius decurio pro patre legationis officiū suscipiens, quò minus ordine legatus proficiatur, nō excusatur: pater tamen biennij uacationem uindicare potest: quia per filium legatione functus uidetur. Sed & quoties penuria est eorum, qui magistratum suscipiunt, immunitas ad aliquid infringitur, & ex his qui iam functi sunt, creantur. Ideoque si legatio de primoribus uiris desideret personas, & qui ordine uocantur, inferiores sint: non obseruandum ordinem, rescriptum est. Defensionem quoque reipublicæ amplius quàm semel suscipere nemo cogitur: nisi id fieri necessitas postulet. Sed & rescriptum est, interualla temporum in continuandis honoribus inuitis, non etiam uolentibus concessa esse: dum ne quis continet honores. Ideoque sponte pro-

tē prouinciæ sacerdotium iterare nemo prohibetur. Sed & iudicibus illustri præditis potestate licet consiliarios sibi eosdem secundo, ac tertio, & sepius adiungere: quia qui semel rectè cognitus est, ob hoc solum non debet, quòd iam probatus est, improbari. Idem dicendū est in domestico ex agentib. in rebus principalibus eligendo. Præterea eodē tempore idem duas causas operis non administrabit. Ideoq; defensores reipublicæ ab honoribus & muneribus eodē tempore uacant. Sed nec in duabus ciuitatibus honores eodem tempore ab uno gerendi sunt. Cum ergo simul utrobique deferuntur, potior est originis causa. Munus tamen sustinenti honor deferri potest: quamuis contra honorem sustinenti munus imponi non possit. Sed & à decurionatu, quanquam hic quoq; honor est, ad aliū honorem nulla uacatio tribuenda est: licet aliàs quis duplici honore simul fungi nō possit. Sed & frustra altero munere exonerari petit, qui utrunq; spontè suscepit. Ideoq; curam operis aqueductus in alio iam munere constitutus postea suscipiens, præposterè uisus est petere exonerari priore munere, utrisque iam implicitus: quando si alterum tantum sustinere eum oportuisset, antè probabilius impetrasset propter prius munus à sequente excusationē. Præterea ex eadem familia duos ad idem munus destinari, periniquum uidetur. Ideoq; filius, qui cum patre ad protastasiæ uel simile munus uocatus est, ab
 huius.

huiusmodi necessitate liberatur, si modo in patris potestate sit constitutus. Nam ij qui emancipati sunt, atque ex familia exierunt, retineri debent. Porro municeps desinit esse senatoriam adeptus dignitatem: & hoc quantum ad munera: quantum uero ad honores, retinere creditur originem. Ab alijs quoque illustribus personis sordida munera & extraordinariae necessitatis damna remouentur. Proinde patricij, consules, consulares, nec non magistri militum, praefecti praetorio Orientis uel Illyrici, uel urbis administrationem in actu positi gerentes, cum alijs quibusdam in iure specialiter enumeratis, omnimodo cum facultatibus suis, & post eam dignitatem progenitis filijs à curiarum nexibus & honore sunt immunes: anterioribus filijs in conditione pristina remansuris. Iis autem qui in actu sunt, non honoratis dignitatibus haec immunitas tribuitur: quemadmodum nec illis, qui suffragio perciperint dignitates. Sed & à portus, aquaeductus, & murosum instauratione siue extructione dignitatis priuilegio nemo excusatur. Haec de ijs qui in dignitate positi sunt, excusandis in genere sunt dicta: nunc de quibusdam in specie dicetur. Et quidem Senatores, & eorum filij filiaeque, quoquo tempore nati nataeque, itemque nepotes & pronepotes ex filio origine eximuntur, licet municipalem retineant dignitatem. Ideoque à muneribus sunt immunes, non tamen ab honoribus, ut dictum est. Decuriones etiam & curiales

riales extraordinarijs et sordidis muneribus non gra-
 uantur: ab ordinarijs autem & curialibus honoribus
 ac muneribus non excusantur. Exigendi tributi mū-
 nus inter sordida munera non habetur: & ideo decu-
 rionibus quoq; mandatur. Præterea qui in sacris scri-
 nijs militant, sunt immunes: adeò ut super domibus
 quoq; quas in prouincijs possident, metatorum mole-
 stia liberentur. Magistri quoq; & proximi sacrorum
 sermiorū post depositum etiam officium ab omni in-
 dictionis onere siue ciuiliū, siue militariū iudicium,
 immunes habentur. Comites insuper Præsidentum, pro-
 consulū, procuratorūque Cæsaris à munerib. uel ho-
 noribus uacant. Secus de alijs comitibus curiæ obno-
 xijs iure cautum est. Præter hos immunes quoq; sunt
 palatini, horumq; liberi, cubicularij, silentiarij, & alij
 plures in officio positi: de quibus licet consulere meæ
 Digesta. de sacerdotū & clericorū immunitate supra
 suo loco dictū est. His qui castris operā per militiam
 dāt, nullum municipale munus iniungi potest. Ceteri
 aut priuati, quāuis militū cognati sint, legibus patriæ
 suæ & prouinciæ obedire debēt. Planè qui obnoxius
 munerib. suæ ciuitatis, nomen militiæ defugiendi one-
 ris municipalis gratia dedit, deteriorem causam reip.
 facere non potuit. Sed et is qui ultra comheatum ab-
 est, uel ultra formam comheatui datam, ad munera
 euocari potest. Ignominie quoq; causa dimissus hono-
 ribus quidem abstinere debet: à muneribus autem ci-
 uilibus

milibus nō excusatur. qui uerò ob senium dimissus est,
 quia honestam missionem consecutus est, à ciuilibus
 muneribus simul & honoribus uacationem habet,
 quamuis alia ueteranorum priuilegia illi non compe-
 tant. Veterani etiam inter cætera priuilegia immuni-
 tate gaudent munerum personaliū, non etiam patri-
 monialium. Sed nec uia sternendæ immunitatem ha-
 bent: & naues eorum angariari possunt. Honestè au-
 tem sacramento solutis data immunitas etiam in eis ci-
 uitatibus, apud quas incole sunt, ualet: nec labefa-
 ctatur, si quis eorum uoluntate sua honorem aut mu-
 nus susceperit. Planè ueterani, qui passi sunt se in or-
 dinem legi, muneribus fungi coguntur. Sed & ita de-
 mum ueteranis munerū personalium uacatio datur,
 si post uicesimum annum militiæ, quam in legione
 uel uexillatione, non in cohorte militauerunt, hone-
 stam uel causariam missionem consecuti esse docean-
 tur. Vacationum autem priuilegia non pertinent ad
 liberos ueteranorum. Præterea ij quoq; qui reipub.
 causa absunt, uacationem habent: de quibus alibi in
 excusationibus tutorum dicetur. Procuratores ue-
 rò absentium reipub. causa, munerum ciuiliū ua-
 cationem non habent. Negociatores insuper qui
 annonam urbis adiuuant, item nauicularij qui an-
 none urbis seruiunt, immunitatem à muni-
 ribus publicis consequuntur, quamdiu in eiusmodi
 actu sunt. Nam remuneranda pericula eorum,

S a quim

quin etiam adhortanda præmijs, merito placuit: ut
 qui peregrè muneribus quidem publicis cum peri-
 culo & labore fungerentur, à domesticis uexationi-
 bus & sumptibus liberarentur: cum non sit alie-
 num dicere, etiam hos reipub. causa, dum annonæ
 urbis seruiunt, abesse. Sanè nauicularij & merca-
 tores olearij, qui magnam partem patrimonij ei rei
 contulerunt, intra quinquennium muneris publici
 uacationem habent. Qui autem ob hoc tantum in na-
 uibus sunt, ut in eis agendi causa operentur, nullo iu-
 re immunitatem habent. Sed & rescripto Imp. Ha-
 driani continetur, immunitatem nauium maritima-
 rum duntaxat habere, qui annonæ urbis seruiant. Li-
 cet autem in corpore nauiculariorum quis sit, nauē
 tamen uel naues non habeat, nec omnia ei congruāt,
 quæ principalibus constitutionibus cautæ sunt: non
 potest priuilegijs nauicularijs indultis uti. Sed & qui
 in fraudem ciuiliū munerum imaginem nauicularij
 induit, hoc priuilegio non utitur. Idem dicendum de
 eo qui honorem decurionatus agnouerit. Sed nec li-
 beris uel libertis nauiculariorum hæc immunitas cō-
 petit. His etiam, qui naues marinas fabricauerint, &
 ad annonam populi Romani præbuerint, non mino-
 res quinquaginta milium modiorum, aut plures sin-
 gulas non minores decem milium modiorum, donec
 hæc naues nauigant, aut aliæ in earum locum, muneris
 publici uacatio præstatur ob naues. Hanc uaca-
 tionem

tionem Senatores habere non possunt: quòd non habere illis nauem ex lege Iulia repetundarum licet. Porrò quòd supra de negociatoribus annuarijs, qui magnam partem patrimonij ei rei contulerint, dictum est, quòd scilicet intra quinquennium muneris publici uacationem habeant: ita accipi debet, ut si quis in maiore pecuniæ suæ parte negociationem exerceat, rursusq; locuples factus, in eadem quantitate negociationis perseueret, teneatur muneribus: sicuti locupletes, qui modica pecunia comparatis nauibus, se publicis muneribus subtrahere tentant. Priuilegium autem frumentarijs negociatoribus concessum, & ad honores excusandos pertinet. Porrò negociatores quoque Principis, uestiarij, linteones, purpurarij & parthiarij, qui Principi deseruiunt, ab omni munere immunes sunt. Tutela à muneribus ciuilibus non excusat: utpote cum nec tres simul iniunctæ diuersarum domuum huiusmodi beneficium præsent. Immunes quoque sunt artifices hi: Architecti, medici, pictores, statuarij, marmorarij, lecticarij seu arcarij, clauicarij, quadrigarij uel quadratarij, structores, id est ædificatores, sculptores, signarij, musuarij, deauratores, albini, argentarij, barbaricarij, diatretarij, ærarij, fusores, lignarij, fabricarij, bracarij, perticarij atque libratores, figuli, aurifices, uitrarij, plumbarij,

specularij, eborarij, pelliones, fullones, carpentarij, sculptores, dealbatores, clusores, trigarij, tignarij, bractearij, mathematici, geometrae, & alij plures à legibus enumerati, quibus ab uniuerfis muneribus uacatio datur: quoniam in discendis huiusmodi artibus ocium est accommodandum, quò magis cupiant & ipsi peritiores fieri, & suos filios erudire. Excipiuntur tamè primùm quidem ij, qui artificium non exercent: deinde locupletes, qui munera ciuitatum sustinere possunt: tertio qui extra numerum medicinam uel similem artem exercent: postremò medici, quibus decreto decurionum immunitas specialiter data non est, uel adempta est. Venatoribus immunitas ob hanc professionem solam nullo iure conceditur. Coloni Caesaris à muneribus municipalibus liberantur, ut idoneiores prædijs fiscalibus habeantur. Imp. tamen Seuerus rescripsit, colonos prædiorum fisci muneribus fungi sine damno fisci oportere: idq; excutere præsidem adhibito procuratore debere. Planè qui in fraudem ordinis in honoribus gerendis, cum inter eos ad primos honores creati possint, qui in ciuitate numerabantur, euitandorum maiorum onerum gratia ad colonos prædiorum se transtulerint, ut minoribus subijciantur: hanc excusationem sibi non parauerunt. Conductores insuper uectigalium fisci, necessitate subeundorum municipalium munerum non obstringuntur: idq; ita obseruandum,

Servandum, diui fratres rescripserunt. Ex quo principali rescripto intelligi potest, non honori conductorum datum ne compellantur ad munera municipalia, sed ne extenuentur facultates eorum, quae subsignatae sunt fisco. Vnde prohibendi sunt à praeside uel procuratore Caesaris, etiamsi ultrò se offerant municipalibus muneribus: nisi paria cum fisco fecisse dicantur. Planè non alios fisci uectigalium redemptores à muneribus ciuilibus ac tutelis excusari placuit, quàm eos qui praesentes negotium exercerent. Sed & eos tantùm qui mancipatum suo nomine uectigal à fisco conducunt. Quare eos qui ab his quaedam exercenda accipiunt, nullis priuilegijs esse munitos, haud dubij iuris est. Corpus item mensorum frumenti iuxta annonam urbis habet uacationem, in prouincijs non item. De professorum & philosophorum immunitate supra capite septimo diximus: quibus hoc addendum est, quòd ij qui Romae profitentur, perinde in patria sua excusentur à muneribus, ac si in patria sua profiterentur. Poetae tamen nulla immunitatis praerogatiua iuuantur; quod etiam de calculatoribus dicendum: item de ludi magistris, qui primis literis pueros imbuunt, ne tamen his quod supra uires sit indicatur, ad praesidis religionem pertinet, siue in ciuitatibus, siue in uicis primas literas doceat. Hydraulae quoq; muneru ciui-

lium immunitatem sibi iure concessam approbare
 minimè possunt. Athletis ita demum, si per omnem æ-
 tatem certasse, coronis quoq; non minus tribus cer-
 taminis sacri, in quib. uel semel Romæ, seu in antiqua
 Græcia meritò coronati, non æmulis corruptis ac re-
 demptis, probentur, ciuilium munerum tribui solet
 uacatio. Studiosis liberalium artium, maxime iu-
 ris, usque ad uicesimumquintum ætatis annum, si ci-
 uium inopia non est, munerum personalium, non
 etiam patrimoniorum uacatio datur. Conditio li-
 bertinitatis de muneribus ciuilibus tribuere non
 potest excusationem, ne in ea quidem ciuitate, u-
 bi domicilium libertinus habet; nec ad rem perti-
 net, etiamsi operas patrono capto luminibus uel
 ministerium exhibeat. Liberti tamen senatorum,
 qui negocia patronorum gerunt, à tutela decreto
 patrum excusantur. Qui Imperatorem appella-
 uit, & causam propriam acturus Romam profe-
 ctus est: quoad cognitio finem accipiat, ab hono-
 ribus & ciuilibus muneribus apud suos excusatur.
 Infames immunitatem non habent: cum hæc priui-
 legij, non notæ sit. Proinde si in metallum datus in
 integrum restitutus sit, perinde ac si nec dam-
 natus fuisset, ad munera & honores uocatur: nec
 opponet fortunam & casus tristiores suos ad hoc
 solum, ne patriæ idoneus ciuis esse uideatur. Pla-
 nè capti ab omnibus cum omnia commoda per
 capti

captiuitatem amittant, etiam ab oneribus ciuilibus liberantur. Postliminio tamen regressi muneribus patriæ obtemperare coguntur, quamuis in aliene ciuitatis finibus consistant. Aestimationem honoris aut muneris in pecunia pro administratione offerentes audiendi non sunt. Idem dicendum, si quis opus promittat, ne honoribus fungeretur. Honoribus alicui poenæ causa interdici posse, dubiū non est: quo casu nec uolens ad honores admittitur, non solum ad eos quibus prohibitus est, sed etiā ad maiores ijs. Maioribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur. Sed et si honores, quibus prohibitus quis est, habuerint mistam muneris grauem impensam: honoribus quidem arcetur, impendia tamē nihilominus præstabit. Muneribus enim si quis poenæ causa fuerit prohibitus, nihil ualebit sententia: nam immunitatem poena tribuere non debet. Porro maioribus honoribus functus ad minores deuocari non debet. Suprà diximus, obligari nos ad munera et honores ratione originis et incolatus. Ideoq; incola alterius loci non excusatur à muneribus suæ originis: nec ob id quòd in patria munera sustinet, in ea ciuitate, in qua incola est, à muneribus excusatur. Inopes onera patrimonij ipsa non habendi necessitate non sustinent: corpori autem indicta obsequia soluūt. Planè si quis propter censum tenuiorem uacationem meruerit: non propter rerum angustias ad persona-

lia munera tenetur. Auctis autem medio tempore facultatibus, paupertatis obtentu non excusatur. Idem dicendum, si quis in fraudem ciuilium munerum bona alienauerit. Res autem patronorum muneribus libertinorum subiecta non est. Similiter quamuis constante matrimonio dos in bonis sit mariti: tamen si ad munera municipalia accepto modo substantiæ uocetur, dos non est computanda. Si propter inimicitias ad munera ciuilia quis uocetur, hæc nominatio non nocebit: cum publicæ quoq; utilitatis intersit, nõ ex inimicitia creationes fieri, sed examinatione uera & commodo reipublicæ. Sed etsi quis per sententiam poenæ nomine curiæ uel alij corpori sit addictus, sententia non ualebit. Non autem excusat filium, quamuis in patris constitutum potestate, si pater honori eius uel muneri non consenserit. Nec adiuuat aliquem renunciatio originis: nam nemo potest uoluntate sua origine propria eximi. Sed nec præsidis uel cuiuscunq; iudicis arbitrio quis à curiâ uel muneribus liberari potest, uerùm Imperialis auctoritas requiri debet: quanquam ne rescripto quidem imperiali quis à curiâ nexibus liberari potest. Curiales quoq;, qui se priuilegio domus Caesaris defendunt, ad curiam retrahendi sunt. Nec curialia onera patria remittit, etsi necessitas non exigit.

Hactenus causas enumerauimus, ex quibus excusatio à muneribus & immunitas competere potest.

Qua-

Quarū tamen causarū exceptiones aliquot sunt generales. Nam primum quidem causæ istæ ad excusandum non prosunt, si is qui excusatione utitur, antea munus gesturum se promiserit: nisi id per errorem factum sit. Idem dicendum est, si quis excusatione non opposita munus spontè suscepit. nam nec hoc casu excusare se postea, dummodò error non interuenit, poterit: nisi fortè causa excusationis post munus susceptum illi contigerit: quo tamen casu non passim excusatio illi prodest. nec enim, si iudici post susceptum iudicium iusta causa accidit, ut ad tempus excusetur, in alium transferri iudicium debet, si cum captione id futurum est alterutrius litigatoris: tolerabilius enim est, interim iudicem qui semel cognouit, tantisper expectare, quàm iudici nouo rem rursus indicandam committere. Sed & si causa quæ post susceptum munus accidit, ex uoluntate eius qui munus suscepit, pendeat, nihil illi excusatio prodest: promde si quis ad munera municipalia uocatus sit, antequam negociari cœperit, uel antequam in collegium assumeretur, quod immunitatem pariat, cōpellendus nihilominus est ad honorem gerendum. Idem dicendum etiam, si ad munera uocatus sit, antequam septuagenarius fieret, uel antequam liberos susciperet. Planè qui spontè honorem uel munus suscepit certa lege uel pacto seruandæ immunitatis, pacti replicatione aduersus exceptionem propositam se tuebitur.

tuebitur. Sed etsi partem tantum honoris uel muneris suscepit, uel aliud, quam quod illi nunc iniungitur: non nocebit. Nam qui publici muneris uacationem habet, si aliquem honorem, excepto decurionatu, sponte susceperit, ob id quod patrie suae utilitatibus cesserit, uel glorie cupiditate paulisper ius publicum relaxauerit, competens priuilegium non amittit. Sed et si, cum sub conditione quis sponte munus uel honorem suscepisset, conditio ista defecerit: non nocebit illi suscepisse. Praeterea qui excusationem uel immunitatem habet, ad munus uel honorem uocatus appellare debet. Et si tempora praefinita in eiusmodi appellatione peragenda non seruauerit, merito praescriptione repellitur. Nominations tamen citra consilium publicum factae non ualent, de quibus nec appellare necesse est, si solennitas deest. Idem dicendum, si minor uiginti quinque annis nominatus appellationem omiserit. Praeterea si cui ob certam causam immunitas concessa sit, finita causa finitur quoque immunitas, excepta ea quae data est militibus: his enim immunitas durat, non quamdiu militauerint, sed quamdiu uixerint. Quae munera patrimonij iniunguntur uel intributiones, talia sunt, ut neque etas ea excuset, nec numerus liberorum, nec alia praerogatiua, quae solet a personalibus muneribus exuere. Proinde siue personalium duntaxat, siue etiam curialium munerum immunitas alicui conceditur: is neque ab anno-

*na, neq; ab angarijs, neq; à ueredo, neq; à naue, neque ab hospite recipiendo, neq; à capitatione excusare se potest: exceptis militibus & ueteranis. excipiuntur tamen & alij, quibus specialiter indultum est, ut à patrimoniorum quoq; oneribus immunes sint: de qua re superius etiã dictum est. Sed & excipiuntur prædia Principis, quantum in perpetuum alij sint locata: nisi fortè publicæ species sint transuehendæ, uel uie publicæ sternendæ, uel pontes conficiendi. Sed & pro tyronibus in corporibus postulatis præcia conferri ex fundis perpetuarijs Imperatoris præceptum est. Excusantur deniq; & alij quidam à muneribus patrimoniorum, ut ex causis immunitatũ superius expositis patet. Quoties tamen urgente necessitate cõparationes frumenti, uel hordei, aliarumq; specierũ quibuslibet prouincijs indicuntur, nulli penitus possidentium sese sub cuiuscunq; priuilegij occasione excusandi tribuitur facultas. Idem dicendum, si uie publicæ instruendæ sint, uel pontes uel muri construendi, uel alia opera publica extruenda. Sed & qui muneris publici uacationem habet, per magistratus ex improviso collationes indictas rectè recusat: eas uerò quæ ex lege fiunt, recusare non debet. Nullus in super penitus cuiuslibet ordinis, seu dignitatis, uel sacrosancta Ecclesia, uel domus regia tempore expeditionis excusationem angariatum uel parangariatũ habet. Idem dicendum, si in transitu Imperatoris mu-
nera*

nera iniungatur: nam & hoc casu cessat immunitas. He sunt exceptiones aduersus causas excusationum competentes, quarum tamen plures licet ex supradictis colligere. nunc reliqui excusationis & immunitatis loci exponendi sunt. Sciendum igitur, liberis eius, qui immunitatem habet, hoc priuilegium non competere: nisi specialiter illis sit concessum, quemadmodum huius aliquot exempla superius proposita sunt. Immunitates autem generaliter tributa eo iure, ut ad posteros transmitteretur, in perpetuum succedentibus durant: ad eos tamen posteros & liberos pertinent, qui eius familiae sunt: ideoq; ijs qui ex foemina nati sunt, non competunt. Quoties autem queritur, an excusatio competat, necne? praesidis prouinciae cognitio est: nam de iure omnium incolarum, quod quaeq; ciuitates sibi uendicant, praesides prouinciarum cognoscunt. Cum tamen quis se negat incolam esse, apud eum praesidem prouinciae agere debet, sub cuius cura est ea ciuitas, a qua uocatur ad munera, non apud eam ex qua ipse se dicit oriundum esse. Porro si quis tutor datus fuerit uel testamento, uel a quo alio, qui ius dandi habet, non oportet eum prouocare: sed intra tempora praestituta excusationem allegandam habet, et si fuerit repulsa, tunc demum appellare debet. Caterum ante frustra appellatur. At alia causa est eorum qui ad aliquod munus uel honorem uocantur, cum dicant se habere excusationem: nam non aliter

aliter allegare possunt causas immunitatis suæ, quàm si appellationem interposuerint. Pendente autem appellatione, si is contra quem propter honores appellatum est, honorem usurpauerit, coercendus est. Is quoq; qui honoribus secundum sententiam uti prohibitus est, si appellauerit, abstinere interim à petitione honoris debet. Si magistratus creatus appellauerit, collega eius interim utriusq; officium sustinere debet. Si uerò uterq; appellauerit, alius interim in locum eorum creandus, & is qui non iuste appellauerit, damnum, si quod respub. passa sit, agnoscat. Si autem iusta sit appellatio, & hoc pronuncietur, iudex estimabit, cui hoc adscribendum sit. Postremò eo qui excusationem proposuit, pendente appellatione defuncto, expirat honoris uel muneris ei iniuncti questio: nisi fortè periculum uel damnum contigerit ob eius appellationem: hoc enim casu successores eius causam appellationis prosequi debent.

DE CURSV PUBLICO, ET munere nauiculario.

CAP. XII.

HAtenus de excusationibus & immunitatibus, necnon de honoribus & muneribus in genere actum est. restât muneris due species describende, scilicet cursus publici & rei nauiculariæ: de quibus in hoc capite tractabitur. Cursus igitur publici

blici cura ad agentes in rebus pertinet. Exhibitio autem cursus publici secundum locorum consuetudinem, uel curialibus uel cohortalibus debet committi, uel his qui suo periculo à præfecto prætorio eam sub competentē cautela excipiunt. Ad cursum autem publicum exhibendum omnes pabula & pecuniam, nō etiam equos conferre tenentur. Mulio euectioni deputatus à nemine subtrahendus, neq; stabularij & equorum curatores à ueredarijs spoliandi. Equi cursus publici non lignis uel fustibus, sed flagellis tantūmodo agitandi, nec ad alios usus usurpandi sunt. In omnibus insuper prouincijs ueredorum quarta pars reparari iubetur. & impensis publicis stabula extrui prohibetur. Curandum item est, ne pabula animalibus publicis desint, neq; prouinciales ultra q̄ iusticie ratio finit, prægrauentur. Non autem culuis cursu publico uti permittitur, sed senatoribus legatisq; gentium, dum ad Imperatorem uel ab eo proficiscuntur, et alijs quibusdam. Nullus priuatus euectione uti debet, licet impetrauerit: nullus item ducum, cohortalium uel apparitorum eo utetur. Hæc atq; huiusmodi alia plus obscuritatis quàm utilitatis habentia de cursu publico principum constitutionibus cauentur, quæ in Digestis meis copiosius exposui. De munere nauiculario duo maxime cauta sunt: primum quidē, ut huic muneri prædia nauiculariorū sint obnoxia: & si fuerint alienata, cum suo onere ad alium transferantur,

ferantur, non obstante pacto inter emptorem & uenditorem in contrarium inito. nec distinguitur, quamuis Imperatori sint alienata. Domus quoq; à nauiculario uendita pro tanto modo ad hoc munus obligatur, quantum habet emolumentum, si pecunia mutuaretur. Alterum quod de munere nauiculario cautum est, pertinet ad naufragia, quibus contingentibus cautum est, ut si frumentum publicum perierit, iactura illa ab uniuerso nauiculariorum collegio pro rata contingentis muneris resarciatur. Hec de re nauicularia sint dicta: de qua re plura etiam diximus supra, ubi de speciebus publicis transmittendis et transuehendis est actum.

INSTITUTIONVM IVRIS
PVBLCI FINIS.

T RERVM

RERVM ET VERBORVM,
hoc libro præcipue memorabilium,

I N D E X.

<p>A Bbas 499 de Abolitione 85 inde qui Abortionis aut amar- torium poculum dat, quomodo puniendi 114 absens reuersus quando audiendus 210 pro Absente & indefen- so quis habendus 404 absentiæ causa per procu- ratorem reddi potest 48 acclamationibus turbu- lenti popularium qui se accommodant, quo modo puniendi 109 accusare qui prohibean- tur 46 accusari qui nõ debeant 51 accusatio aduersus quem institui possit 48 accusatio adulterij quan- do sit differenda 134 quo iure denegetur 126</p>	<p>accusatio & defensio per quos fieri possit 48 accusationis de adultero rij ad finia remedia 137 in Accusatione adulte- rij à vidua filia cuius ius præcipuum sit 131 accusatione deserta quid sequatur 87 de Accusatione & defen- sione iudicij publici 184 accusationibus publicis viginti annorũ obstat præscriptio 50 accusator in criminali ne- gocio rei forum ac do- miciliũ sequi debet 49 accusatorum temeritas quot modis detegatur 80 in Acie prius fugientis quæ pœna 561 actio contumaciæ cui detur 224 aduersus quem detur. ibid. actio ex stipulatu Iudica- tum</p>
---	--

I N D E X.

actio solui quibus de- tur 265 item aduersus quos. ibid. quando co- petat & ex quibus cau- sis 257	actio, si non edatur, quibus & aduersus quos competat 212
actio ex stipulatu Iudicio fisti ex quibus causis competat 246 quibus & aduersus quos de- tur 254	actio, si quis ius dicenti non obtemperauerit, quando competat 25 quid ueniat in ea. ibid. quando cesset. ibid.
actio ex stipulatu Ratam rem haberi quando co- petat 242 item cui & aduersus quos 240	actionis ex stipulatu Ra- tam rem haberi, euen- tus 242 quid in ea ue- niat 240
actio in duplum aduer- sus inficiantem 281	in Actionem, si non eda- tur, quid ueniat 222
actio in factum quanti ea res est, quando compe- tat 410	de Actione absentia, cu- per aliū stetit, quo mi- nus in iudicio reus se- sistat 210
actio in rem ubi exerceri possit 165	de Actione & exceptioe iurisiurandi 318
actio ob fructus quibus competat 413 itē ad- uersus quos. ibid. quid ueniat in ea 414	de Actione ex satisfatio- ne Ratam rem haberi, descendente 235
actio ob salarium quan- do procuratori com- petat 195	de Actione locati, quæ fi- sco competit 532
actio pœnalis utilis in quem detur 71	de Actione ob impensas à creditore factas 414
actio procuratoris con- tra dominum 193	de Actione quæ ex mala muneris administrati- one competit 627. & inde
	de Actione quæ compe- tit

I N D E X.

<p>tit fisco ad reuocanda ea quæ debitor in frau dem eius alienauit 531</p> <p>de Actione, si dolo credi toris causa possessio- nis deterior sit facta 414</p> <p>de Actione, si quis in ius uocatum ui exemerit 212</p> <p>actiones fiscales quâdiu competant 530</p> <p>actiones occasione absen tiæ introductæ 210</p> <p>actiones quæ per procu ratoré institui possint uel non possint 183</p> <p>quando compositæ 11</p> <p>quas ante damnatio nem quis habuit, resti tutus exercere potest 101 quib. reus ante da mnationé tenebatur, quando excipere cogit tur. ibid.</p> <p>actionum fiscalium adiuu ta. ibid. euentus 530</p> <p>actionum instituendarum principium unde pro ficiscatur 201</p> <p>de Actionibus aduersus ciuitates competenti-</p>	<p>bus 601</p> <p>de Actionibus fisci in ge nere 529 in specie 531</p> <p>in Actionib. mutuis quis iudex 167</p> <p>actor actionem, reus ex ceptionem suam pro bare debet 275 quan do ad agendum & quo modo accedere debe at 196 quomodo iura re debeat 269 rerum priuatarum ad quâ iu risdictionem pertine at 162</p> <p>actoris uniuersitatis iura & officia 589</p> <p>actori & reo communia 196</p> <p>de Actore mutuando 589</p> <p>de Actore uniuersitatis condemnato 394 dando 588</p> <p>de Actis circumducendis 346 edendis & transf mittendis 359</p> <p>actus ciuitatum qui 613</p> <p>actus publicorum iudicio rum quotuplices 67</p> <p>Adeundi facultas quan do accipiatur 381</p> <p>administratio patriæ qua tenus</p>
---	--

I N D E X.

<p>genus demandanda sic alicui 17</p> <p>administratores comites rei priuatæ omnibus uacatibus honorarijs anteponi debent 26</p> <p>inter Administratores qui numerentur, ibid.</p> <p>adnotatio absentis rei quomodo & quando fiat 69</p> <p>adnotationis ad fine re- medium. ibid.</p> <p>adessoris quæstorum sa- larium 34</p> <p>adessores post depositã administrationem, ubi residere debeant 171</p> <p>adessores quomodo eli- gendi, quæq; ipsorum priuilegia. ibid.</p> <p>adessorum officium 170</p> <p>adfidere qui possint, uel non possint. ibid.</p> <p>de Adsumptione origi- nis 623</p> <p>adulter qui euasit, reduci quando & in quem fi- nem possit 138</p> <p>adulter semel remissus re- duci non potest. ibid.</p> <p>adulteri accusatio quo</p>	<p>ordine peragenda 133</p> <p>adulterum cum filia pa- ter occidere potest 114</p> <p>adulterũ in ipso actu oc- cidere quibus liceat 137</p> <p>cum Adultero accusari quis possit 133</p> <p>adultera & adulter à qui bus accusari non pos- sint 127</p> <p>adulterij accusari quis possit 125</p> <p>adulterij accusatio è di- uersis in diuersos insti- tuta 132 etiam sponso competit 130 aduersus quos competat 132.133 de eo, quod ante con- tractum matrimoniũ commisum est, non competit 129 extra- neis quando compe- tat 131.133 iure nouo quibus competat, uel non 132 marito compe- tit 129 quãdo cesset 131 quando & quo ordine competat 130.133 quan- do non possit institui 129 quando patri com- petat</p>
--	---

I N D E X.

petat 131 quibus non competat 129.132	non sint 176
in Adulterij accusatione uter alteri præferendus 131	in Aduocatorum nume- rū quis adsumendus 177
adulterij duo rei ex eadē causa fieri non possunt 133	aduocatorum officium quamdiu duret 520
de Adulterij pœna 128. 135	ab Aduocatorum officio qui repellantur 177
adulterij pœnæ depreca- tio nulla est 126	aduocatorum priuilegia 178
adulterij uel stupri accu- satio quibus cōpetat 129	antequam Aduocatorū quis consortio socie- tur, quæ præcedāt 177
adulterio per uim cōmis- so non obstat quinque nij præscriptio. ibid.	de Advocatis fisci 520
aduocatus quibus detur 177	de Aedibus principis à priuato non inhabitan- dis 545
aduocati et procuratores quibus cōparētur 176	ædiles curules in quem fi- nem & unde constitu- ti 29
aduocati qui sint. ibid. quando & ex qua cau- sa ab officio remouēdi 177 utriusque partis quomodo iurare debe- ant 269	ædiliū officia 36. 37
aduocatorum & procura- torum officia 177 nu- merus. ibid.	ex Aegyptiaco tractu & Lybia quis appelletur 355
aduocatorū numero qui	æris præcia ut exigenda 536
	æstimatio bonorum quo modo fiat 412
	ætas ab honoribus excu- sat 635
	de Aetate probanda 278. 279
	de

I N D E X.

de Agris ciuitatum	611	apparitorum salarium	34
Alienatio contra legem Iuliam facta non ualet	22	de Appellandi forma & modo	357
alienatio quando nullius sit momenti	105	appellandi ius quibus cōpetat	351
rum ciuitatis quando ualeat	600	qui Appellandi, seu ad quos	353-354
alimenta præterita quæ dicantur	477	appellandū est gradatim	353
de Amanuensium numero	171	appellantis officia quæ	358
de Ambiguorum interpretatione	341	appellare à principe non licet	346
amissæ dignitatis causæ	28	de Appellationibus	346
amissio dignitatis quando fiat in filiabus	27	appellatio ex qua causa concedenda. <i>ibid.</i> & inde	
in natis generaliter	28	de Appellationis ad finibus remedijs	362
de Annona militari	564	amissæ reparatione	384
de Antapochis	291	appellationis causam prosequi quis uideatur	387
Anthimus	516	exceptio quando irrita	380
Apocha quando expiret	290	exercendæ tempus	385
de Apostatis	514	introducendæ & exercendæ tempus quomodo accipitur	388
de Apostolis siue literis dimissorijs, & cur sic uocentur	358	inchoandæ seu introducendæ tempus	383
apostoli quando dandi. <i>ibid.</i>		introducendæ, exercendæ ac profectur	
		T 4	quendæ

I N D E X.

quendæ exceptiones	ab Arbitro appellare quâ
386.387	do liceat 229
de Appellationis tempo-	arbitrorum quot genera
re 355.380	457
de Appellatione à iudice	arbitrium recepisse quis
non deneganda 360	uideatur 450
à muneribus & hono-	de Argentarijs 594
ribus 381 inchoata pro	armati qui intelligantur
sequenda 388	106
appellationum ratio &	armatos homines qui ha
usus 346	buerit, quæ pœna 110
appellatori beneficium	armorum amissorum que
quod detur 386	pœna 563
appellatore sine hærede	de Armis militum trans-
defuncto, appellatio	portandis 568
euanescit 388	ars quid sit 1
appellatorij libelli intra	artem ludicram exercere
quod tēpus dandi sint	qui non dicantur 94
358 quomodo concipi	artium prohibitarum pœ-
endi 357	na 148
de Aqua ad irrigandos a-	de Artibus manuarijs à
gros fisci reparanda	monachis exercendis
546	486
de Aqueductibus & fon-	de Aruspibus, auguri-
tibus 606	bus, ariolis, eorumque
Aquilia quando cesset	pœna 148
303	ex Asiatica & Pontica di-
Arbiter quando libere-	cessi quis appelletur
tur dicendo sententiâ	355
452 quomodo cogen-	de Attestatiōe super mo-
das sententiam dicere	do uenditionis cōscri-
453	bēda et insinuanda 421
	Audi-

I N D E X.

<p>Audientiam negocijs præbere quorum sit 171 authenticis, nõ exemplis credendum 286 B.</p> <p>DE Basilica 604 bestiarum nomine quid accipiatur 174 cum Bestijs depugnando quis notetur uel non 174 bona debitoris cur uendi possint 415 furiosi ut uendenda 417 quæ uenire possint 419 rei quatenus proscribantur 92 de Bonorum additione 410 uenditione rescindenda 422 bona uendendi ius quibus competat 419 in Bona mittendi qui sint 408 de Bonis à curatorib. uendendis 419-420 ex Bonis heredis qui conseq̃ui nihil possint 438 in Bonis mēfularij uel argentarij uendēdis quorum sit potior causa 428</p>	<p>de Bonis uasantibus hæscō deferendis 523 C</p> <p>Cæcus ad honores quatenus admitatur 28 cædes adulteri cum filia quomodo à patre committi debeat 115 cædes in continenti quæ facta uideatur ibid. de Calculi errore 376 calumnia ob quod factū non metuenda 114 calumniæ pœna 81 per Calumniã in possessione quæ mulier fuisse non uideatur 96 calumnia notati accusare non possunt 46 à Calumnia qui submo-ueantur 100 calumniari quid sit 80 calumniator quando infamia notetur 93 quæ pœna puniendus 80 canones sacri 13 de Capitatione 533 ex Caria, Rhodo, & Cypro quis appelletur 355 carceri præpositus quomodo</p> <p style="text-align: center;">T 5</p>
--	---

I N D E X:

modo puniendus	71	standa	548
carceris usus	56	cautio Iudicatum solui	
in Carcerem quis conijci		unde sit appellata	256
endus 71 quomodo.		cautio Iudicio fisci quid	
ibid.		fit, & quomodo fiat	
causa ciuilis ante crimi-		243 eius ad sine reme-	
nalem exerceri potest		dium	259
334 maior ante mino-		de Cautione Remp. sal-	
rem est expedienda 333		uam fore	627
minor propter maio-		cautiones in iudicio qua-	
rem differenda non est		les praestanda 228 &	
335 propria quae sit 300		abs quo.	ibid.
sumptus causam depo-		de Cautionibus & satisf-	
siti semper praecedat		dationibus hinc inde	
428		praestandis	227
causae cognitio expedi-		cautum quando intelliga-	
ri quomodo debeat		tur	227
24 quod pertineat. ibid.		Censorum munus	29
per Causam minorem ma-		census cuius autoritate	
iori cognitioni praui-		indicendus	534
dicium fieri non oportet	333	census quibus impona-	
causae criminales ubi age-		tur	533
da 165		census rebus quomodo	
cautionis euentus	231	indicatur	533
de Cautionis iteratione		census ubi indicendus	
228		534	
quo Cautionis genere ca-		census à quibus exigendus	
uendum	229	536	
de Cautionis loco	230	census & monumenta pu-	
de Cautione à conducto-		blica quatenus proba-	
re uel emphyteuta pre-		di uim habeant	277
		census quomodo exigen-	
		du	

I N D E X.

<p> cus 537 ensus & tributorum no- mine quantum exigen- dum 536 ensus indicendi modus 535 ensus indictionis euen- tus & consequentia. ibid. in Censum quæ res ueni- ant 533 de Censu insinuando 535 de Censibus indicendis 533 centenarij & ducennarij ad cuius pertineant iu- risdictionem 163 centumviri in quæ finem constituti 30 de Cineribus exultorum quid iuris 90 citationis iniustæ pœna 206 de Citatione, citati con- tumacia, & absentia 201 de Ciuitatis partibus 590 rebus alienandis & lo- candis 600 aduersus Ciuitatem an & quæ detur actio 601 de Ciuitatum actis 613 </p>	<p> rebus acquirendis 597 rebus in specie 601 ciuitatum personæ quæ sint 568 à Clericatu qui arcean- tur 485 clerici & monachi ubi cõ- ueniendi 167 de Clericorum ac Mo- nachorum priuilegijs 489 de Clericorum officijs 486 ordinatione 483 clericorum ac monacho- rum ordinationem an tecedentia 486 de Clericis ac monachis in specie 493 pere- grinantibus 486 de Cœlicolis 515 cognitionum extraordi- nariarum causæ 440 de Cognitionum ordine 332 cohortales an ad hono- res admittantur 17 collegij & uniuersitatis iura 598 de Collegio constitu- endo 590 dissoluen- do uel immutando 591 </p>
--	---

de Col.

I N D E X.

<p>in Conditione indebiti utri incumbat probatio 274</p> <p>conductoris atq; emphyteutæ euentus, & iura 548</p> <p>cōfessus pro iudicato est 302 quomodo teneatur 306</p> <p>confesso pœnitere quando liceat 306</p> <p>confessio pro alio facta, cui noceat 302</p> <p>de Confessione malefici ultronea 305</p> <p>ex Confessione actio cui detur 307 quando cōpetat. <i>ibid.</i></p> <p>ex Confessione actionis euentus. <i>ibid.</i></p> <p>de Confessione aduersarij 275</p> <p>ex Confessione exceptio 308</p> <p>confessiones quādo sint ratæ 303</p> <p>confessionibus falsis respondentibus quatenus obligentur. <i>ibid.</i></p> <p>de Confessis, & interrogationibus in iure faciendis 302</p>	<p>coniuratus quomodo ab soluendus 104</p> <p>consensisse in iudicē quis uideatur, uel non 169</p> <p>constitutiones 12</p> <p>constitutionum Imperatoriarū species 13 differentiæ. <i>ibid.</i></p> <p>consuetudo in interpretandis legibus 5</p> <p>consuetudinis causæ, & de ijs quæstio 10 effectus. <i>ibid.</i></p> <p>consulares scæminæ 31</p> <p>consules bini in locū eictorum Regum suffecti 29 ex plebe quando creati. <i>ibid.</i></p> <p>in Consulibus creandis modus expensarum 31</p> <p>de Consultationis exemplo ante relationem litigatoribus offerendo 344</p> <p>de Consultatione ciuium 614</p> <p>contestatio pro legitima appellatione quando habeatur 382</p> <p>contractum cum pupillo quando uideatur 416</p> <p>contraxisse quis in quo loco</p>
--	--

I N D E X.

loco intelligatur	160	quæ missa sunt, alendi	
aduersus Contumaciam		non sunt	410
obiectam exceptiones		concurrant, nullo pri-	
	209	uilegio	433
de Contumacia in ius uti		de Creditorum iure &	
liter uocati	206	officio circa rationes	
in Contumaciæ actionem		& instrumenta debito-	
quid ueniat	212	ris	412
cōtumaciæ militaris quæ		de Creditoribus condi-	
pœna	558	tionalibus	409
contumax quis sit	206	crimen quâdo extingua-	
contumaces qui non ui-		tur morte eius, qui cri-	
deantur	209	men commisit	52
cornicularij, primiscri-		crimen læsæ maiestatis à	
nij, & numerarij cuius		iudicib. quomodo ha-	
iurisdictioni subiaceât		bendum	104
	164	crimen legis Iuliæ de ui-	
corpora punitorum à qui-		priuata quando com-	
bus impetranda	90	mittatur	107
de Crediti in nauē emen-		crimen perduellionis ad-	
dam, extruendam uel		uersus eius qui commi-	
instruendam, priuile-		sit, hæredes institui po-	
gio	430	test	52
item in rem		crimen sepulchri uiolati	
conseruandam uel refi-		quò pertineat	107
ciendam	429	criminis caussa quando	
creditor qui debitori suo		expiret	69
uim intulerit, quomo-		qui Criminis eiusdem so-	
do puniatur	108	cium prodidit, hoc so-	
creditoris, qui pignoris		lo non liberatur	52
nomine debitoris fili-		in Crimine læsæ maiesta-	
um detinet, pœna	122	tis quid spectetur	104
creditores ex bonis in		de Cris	

I N D E X.

de Crimine publico probando	280	fit	110
crimina grauiora prius cogitoscenda & dijudicanda	334	damnatus quis intelligatur	88
de Criminibus cognitoro, quid agendum	72	damnati bona quibus permittantur	90
de Crucibus	506	nondum Damnati, & in reatu mortui bona ad quos pertineant	91
Cubicularius sacri cubiculi ad cuius pertineat iurisdictionem	163	damnati liberti patrono quid debeatur	92
de Curatore Reip. curialis uel cohortalis ubi in ius uocatus	162	damnati tertia parte bonorum publicata, quæ actiones aduersus illi non pro ipso.	ibid.
de Curialibus & cohortalibus	484	damnati ad mortem simul libertatem perdunt	55
de Cursu publico custodia reorum ad quos pertineat	70	de ea quis estimare solet.	ibid.
custodiæ receptæ dimissio & exhibitio	72	similitudinem quis pati debeat	69
D		damnos quatenus ex prouincia in prouinciam transduci sit permissum	90
D amnandi ad bestias quis modus	64	Debitor pupillus ex bonis, in quæ missus est, alendus	412
damnari in ludum uentorium qui soleant	56	debitor uerus quomodo & quando liberetur	308
dânari quis possit ut negotietur.	ibid.	debitores Rerumpu. qui intelligantur	17
damnatus de ui infamis		de Decaprote	619
		decëuiri quando instituti, & reiecti iterum decurio.	29

I N D E X

decurionatus amittendi causæ 580	da 168
decurio ab homicidio nõ defenditur 118	de Defensore remouedo 570
decuriones qui fieri non possint 573 quando agere causas prohibe- antur 175 unde dicti 573	de Defensoribus ciuita- tum 569
de Decurionum bonis 578 decretis 581 filijs 582 officijs 574 pœ- na 61 priuilegijs 579	definitio in iure periculo sa 8
decurionũ legitimus nu- merus quis dicatur 582	defunctis reis criminis quis iudex constitui endus 158
de Decurionibus crean- dis 573	delatio ad fiscũ per quos & cum quibus compe- tat 525
decurionibus quomodo interdicatur 58	de Delationis præmijs : ibid. 526
defendere in unam rem quis possit 192 reum præter procuratorem qui teneantur 193	delator ad finem perse- qui delationem suam cogitur 528 criminis læsæ maiestatis quan- do præmio afficiendus 106
defensor à quibus & quo- rum autoritate con- stituendus 570	delationis & nunciatio- nis euentus 525
nemo Defensor in aliena re sine satisfactione ef- se creditur 256	de Delationis pœnis 527
apud Defensorem ciuita- tis quando lis peragen-	à Delegato quis appelle- tur 354
	delicti militaris definitio 557
	deportatio in insulam 56
	deportatio relegationis species 60
	deportati pœna. ibid. depræda*

I N D E X.

deprædationis militum	datur	196
pœna quæ		
561	de Dilationibus	223
desertionis causa apud	de Dilatorijs exceptio-	
quem agi possit	nibus	225
87	de Distinctionibus	337
desertor quis sit	de Doctoribus	592
558	dolus malus in actione	
desertorem qui prodide-	contumacię quid signi-	
rit, quo præmio affici-	ficet 210 in quam æta-	
endus	tem non cadat	145
560	doli mali clausula quò re-	
desistere quid sit 83 qui-	feratur	265
bus permillum	de Dolo actio aduersus	
84	quem competat	194
desistisse ab accusatione	dolo malo fecisse quis pu-	
quis uideatur	tetur	211
47.83	de Dolo malo probando	
de Diaconissis	280	
500	dolo malo quis uideatur	
dictaturæ quæ origo	facere	23
29	de Domestico iudicis	171
dies feriati qui	domicilium multis in lo-	
150	cis an possit haberi	
de Diebus fatalibus	624 quot modis trās-	
383	feratur	625
differentia inter aduoca-	de Domicilio filijfamili-	
tionis & fori interdi-	âs.	ibid.
ctum 57 inter abesse &	de Domicilio rei conuē-	
in fuga esse	ti ab actore sequendo	
121 inter	159. inde	
eos, qui in metallum,	de Dominio rerum pra-	
& qui in opus metalli	bando	729
damnantur		
56	V	domi.
dignitas accidens magi-		
stratus		
26		
dignitatis contemptio ex		
conuersatione æquali		
nascitur		
43		
dignitate maritorū uxo-		
res fruuntur		
28		
dignitatum ordo quis		
26		
dilatio cui & cur conce-		

I N D E X.

dominus de peculio, uel de in rem uerso quan- do teneatur 218	de Ecclesie iure spetia 516
procuratori quando & qua actio teneatur 195	ecclesie res quot modi, acquirantur 50
qui se suam possidenti uim intulerit, quomodo pu- niatur 108	rei Ecclesiasticæ alienatæ pœna 504
seruū accusa- re non prohibetur 47	ecclesiasticę personę quę sint 483
domini, qui seruū depu- gnandi gratia ad bestias dederit, pœna 118	de Ecclesiasticis actib. 508
qui seruū occidit, pœna 117	de Edendo 215
domus pro domicilio 115	edicto circūducto quid sequatur 208
domus appellatione quid contineatur 123	edicta Prætorum 11
donatio uxoribus facta a marito damnato qui- bus reseruetur 105	edictis propositis euoca- re aliquò, cuius sit 206
dotis causa quādo potior 425 quando non. ibid.	editionis euentus 221 ma- teria & forma 220
in Dubijs benigniora præ- ferenda sunt 341	de Editionis neglectę pœ- nis 221
in Dubijs reb. & obscuris iudici quid agendū 340	de Elæmporia 620
duces militares ad cuius iu- risdictionē pertineāt 164	Emancipatio quando nō ualeat 105
de Duumiris 572	emensor quis sit 560
E	in Empti actione quid ue- niat 422
DE Ecclesie rebus 501	de Episcoporum officijs 496 privilegijs 497
in specie 504	in Episcopis ordinandis quę consideranda 493
ecclesie ius quotuplex 483	de Epistolis quatenus probent 277
	de Equis principis subtra- ctis 618

I N D E X.

<p>ctis 546</p> <p>Error aduocati, domino non nocet 376</p> <p>error ius facit 7 iuris quādo non proſit 304</p> <p>litigatorum non habet conſenſum 169</p> <p>quando excuſet 304</p> <p>de Errore eorū, qui inſtrumenta conſcribūt 287</p> <p>de Eurhychianiſtis & Apollinariſtis 513</p> <p>de Exactoribus & ſuſceptoribus tributorum & cenſuum ſiſci 520</p> <p>exceptio abolitionis quādo habeat locum 52</p> <p>exceptio aduerſus Procuratoris perſonā quādo non ualeat 182</p> <p>doli quando opponi poſſit 253</p> <p>non impetratæ actionis quando locum habeat 152</p> <p>non numeratæ pecuniæ, quibus & quando obſtet uel non obſtet 291</p> <p>non ſecuti euentus in cauſis triminilibus non ualeat 52</p> <p>paſſi conuenti cui obſtet 169</p> <p>propoſita ab initio omiſſa,</p>	<p>concluſa iam diſputatione froſtra opponitur 48</p> <p>ſine dolo malo aliquid factū eſſe, quādo non admittatur 25</p> <p>de Exceptione in diſputatione cauſæ omiſſa 375</p> <p>exceptiones aduerſus accuſationum cauſas 50</p> <p>ſi ſine dolo malo ſit factum 51</p> <p>ſi mandatū alterius, cui parere neceſſe habuit. ibid.</p> <p>exceptiones aduerſus incompetentem iudicem 154</p> <p>ex perſona autoris 157</p> <p>ex genere cauſæ & actione 165</p> <p>exceptiones aduerſus Miſſionis in poſſeſſionem bonorum cauſas 405</p> <p>de dolo malo 264</p> <p>ob rem non deſenſam cōpetentes 261</p> <p>primi diei fatalis 384.385</p> <p>exceptionū aduerſus Trāſactiones replicatio- nes 475</p> <p>de Exceptionibus aduerſus rem iudicatam ex conſequentibus 380</p> <p>aduerſus teſtes 296</p>
--	--

F N D B X.

de Excusationibus, & im-	& quib. deputetur 607
munitibus 635	de Falsi examine 147
executio quid sit 397	falsi pœna quis teneatur
executionis euentus 400	138
modi 398 ordo quan-	fama probare etiam po-
do maneat 391	test 275
executione facta, quibus	familiæ priuatę incendio
corpora sepelienda cõ-	extinguendo destina-
mitti debeant 89	tæ 5
de Executione sententię,	de Familia militum quae
reo damnato 87	tenus ad eos admittere
executor quis sit 397	da 564
de Executoris cognitio-	familiaris familiarem ac-
ne 400	cusare prohibetur 46
de Executore sententiæ	inter Famosos quis non
appellare nõ licet 348	habeatur 99
de Executoribus punien-	de Ferijs 614
dis ac mutandis 400	feriatis diebus quando iu-
inter Eximere & eripere	dicari possit 150
quid intersit 213	de Festis conuentib. 614
existimationem quid cõ-	Fideiussor Iudicio listi,
seruet 99	quanti teneatur 255
expensarum ratio in sen-	per quę satisfidatur, qua-
tentijs habenda 345	lis esse debeat 229 reu-
de Extraordinarijs cogni-	latitantem quomodo
tionibus 439	defendere uideatur 252
F	de Fideicommissis taci-
Fabricenses, horumq;	tis probandis 281
uxores ac filij ubi	fides & religio quæ sequē
conueniendi 164	da 508 inimicorum
facti quæstio unde depen-	quæstioni quatenus ha-
deat 338	benda 78
falcidia ex quibus causis,	filiam

I N D E X.

filiam adulteram ubi occidore patri liceat 115	sunt 28
filius familiæ restitutus, cuius potestatis ior iudex si litem suam faciat, quis in quatum toneatur 23	foeminarum quæ pœna 64
de Filij iure & statu probando 278	Fraus quid sit 55
Fiscales res quorum periculo locentur 548	fraudis & avorsitas distinctio 7
Fiscus creditor quatenus cæteris creditoribus præferatur 423 & in quibus causis 424	de Fructuum ex bonorum possessione perceptorum restitutione 412
fiscus per quos suas actiones exercere possit 529 ubi conueniendus 162	de Fructibus prædiorum à creditoribus uendendis ac locandis 411
de Fiscis rebus administrandis & alienandis 545	de Frumentis fisci curandis ne corrumpantur 545 expendendis uel erogandis 546
fisco aduersus quos actio danda 529 delatæ res incorporandæ 545 quis iudex constituendus 158 quæ actio competat 529	Functiones publicæ & de bita publica ubi agenda 166
ad Fiscum delatio quibus competat 524	de Furiosi & prodigi privilegio in bonis curatoris 428
de Fluminibus à milite non conspurcandis 564	furti actione quis teneatur 122 & rapinæ differentia 329
Fœminæ ab omnibus officiis ciuilibus remotæ	G
	G Rastatorum quæ pœna 119
	H
	H Aeres absens ubi conueniendus 168 eius qui crimen commisit, non tenetur 48
	V ; hæredi-

I N D E X.

hæreditarijs actionib.	Immunitas à censib. quib.
ubi cõueniri possit 161	bus concedatur 534
hæredis personam qui se-	de Impendijs testibus à
cuti nõ uideantur 435	producentè præstan-
de Hærede creditoris pri-	dis 293
uilegiarij 433	de Impensarũ funeris ex
hæreticorum pœnæ ac iu-	hæreditate deductio-
ra 412 species. ibid.	ne 428.429
de Hæreticis in genere	imperator legibus dici-
511 in specie 513	tur esse solutus 31 ob-
Homicidium occidendi	tinet primum locum
animo quando factum	inter magistratus Ro-
uideatur, & contrà 114	manos. ibid.
homicidij pœna 112	imperatoris rebus quæ
honor municipalis quid	priuilegia competant.
616	ibid.
de Honoris uel Magistra-	de Imperatoris & fisci per-
tus continuatione 17	sonis 518 rebus 521
honoribus inuiti qui fun-	imperatoris statua & ima-
gi cogantur 627	go 31
de Honorarijs aduocato-	imperatores perpetui
rum 178	sunt Dictatores 32
de Hospitijs militum 565	imperij diuisio 24 & iu-
hospitijs militum quæ do-	risdictionis distinctio.
mus deputatę, uel non	ibid.
565	improbates quis probet
I	229
Illustris uir ad quam iu-	impubes in falsi crimen
risdictionem pertine	non incidit 145
at 162	Incertitudo uitiat senten-
illustres personæ p quos	tiam 372
litigare possint 172	incestũ committere quis
	dicatur

I N D E X.

<p>dicatur 124</p> <p>incesti accusatio intra quod tempus competat 130</p> <p>crimen qua lege puniatur 124</p> <p>crimine plures rei 133</p> <p>ab Incesti crimine qui excusentur 124.125</p> <p>incesti pœna quando locum habeat 125</p> <p>incola quis sit 624</p> <p>indefensa res quando uideatur, uel non uideatur 264.265</p> <p>de Infamia irroganda 93.</p> <p>inde</p> <p>infanticidæ pœna 117</p> <p>iniustitię an adscribendū quod contra leges fit 7</p> <p>ingenuus quis 366</p> <p>de Inquisitione causæ in iudicio 336</p> <p>inscribere in crimen cuius sit 67</p> <p>quis finis. ibi.</p> <p>inscriptionis libellorum qualis conceptio 67</p> <p>de Instrumentorum amissionē 271</p> <p>instrumentorum subreptorum crimen cuius iudicij 138</p> <p>aduersus Instrumenta ex</p>	<p>ceptiones 285</p> <p>de Instrumentis exhibendis 288</p> <p>ordinandis seu conficiendis 284</p> <p>in Integrum restitutio in remissione pœnæ quid designet 101</p> <p>intentio ambigua ita accipienda est, ut res salua sit actori 341</p> <p>interdicere qua prouincia quis possit 59</p> <p>interdici actu aliquo pœnæ nomine, quibus soleat 57 & quomodo. ibid.</p> <p>interdictus quis locus esse intelligatur 60</p> <p>de Interrogationibus iniure faciendis 308.</p> <p>inde. iudicium 336</p> <p>instabilis quomodo quis fiat 298</p> <p>Iterum uox quid significet 220</p> <p>de Iudæis 514</p> <p>iudex ad circūstantias respicere debet 338</p> <p>ad unam probationis speciem cognitionem suam alligare non debet. ibid. confirmabit</p>
---	---

I N D E X.

- motum animi sui ex ar
 gumentis. *ibid.* datus
 quâdo desinat esse 156
 de quanta summa iudi
 care possit 166 in cu
 ius causa quis esse pos
 sit 157 incompetens
 quando competens fi
 at 168
 si Iudex litem suâ fecerit,
 litis estimatione puni
 tur 23
 iudex nō competens quâ
 do dicatur 366 ordi
 narius ubi convenien
 dus 161 qualis dandus
 157 quando animi sui
 motū sequi possit 337
 quando cōpetens præ
 sumatur 153
 iudicis dandi potestatem
 quis non habeat 154
 iudicis & advocati partes
 qui sustinere prohibe
 antur 175
 de Iudicis officio 336
 iudicis pecunia corrupti
 pœna 23
 iudicem constituit litiga
 torū cōsensus 169 qui
 corrumpit, lege Corne
 lia de falsis tenetur 23
 contra Iudicem quot mo
 dis excipitur 153
 iudicem se nemo dare po
 test 156
 de Iudice, à quo est appel
 latum, non iniuria affi
 ciendo 362
 in Iudice dando quæ ob
 servanda 155. 156
 à Iudice ex compromisso
 accepto an appellari
 possit 347
 iudices civiliū causarum
 de criminalibus non
 cognoscunt 49
 iudices qui & à quibus
 dari non possint 157
 quomodo iurare debe
 ant 270
 de Iudicum mutatione
 156
 iudicandi quæ norma 337
 iudicare iustus quo loco
 iudicabit 170 munus
 est publicum. *ibid.*
 rei Iudicatz effectus 13
 iudicatum solvi satisfacere
 quis debeat 256 sti
 pulatio quando detur
 266
 iudicatum solvi stipula
 tionis ad fine remediū
 267

I N D E X.

<p>267 tres clausulæ 257 in Iudicatū solui stipulatione quid ueniat 266 de Iudicati actione 392. inde in Iudicium de hæreditatis petitione præiudicium fieri non debet 333 iudicium susceptum quo modo finiatur 151.152 ad Iudicium suscipiendum quis cogendus 209 iudicij dies quando diffusus esse iubeatur 249 res quæ 153 de Iudicio ex legibus faciundo 337 iudicia capitalia quæ dicantur 44 in quibus crimen uersatur, non sunt omnia publica 45 priuata 149 publica 44. inde iudicia unde diuisionem recipiant 152 iudiciorum ad finia quæ sint remedia 153. 439 diuisionis 44 euentus & cõsequencia quæ 153 de Iudiciorum personis 153</p>	<p>iudiciorum priuatorum actus quotuplices 200 iudiciorum publicorum capitalium ordo in desuetudinem abijt 45 & priuatorū agendorum una potest esse causa 50 causæ. ibid. pœnæ 54 de Iudiciorum publicorum euentis 80 iudiciorum publicorum euentus, reo restituto & pœna liberato 100 species 102 iudicij priuatis quod tēpus præstitutum 151 iuramenti ad fine remedii um 271 iuramentū calumniæ qui præstent 269 iuramento calumniæ 268 inde iuratum perinde habendum, atque probatum 330 iuratoriã cautionē præstare qui teneãtur 244 ius an finitū esse possit 8 ius ciuile 9 Romanorū 10 ius gentium 9 naturale. ibidem. honorarium 11</p>
--	--

I N D E X.

In quo consistat 3	mul	iuris formularum usus 192
et dicenda quibus	detur 67	gentium origo 6
non scriptum	10	rarij species 12
priuatum 2	publicum. ibidem.	ignora
pro loco	sumptum 305	tia quando non excu
quid pro	proprie 1	set 142
unde dictum. ibi	dem. speciale quos ob	quibus profit 8
liget 8		indulgentia quomodo
iuris diuisio 2.9		accipienda 3
iuris ciuilis origo 9	nomen 10	interpretatio & constitutio
Romani diuisio. ibid.		quomodo fiat 4
iurisconsulti qui 6	eorum officium 6	mutatio lite pendente su
iurisdictio alteri mandari	potest 24/	perueniens 8
inter quos 169	quando moderata 205	precepta generalia 1
quid 24	sine modica coercitione nulla est 25	specialia 2
iurisdictionis defendenda actio. ibid.		iurisprudencia quid 6
iurisdictionem mandare quis possit 155	sibi ma data, mandare alij non potest 24	de Iuris quaestione 337
de Iurisdictione magistratus militaris 552		iuris significationes uariarum 1
de Iurisdictione si dubitetur, quid agendum 209		scripti species 10
iuris & legis differentia 2		de Iuris studiosis 594
		in Ius uocare quid 201
		de Iure antenuptialis donationis 427
		ciuitatū 568
		militari 551
		iururandum a debitore exactum quam ei actio nem tribuat 331
		alterius an alteri profit 323.
		324
		auctoris prodest successori 325
		iururandum calumniae quibus praesentibus praestandum 270
		quibus remittatur 230
		iururandum deferre, uel iurare,

I N D E X.

<p> <i>iurare, qui cogantur, uel non</i> 314. 315 <i>quis possit</i> 319 <i>iurandum delatum, statim præstari debet</i> 322 <i>de quibus rebus defertur</i> 315 <i>possessori quatenus profit</i> 328 <i>quale quando deferri debeat</i> 316 <i>remittere quis uideatur</i> 319 <i>ubi præstandum</i> 316. 317 <i>unde proficiscatur</i> 313 <i>iurisiurandi actio uel exceptio quibus & aduersus quos competat</i> 330 <i>in Iurisiurandi actione quid ueniat.</i> <i>ibid.</i> <i>iurisiurandi causa</i> 314 <i>exceptio quando opponi debeat</i> 328 <i>forma</i> 317 <i>præstiti euentus.</i> <i>ibid.</i> <i>de Iurisiurandi relatione</i> 315. 316 <i>remissione</i> 316 <i>reuocati repetitione</i> 315 <i>iurisiurandi usus, & similia</i> 313 <i>de Iureiurando à testibus præstando</i> 295. <i>itè uenditione bonorum</i> 421 <i>duorum reorum stipulandi</i> 321 <i>illicito</i> 325 <i>ob</i> </p>	<p> <i>calumniam dando</i> 267 <i>præstito euentus</i> 332 <i>iureiurando præstito, quæ competat actio</i> 331 <i>ex Iureiurando quando competat actio uel exceptio</i> 326 <i>iustitiæ quid</i> 6 <p style="text-align: center;">L</p> L <i>Atitantis animus inquirendus</i> 418 <i>de Latitante fraudationis causa</i> 417. 418 <i>latitare quid sit</i> 419 <i>latitatio quid desideret</i> 416 <i>latronum famosorum poena</i> 110 <i>latrunculator quibus de causis iudicare nõ possit</i> 165 <i>de Legatariorum privilegio</i> 432 <i>legationem antecedentia</i> 585 <i>legatione fungi qui possint aut nõ possint</i> 586 <i>de Legati uel fideicommissi repetitione</i> 326 <i>de Legatis & legationibus</i> 585 <i>legatus ubi se defendere</i> </p>
---	--

I N D E X.

deere cogatur	161	non teneatur	141	quis	
legati officium quod	586	teneatur			112
à Legati proconsulis sen-		legis Faviae poena	121.122		
tentia quis appelletur		legis Iuliae de adulterijs			
353		poena	126	de ui poena	
legatū hostiū si quis pul-		& simile	109	exceptio-	
lasset, quæ poena	109	nes generales	125	Ma-	
de Legatorum iure & pri-		iestatis euentus	105		
uilegijs	587	legislatio			3
lex de publicis causis la-		legis Pompeiæ poenæ	119		
ta 8 Favia ad quæ non		legi quando fraus fiat	7		
pertineat	121	in Legem Iuliæ de adult.			
lex Iulia de adulterijs à		quando non committi-			
quo lata	122	tur	127		
de ui pu-		contra Legem quis faci-			
blica seu priuata aduer-		at	7		
sos quos exoriat	106	lege Cornelia de falsis			
maiestatis contra quos		quid puniatur	138	quis	
suum uigorem exten-		non teneatur	139.140		
dat	102.103	lege Cornelia de sicarijs			
lex legem impugnat	8	quis non teneatur	113.		
nondum insinuata. ibi.		118			
quid	2	lege Cornelia quis non			
legis Corneliae de falsis		teneatur	118	quis te-	
poena quis teneatur		neatur	112.113.119.140.		
143		inde			
de sicarijs exce-		de Lege Favia	120.	inde.	
ptiones generales	113	de Lege Iulia de adulte-			
legis Corneliae poena de		rijs	122.	inde.	
portatio, & omniū bo-		inde			
norum ademptio	118	lege Iulia maiestatis quis			
in quibus obtineat	117	teneatur	105.148	Re-	
quib. remissa	142	petunda.			
legis					
Corneliae poena quis					

I B E N X.

perundarum qui teneantur 21 & deinceps	gione iudicantiū 297
de Lege Pópeia 118. inde.	legibus soluti qui sint 8
leges quę sint an iniquę,	lenocinij crimen qua le-
nihil interest 7 natu-	ge puniatur 123 quis
rali iuri contrarię. ibi.	contrahat 124
priores ex posteriori-	per Libellum expedienda
bus conciliandę 5 qui	quę 336
bus de rebus ferēdę 3	in Libellis refutatorijs
quomodo concipiendę,	quid uitandum 359
& intelligendę. ibid.	liber homo an torquen-
quomodo nos teneant 6	us 77
legum accidentia 3 causę	liberi clarorum dignita-
2 cognitio & scientia 6	tem paternam retinēt
ferendarū potestas pe-	27
nes quos olim 11 inter-	liberi quomodo accipian-
pretandarum regulę 4	tur 205
mutatio & distinctio 6	liberorum uoce quid in-
obseruatio. ibid. offici-	telligatur 61
um & uirtus. ibidem.	liberalia iudicia omni tē-
quantitas 4	pore finiuntur 151 stu-
in Legum fraudem quis	dia quę accipienda
faciat 7	440
legum rationes 5 uerba	de Liberatione siue re-
cum effectu accipiend-	missione debiti pro-
da. ibid.	banda 279
leges scire quid 6	de Libertate & ingenui-
à Legibus quando disce-	tate probanda 178
dere impunē liceat 7	libertus an patronum in
legib. quod omissum est,	ius uocare possit 204
non omittendum reli-	patronum accusans au-
	diendus non est in cri-
	minali causa 46
	licita

I N D E X.

licita quantitas in aduo-	magistratus iniuria afflic-
catorum salario quæ	non debet 28
intelligatur 178	magistratus municipalis
de Litis cõtestatione 267	quæ facere non possit
litem suã quis & quando	24 unius personæ uicẽ
facere intelligatur 23	sustinet 568
de Literarum compara-	magistratus militaris offi-
tione 288 dissimilitu-	cia quæ 551
dine 286	magistratus officia 20. 569
de Literis post appella-	de Magistratus potestate
tionem interpositam	569
dandis 358	magistratus, qui hominẽ
Locus in quem relegari	contra leges occidit,
quis possit 60	pœna 118
de Ludis & Spectaculis	magistratus suos officia-
614	les punire possunt 49
Iugeri qui & ob quã caus-	de Magistratu municipa-
sam soleant ab uxori-	li tum in genere, tum
bus 95	in specie 568
ex Lycaonia prouincia	de Magistratibus in ge-
quis appelletur 355	nerẽ 15 in specie 31
M	maioribus honorib. pro-
DE Magis, eorumque	hibitus minores pete-
pœna 148	re non prohibetur 58
de Magistro militum 552	mancipia ueterana quæ
magistri equitum dictato-	sunt 543
ribus iungebantur 29	mandari uel delegari alte-
de Magistris artium libe-	ri quæ possint 155
ralium 592 priuatæ &	mandatum quãdo morte
linteariæ uestis 518	mãdãtis dissoluatur 185
an Magistratus fieri possit	mandati actio inter quos
filius, si pater sit in rea-	competat 194
tu alicuius criminis 16	citra

I N D E X.

contra Mandatū agere qui possint	179	dicere solet	440
de Matichæis	413	de Mercibus illicitis uen- ditis uel uectis	541
maritus occiso adultero, non occisa uxore excu- satur	117	meri imperij quæ sunt, mandata iurisdictione non transferuntur	24
mariti calor & impetus facile decernentis re- frenandus. ibi. in obser- uatione homicidij pec- cantis pœna. ibid. lu- ctus 95 ob uxorem de- prehensam in adulterio, & occisam, pœna	117	in Metallum dato pœna quandiu irroganda	89
marito quando & ubi & quomodo adulterum cum uxore impunè oc- cidere liceat	116	metus non ulterius pro- gredi debet, quàm re- periatur delictum	100
de Mathematicis, eorum que pœna	148	Miles irreuerens quomo- do & à quo puniendus	558
de Medico in defuncti lo- cum subrogando	594	miles ubi domicilium ha- beat	625
medici qui intelligantur	440	militis quæ pœna	61. 62
quomodo consti- tuantur	594	pro Milite qui se gessit, quæ pœna	144
de Medicorū salario	594	milites emere militantes quæ possint aut non possint	563
de Medicis reprobandis. ibid.		orientis ad cuius pertineat iurisdic- tionē	164
de Memoria operis, an ex- ret, probanda	280	qui & qua- les recipiendi	553
de Mendicantibus	595	ubi conueniendi	164
de Mercatorib.	594. 595	militum ueteranorum in delictis priuilegia	62
de Mercedibus quis ius		liberi, decurionum li- beris similia habet pri- uilegia.	ibid.
		de Militib. in genere	553
		in specie	556

I N D E X.

<p>militantes in schola ad cuius pertineant iurisdictionem 163.164</p> <p>de Militari ueste 565</p> <p>minor à confessione sua in integrú restitui potest 302 uiginti quinque annis quis intelligatur 132</p> <p>minores uiginti quinque annis ad honores non admittuntur 28</p> <p>missio causaria, honesta, ignominiosa quæ 555</p> <p>missio in quæ bona sit facienda 409</p> <p>de Missionis euentis & consequentibus 410</p> <p>missionis ignominiosæ euentus qui 555</p> <p>missionis in possessione causæ 403 <i>genus. ibid.</i></p> <p>missionis militum quæ causæ 555</p> <p>de Missione in bona cõmunia 410 in bona hæreditaria 409 in rem petitam. ibidem. in res alienatas 410 in uniuersa bona debitoris 409</p> <p>de Modo pecuniæ qui in</p>	<p>transactionem uenit, æstimando 482</p> <p>de Monasterio atq; oratorio ædificando 505</p> <p>monetam adulterinã qui exercuerint, pœna 143</p> <p>Mulcta quando remittatur 88</p> <p>de Mulctæ mutatione 346</p> <p>in Mulcta irroganda modus 65</p> <p>mulier an accusare possit 45 quando se possit nuptum collocare 95 quatenus incesti accusari possit 130</p> <p>mulier rea per procuratorem defendi potest 49</p> <p>ubi conuenienda 161</p> <p>mulier testimonium dicere quando possit 298</p> <p>mulieris proprijs se seruis iungentis pœna 135</p> <p>uisceribus suis uim inferentis quæ pœna 113</p> <p>de Mulieribus Ecclesiasticis 500</p> <p>de Munere nauiculario quæ sint cauta 656.657</p> <p>ad Munera ciuilia ubi quisque teneatur 624</p> <p style="text-align: right;">de</p>
---	--

I N D E X:

de Muneribus & honoribus 615 iniungendis, & nominatione facienda	620	cipe impetranda	95
de Municipibus	621	de Nutricijs	441
de Muris & portis ciuitatum	604	O	
de Mutuis petitionibus qui cognoscere possint	442	Obligatio ex obligationibus fieri non debet	391
N		obligationū & exceptionum diuisio	10
DE Naufragio probando	280	de Obligationum & liberationum differentijs	340
Necare quis uideatur	113	in Obscuris quid agendum iudici	341
neganti probatio quando incumbat	272. inde	obsequium subditorum erga magistratus	28
de Nestorianis	413	de Occupatione bonorum filio delatorum	545
de Nominis similitudine ad confirmandam cuiusque originem	624	Officialis procuratoris Cæsaris ubi conueniendus	162
noxa caput quomodo sequatur	246	de Officialibus ordinandis	484
de Nullitate sententiæ	362	officium iudicis uarium pro causarum uarietate	337
de Numismate	612	de Officio iudicis	332
de Nuntiatione & delatione	521	de Officio successoris, iudice mortuo	336
de Nundinis	614	Opus nouum cui facere & quâ autoritate liceat	601
nuptiæ à quibus accusari non possit	128	X	
nuptias luctus tempore iterandi facultas à Prin-		operum	

I N D E X

Operum publicorum cura ad quem pertineat	602	Palatinorum officia quibus	ibid.	
de Operibus & ædificijs priuatis	607	de Paleis conuectandis	564	
nouis nõ extruendis	602	pãicularia damnatorum	speculatoribus concedenda	93
publici operis causa diruendis	602	par in parem non habet imperium	162	
de Operibus publicis in genere	601	de Parabolanis	499	
in specie	604	parentes an in ius uocandi	202	
sine cautione nõ locandis	602	qui accipiantur.	ibid.	
de Opinione iudicis trãmittenda ad superiorem	359	de Pariter mortuis	338.	
Ordo introducti primũ magistratus	28	339	parricidij accusatio quibus permittatur	120
ex Orientali tractu quis appelletur	355	cum Parricidij damnatorum bonis quid agendum.	ibid.	
de Origine & familia præbanda	278	parricidij defensio quæ admittatur.	ibid.	
de Orphanotrophijs, & orphanotrophis	517	pro Parte restitutus quando creditoribus tenetur	101	
P		de Partu subiecto probãdo	278	
Acti conuenti exceptio quando detur	387	supposito qui acculent	146	
pagani quæ pœna	61	pater filium accusare non prohibetur	47	
de Paganis	515	paterni nominis pietas consilium pro liberis capis		
Palatinus ubi litiget	163			
de Palatinorum iurisdictione	519			

I N D E X.

<p>capit 117</p> <p>patronus libertum ut in- gratum per procurato- rem accusare potest 48 restitutus ius patro- natus recipit 102</p> <p>patroni an & quatenus in ius uocandi 202 qui ac- cipiantur. 203. ibid.</p> <p>peccata suos tenent au- thores 100</p> <p>de Pecore alieno in pa- scua principis non mit- tendo 545</p> <p>de Peculatus crimine 149</p> <p>peculatus crimine qui te- neantur 143</p> <p>de Pecunia fisci non dan- da mutuo 546 mortui- s militibus debita pre- standa uxoribus illorū atq; liberis 564 publi- ca 612</p> <p>de Pensione soluēda 549</p> <p>quid sequatur 207</p> <p>peremptorium, quomo- do soluatur 368</p> <p>de Peremptorio edicto 206. inde</p> <p>perpetuis uinculis quis damnandus 56</p> <p>personalium munerum</p>	<p>Species 617</p> <p>personæ, non causæ suc- curritur 427</p> <p>personæ, quas in ius uoca- re non possumus 152</p> <p>de Personis ciuitatū pri- uatis 590 militaribus 551</p> <p>de Petitione bonorū fi- sco delatorum 545</p> <p>Petrus hæreticus 516</p> <p>de Philosophis 593</p> <p>de Pignoribus capiendis & distrahendis 398</p> <p>Placita principum, quid, quæ origo, & à quibus lata 12</p> <p>de Plagij crimine 120. inde</p> <p>plebiscitum quid 11 eius species. ibid.</p> <p>plures de eodem crimine eundem accusare uol- lentes non admittun- tur 47</p> <p>Pœna amputandę manus 56 custodis, interem- pta custodia 72</p> <p>pœna delatoris, si non probauerit, & manda- toris 82 effractorum 72</p> <p style="text-align: right;">X 1 est,</p>
---	--

I N D E X

- est, ubi noxia est 100
 ex quibus causis minui
 possit 88 extraordina-
 ria 63 fustigationis. ibi.
 grauior ob contuma-
 ciam 66 in seruis inter-
 dum augetur 51 inter-
 dictæ è domo disces-
 sionis 58 interdictæ ne-
 gotiationis 57 interdi-
 cti actus 57 interdicti
 loci alicuius 58 interdi-
 ctorum honorum. ibi.
 ne quis negocijs publi-
 cis interueniat 57 non
 repromittētis quæ 312
 operis publici 56 per-
 sonæ, cuius conditio
 tempore ferendæ sen-
 tentiæ mutata est 63 quæ
 cuiq; sit irroganda 61
 quando & ex quibus
 causis differri debeat
 89 quid sit 55 quomo-
 do compromittatur
 464 quomodo infligē-
 da 56 serui quæ 62 sta-
 tuliberi 63 ubi exequē-
 da 89 uinculorum in
 seruis quandiu statua-
 tur. ibid.
de Pœnæ compromissi
 iteratione 463
 pœnæ & multæ differen-
 tia 55 grauioris quæ
 causa 90 liberationis
 causa 100 remittendę
 ius penes quem 101
 pœnam cogitationis ne-
 mo patitur 50
 de Pœna appellantis non
 obtinentis 362 com-
 promisso adijcienda
 446.447
 pœna cremationis qui
 affiendi 63
 pœna liberatus quis &
 quatenus uideatur 101
 de Pœna inficiationis 282
 in Pœna infligenda, vari-
 antibus legibus, utra
 sequenda 89
 de Pœna iudicis non re-
 cipientis appellationē
 360
 pœnæ unde æstimandæ
 61.62. inde
 pœnarum diuisio. ibid.
 finis 101
 pollicitatio quid differat
 à pacto 598
 pollicitationis euentus
 599
ex Pollicitatione aduer-
sus

I N D E X.

sus quos cōpetat actio 598	faciat 403
ex Pollicitatione Reipu. an competat actio 596	Prædia fiscalia quanti lo- canda 548 & quibus. ibid.
de Possessione prius co- gnoscendum, quàm de proprietate rei, uel uiolentiæ crimine 332	præfectus urbi 30 quan- do appelletur 353
possessor an quis sit, quo tempore spectandum 244 quis accipiendus in cautione iudicio si- sti 243	præfecti uigilum iura 35 - origo. ibid. officia 36
de Possessore malæ fidei probando 279	præfecti prætorio quem locum obtineant 31
possessores bonæ fidei à legis Fauix pœna exci- piuntur 120	præfecti uigilum quibus de rebus cognoscebāt 36 qua pœna afficie- bant delinquentes. ibid.
à Postulâdo pro alijs qui remoueantur 174	præfectorum urbi iurisdic- tio 32 potestas. ibid.
de Postulantibus & Ad- uocatis 172	à Præfectis prætorio ap- pellari olim non po- terat. ibid.
postulantium à proconsu- le ordo 39	præiudicium hæreditati non fit 335 rei maioris pecuniæ quando fieri uideatur 333
postulare quid sit 172 qui possint uel nō possint 173. inde	prærogatiua dignitatis quæ sit 27
potestas iudicis, & iuris necessitas in quo diffe- rant 337 patria in quo consistat 119	præscriptio temporis iu- risurandi actioni non obstat 327
potestatem sui quis non	præscriptione fori quis uti amplius non possit 168

X ; præ-

I N D E X.

præscriptiones fori quan- do opponendæ 169	cium 35 urbanorum genera. ibid.
præscriptionum in stupri iudicio usus 135	d. Prætoribus prouincia- rum 34
præfens quis habeatur 190	prætorius magistratus an- nalis 35
præfidis officia 42 pote- stas. ibid.	prætoria olim quid 604
de Præfide prouinciæ 41	prætoria loca 34
præfides multis prouin- cijs interdicerere pos- sunt 60	præuaricari quid 82 unde dictum. ibid.
præsumptionis effectus 274	præuaricationis iudici- um quotuplex. ibid.
de Præsumptionum regu- lis 338	pœna. ibid.
prætor urbanus, & pere- grinus cuius rei causa creati 30	preces qua uoce proferen- dæ 508
prætores Cereales. ibid.	de Presbyteris, diaconis & lectoribus 499
fideicommissarii ibid.	primipilarij ubi conueni- endi 164
plebeij 35 prouinciales 30 quibus de causis fe- riatis diebus adiri pos- sint 150 sedecim ab Au- gusto creati 30 unde dicti 34	principis indulgentia 101
prætorum Constantino- poli numerus, & Ro- mæ. ibid.	pruilegium in bonis Ma- gistratus pupillus non habet 427 mulieris in paraphernalibus 426
prætorū iurisdictio quæ. ibid. plebeiorum offi-	de Pruilegio eius, cui res pignori obligata est 430 cuius pecunia res comparatæ sunt. ibid. qui in fisci locum suc- cessit 424 occupantis, contra eos quib. ex ea dem causa debetur 431
	pruilegio

I N D E X.

<p>priuilegia fisci quæ sint 549 quibus & aduer- sus quos competant 550</p> <p>priuilegia quid sint 13 eo- rum ex obiectis diui- sio. ibid.</p> <p>de Priuilegijs creditorũ 422 Ecclesiæ 506.507 fisci & Imperatoris 549 magistratus mili- taris 552 militum 555</p> <p>priuilegiatę personę quę sint 402</p> <p>de Priuilegiatis credito- ribus 432</p> <p>probandi onus in aduer- sarium quando transf- feratur 282</p> <p>à Probandi onere quæ re- leuent 271</p> <p>probatio per quæ fieri possit 275 utriincum- bat 272</p> <p>probationis adfinia reme- dia 282 euentus 281 tē- pus. ibid.</p> <p>probatione deficiente, contra quem ferenda sententia sit 271</p> <p>de Probatione per scri- pturam domesticã 275</p>	<p>de Probationum specie- bus quibusdam 283</p> <p>probationibus deficienti- bus quid agendum iu- dici 338</p> <p>probatio quę mulier note- tur 97</p> <p>proconsul quomodo pro- ficisci poterat 39</p> <p>procōsulis appellatio spe- cialis 41 fascium nũ- mus 39 iurisdicctio 37 in- signia. <i>ibid.</i> legati iu- risdicctio 41 officium 40 potestas & officia 38 legatus 37 uxoris de- lictum 39</p> <p>à Procōsule uel Augusta- li quis appelletur 354</p> <p>proconsulatus depositio 41</p> <p>procurator actionē quan- do non habeat 195 de exequenda suscepta li- te tenetur 194 dominũ absentē defendere de- bet 190 dominum, cu- ius negotia gessit, ac- cusare non potest 47 eiũsue fideiussores quã- do non teneantur 236 falsus quis dicatur 375</p>
---	--

I N D E X.

in qua causa actorem defendere teneatur uel non 191. 192	inuitus quis intelligatur 183	mandati actione quando agere nō possit 195	procuratorem dare potest 181	quando dari possit 182	quis intelligatur 258	quis sit 179	quis non dicatur. ibid.	quomodo constitutus 184	sine mandatu quis esse possit 179	procuratoris Cæsaris potestas quæ 519	procuratoris dånati pænna 194	mutandi cognitio ad quem pertineat 188	mutatio in quibus locum habeat. ibidem.	officium quibus causis soluitur 185	potestas in alienandis rebus 189	procuratori sine mandatu agenti obstat exceptio 179	procuratorem dare qui possint 180. 181	per Procuratorem quis non excusetur 179	restitutio quando fiat 193	procuratorem transferrē qui possint 188	à Procuratore Cæsaris acta quomodo habeantur 518	quis appelletur 353	de Procuratore Cæsaris uel rationalis 518	de Procuratore condemnato 394	mutando 186	in Procuratore mutando causæ cognitio 186	procuratore mutato quid sequatur 188	de Procuratore, non reo principali qui abest, condemnando 344	procuratores plures an dari possint 183	procuratores quarum rerum uel causarum constitui possint, uel non possint 183	procuratorum officia 188.	189	usus 178	procuratoriæ replicationes generales 186	prodigus deferre iusurandum non potest 314	proditorum militarium pænna quæ 561	de Pro.
--	-------------------------------	--	------------------------------	------------------------	-----------------------	--------------	-------------------------	-------------------------	-----------------------------------	---------------------------------------	-------------------------------	--	---	-------------------------------------	----------------------------------	---	--	---	----------------------------	---	--	---------------------	---	-------------------------------	-------------	---	--------------------------------------	---	---	---	---------------------------	-----	----------	--	--	-------------------------------------	---------

I N D E X.

<p>de Professorum immuni- tate 593 numero 592 qualitate 593 professorum numero qui non sint 441 professoribus quæ merce- des & quæ salaria con- stituenda 593 de Programmate à Præsi de prouinciæ proposi- to 378 de Pronunciâdo eo quod inter partes conuene- rit 344 de Pronunciatione ex co- gnitione dependente 336 prouocatio à quo conce- datur, uel non 347 de Prouocatione officia- lium 348 de Proxenetico quis ius soleat dicere 441 de Ptochotrophijs 517 Pubes homicidij tenetur 118 publicatio bonorû quo- modo iure nouo fiat 93 quando & quibus mo- dis fiat 90 publicatione bonorû qui puniantur uel non 90</p>	<p>publicatis bonis quid a- gendum 92 pudicitiam ab uxore exi- gere iniquum est 129 pupillus iurisiurandi gra- tiâ facere nō potest 319 tutelæ actione agens, quando ceteris credi- torib. præferatur 427 per tutorem uel cura- torem suum accusare non potest 48</p> <p style="text-align: center;">Q</p> <p>Q Væstio in iudicijs quotuplex 337 ma- ior causam minorem ad se trahit 333 proprie- tatis prius quàm pla- gij est determinanda 335 uter actor sit, uter reus 196 quæsti oni de adulterio qui interesse iubean- tur 136 de Quæstione compara- tiua 337 quæstionum in adulterijs iudicio usus 135 de Quæstionibus atque tormentis 74 quæstores ærarij 29 par- ricidij. ibid. X 7 quæ-</p>
---	---

I N D E X.

quæstorum genera 33	mu- nus 34	regulæ quo egeant iudi- cio 342
quæstum palàm facere quem dicamus 97		de Relationibus & con- sultationibus 342
quantitas petita uariat competentiam iudicis 166		relegationis pœna cui & quando irrogetur 113
de Quâtitate certa in sen- tentia exprimenda 344		tempus 59 uiolatæ pœ- na. ibid.
quatuor uiarum curâ sustinentes 30		relegatus etiam libellum dare Principi potest 59 ubi domicilium ha- beat 625
quinque uiri nocturni. ibid.		relegati, præter locum è quo relegati sunt, om- nia iura retinent 59
R		relegatorum bona an & quatenus publicentur 90 genera 59
R aptus crimen 137 ad uersus quos com- petat 111		de Reliquijs apostolorû & martyrum 506
de Raptu scœminarû 110		replicationes aduersus exceptiones publico- rum iudiciorum 54 ge- nerales aduersus præ- scriptiones fori 167
ratam rem haberi, & de Ratihabitione 232		res fiscalis uendita ad quem pertineat 547
ratihabitiõ mandato cõ- paratur 180		res gesta inter alios alijs non præiudicat 277 iu- dicata inter alios alijs prodesse non debet 392
ratum haberi quomodo possit 237		
Receptorû quæ pœna 70		
recusandi iudicis quæ caussa non sit 165		
de Recusatoria iudicis 226		
de Redintegratiõne causæ 326		
referentiæ officia 344		

rei

I N D E X.

rei capitalis condénatus	an recipiat	102
quis accipiendus 251	restitutus quando actio-	
de Rei iudicatæ executio	nes creditorum exci-	
ne 397 usuris 395	pere teneatur 101 quã	
de Re alij pignori obliga	do creditoribus satisf-	
ta 546	facere non cogatur.	
de re frumentaria seu an-	ibid. quis intelligatur	
nona 609 iudicata 366	102	
litigiosa 196	de Restitutione fructuũ	
de Rebus militarib. 564	330	
rescriptum authenticũ 14	de Restitutione in inte-	
rescripta principũ 13 effe-	grum 362	
ctus eorum 13 & dein-	de Retractanda sententia	
ceps	Præfeti Prætorio 363	
de Respondendi ad rela-	reuerentia superiorum 28	
tionem modo 344	reus absens acquirendus	
respondendi de iure po-	adnotetur 69	
testas penes quem iur-	reus antea de eodem cri-	
re nouo 13	mine semel accusatus	
respondere qui non coga-	& absolutus, exceptio	
tur 311	ne rei iudicatæ rursus	
respondisse quis non ui-	accusatus defenditur	
deatur. ibid.	53	
respõsa prudentũ, quid 12	reus criminis, defensione	
respublica cæteris credi-	causæ suscipere nõ po-	
torib. quomodo præ-	test 406 eum à quo re-	
feratur 424	us factus uel accusa-	
restitui in integrum qui	tus est, accusare non	
& à quibus nõ possint	permittitur 47	
176	reus quando & ubi actor	
restitutus in militiam me-	sit 196 quando exima-	
dij temporis stipendia	tur damnatione 53 si	
	X 8	accu.

I N D E X.

accusatorem corruptit, pro confesso habetur 92 si mortem sibi con- sciuit ante sententiam latam, quò bona eius pertineant. <i>ibid.</i> ubi se defendere teneatur 161	habeant, uel non habe- ant 159
in Rei còuenti bona mis- sio quando fiat 403	S
reo quid & quomodo iu- randum 269	Acerdos sententiam dicere quatenus co- gendus 451
reum absentem defende- re quis cogatur 208	de Sacrilegij crimine 149
reo absente quid agen- dum, <i>ibid.</i>	salarium incertæ pollici- tationis quando non rectè petatur 178
reo absoluto quid agen- dum 70	de Samaritanis 516
rei absentes adnotati edi- ctis euocandi sunt 69	sapiètia ciuilis res est san- ctissima 441
& quomodo 69	satisfidare iudicio ficti qui teneantur, uel nò 244
plures Rei diuersi fori ubi conueniendi 167	satisfidare qui teneantur 228 & quoties. <i>ibidem.</i>
rei fauorabiliores quàm actores habentur 196	satisfidatio de rato cuius nomine institui pos- sit 235
cum Reis adprehensis quid agendum 70	satisfidatio quid sit 227
pro Reis latitantibus qui libet iudicium suscipi- ens audiendus est 49	satisfidationis oblatæ quæ actio nascatur 231
Roma còmunis patria 159	ex Satisfidatione iudicio ficti, quæ oriatur actio 246
Romæ deprehensos reuo- candi domum ius qui	satisfidationes iudicatū sol- ui, & de rato cauere, quando còcurrant 234
	satisfidator de calumnia iu- rare quando cogatur 230

I N D E X.

- ex Schytia & Misia quis**
 appelletur 355
scripti & acti inter se cō-
 paratio 287
scripturas uitiare non so-
 lent quę abundant 288
Seditionis authores quo
 modo puniendi nō mi-
 litaris quę pœna 558
senatores ad quam iuris-
 dictionem pertineant
 162 qui accipiendi 31
 ubi domicilium habe-
 re intelligantur. *ibid.*
senatusconsultum quid II
S. C. Claudiani non uer-
 bis, sed sententia quis
 teneatur 140
S. C. Claudiano quis te-
 neatur 143
sententia à iudice quo-
 modo dicenda 73 à nō
 competente iudice di-
 cta neminem constrin-
 git 366 ab arbitro ex
 qua causa dicenda 450
 arbitri debet esse de re
 compromissa 459 con-
 tra cōtumaciter absen-
 tem lata ualet 208 con-
 tra leges & cōstitutio-
 nes quādo feratur 373.
 374 contra fiscum lata
 quādo retractari pos-
 sit 367 definitiua quan-
 do pro iusta non ha-
 beatur 373 qua lingua
 formanda 345 quę per
 appellationem suspen-
 di nō possit 88 quibus
 præsentibus pronun-
 cianda 345 uiuo reo la-
 ta, accusatio aduersus
 hęredes institui potest
 52
de Sententię arbitri mu-
 tatione uel emendatio-
 ne 463 contra minores
 25 annis pronunciatę
 effectu 367. 368 contra
 præsentem latę effectu
 370
sententię de alia re quām
 quę petita est, latę ef-
 ctus 371 per appellatio-
 nis iudicem rescissę
 executio inhibēda est
 88
de Sententię retractatio-
 ne & rescissione 390
 sub cōditione latę ef-
 fectu 375 tum incerta
 tum uaria quantitate
 372

I N D E X.

<p>sententię arbitri stare quid 457 stari quando debe ar. ibid.</p> <p>sententiam pręsentibus partibus uel coram di- cere quis uideatur 461</p> <p>de Sententia à quibusdā, non omnibus ad quos pertinet, dicta 367 ad- fessorum. ibid. aduer- sus contumaciter ab- sentem 368 citra appel- lationem infirmada 369 contra eum, qui in rerum natura non fuit dictę sententię tempo- re 368 cōtra furiosum. ibid. contra Rempub. indefensam pronūcia- ta 367 contra res prius iudicatas 375 contra so- litum iudiciorum ordi- nē prolata 377 diuisa in una causa 383 duorum, absente uel etiam prę- sente tertio 367 ex in- strumentis falsis dicta 377 expressim contra leges & cōstitutiones lata 373 formāda & pro- nuncianda 344 in ser- uum lata 370</p> <p>sententia lata cessare offi-</p>	<p>cium iudicis 345</p> <p>de Sententia pēdente 367</p> <p>per errorem de uiuen- tis hęreditate lata 371</p> <p>uariantium & dissenti- entium iudicum 367</p> <p>sententię à quibus reci- tandę 345 de plano quę pronunciādę 379</p> <p>interlocutorię ex cu- ius persona proferēdę 345 unde recitādę. ibi.</p> <p>de Sententijs non mutan- dis. ibid. uenalibus 377</p> <p>de separatione bonorum 433 inde. castrensiū 438</p> <p>de Sepulchris apostolorū & martyrum 506</p> <p>de Sepultura 509</p> <p>sequester quis dicatur 199</p> <p>unde dictus. ibid.</p> <p>sequestratio quando con- cedatur 200</p> <p>sequestratione facta quid consequatur. ibid.</p> <p>de Sequestratione rei liti- giolę 257</p> <p>seruus accusatus per pro- curatorem defendi po- test 49 an accusare possit 46 dominum ac- cusare non potest. ibi.</p> <p>fugiti-</p>
---	--

I N D E X.

fugitiuus à legis Fauie	quid fit	240
pœna excipitur	Soluisse quis uideatur	390
reip. causa abesse non	de Solutione probanda	279
potest 254 restitutus &	fonticus morbus quis in-	368
pœna liberatus quo	telligatur	368
statu	Sponsus intra legitimum	98
serui corrupti actio	tempus ductæ uxoris,	98
quis ea teneatur	quando excusetur	98
seruum fugitiuum qui su-	de Sportulis iudicû, eius-	402
scepit pœna.	que ministrorum	402
ibid.	Stationis munus qui re-	561
serui intra quod tempus	linquit, quomodo pu-	561
torquendi	niendus	561
137 quando	de Statuis & imaginibus	605
publicentur. ibid. qua-	uerbum Statuit in edicto	605
tenus appellare pos-	Prætoris quid signifi-	364
sint 352 qui uim fecisse	cet	364
fuerint conuicti, quo-	stipulandi duobus reis,	249
modo puniantur	uter eorum iudicio fi-	249
109	sti teneatur	249
seruorum publicædorum	stipulatio Iudicatum sol-	259
ratio	ui quando & quomq-	259
136	do extinguitur	259
seruus hæreticus	stipulatio quando com-	236
516	mittatur	236
sexus quos excuset à mu-	tâ haberi quando com-	236
neribus	mittatur, uel non	236
637 uter digni-	inde	
or		
27		
Signum adulterinum qui	X 7 stipu*	
fecerit, sculpsit, &c.		
quæ pœna		
144		
de Signo crucis		
506		
de Signis alijs que argu-		
mentis similibus		
275		
sistendi tempus iustum		
quod		
247		
sistere in eadem causa		

I N D E X,

Stipulationis Iudicatum	336
soluti euentus	266
Stupri adulterijque com-	
munitas & differentia	122
Stuprum cū qua non com-	
mittatur	126
Stupri pœna	135
crimen quando non abolea-	
tur	126
Stuprum quis committat	122-123
Suarijs quis iudex consti-	
tuendus	158
Subscribere libellos quis	
possit & non possit	171
de Subscriptionē contra-	
hendentium in instrumen-	
to	285
Sumptus litis ex quibus	
causis præstandi	401
Sumptuum nomine quid	
& quantum præstan-	
dum	402
de Superfluo ex bonorū	
uenditione restituēdo	422
de Supplicatione & sen-	
tentiæ retractatione	347
de Suppletionē iudicis in	
iudicio	336
de Supplicatione de sen-	
tentiæ præfecti præto-	
rio retractāda	389
principi faciēda	363
Surdus & mutus ad hono-	
res non admittuntur	28
T	
DE Tabellionibus	284
Telum quid significet	112
unde dictum.	ibid.
telorum appellatione	
quid contineatur	106
temerarijs ut parcendum	104
testamentis uocabulo quid	
intelligatur	249
de Templis	506
tempus in testamento ad	
iectum, pro hærede ad	
iectum esse credēdum	
est	342
tempus medicū quid in-	
telligatur	307
tempore messis uinde-	
miarumq; quando ius	
dici possit	150
de Tergiuersatione	83
testamentum quod impu-	
nè supprimatur	139
ad Te	

I N D E X.

- ad Testimonium qui ad-
 mittantur 292
 de Testimonio in proprio
 negotio 300
 testimonia testamentaria
 quibus permittantur
 298
 testis an torquendus 77
 arenarius, aut similis
 quomodo examinan-
 dus 297 falsus ubi pu-
 niendus 168
 de Testium numero in in-
 strumenti ordinatione
 284
 de Testium usu 291
 aduersus Testes exceptio-
 nes ex arbitrio iudicis
 301
 de Testib. contrarijs 300.
 301
 de Testibus examinandis
 293-297
 Torqueri quis possit 75
 qui non possint 77
 Transactio alterius alteri
 nec prodest, nec obest
 476
 transactionis alimen-
 torum effectus 481
 de Transactionis effectu
 475, 476 & pacti disse-
 rentia 466
 de Transactione admini-
 stratoris ciuitatis 467
 alimentorum 476
 ex Transactione exceptio
 quando opponi possit
 476
 de Transactione facta de
 uiuētis hereditate 470
 inter hæredem & ma-
 trem defuncti 466 pro
 curatoris 467
 de Transactionum autho-
 ritate 466
 transactionum propriam
 ibid.
 de Transactionibus me-
 tus causa interpositis
 468
 transactum quid accipi-
 endum 476
 transferri quæ possint
 187
 pro Transfuga quis ha-
 beatur 561
 transfugarum quæ pœ-
 na. ibid.
 tribuni celerum secundū
 olim à Rege locum ob-
 tinebant 29
 tribuni militum quando,
 unde, & quo numero
 creati

I N D E X.

creati.	ibid.	de Vectigalibus constituta	
de Tribunorum militum officio	551	endis	539. 1000
tribunorum plebis origo	29	de Venditione bonorum debitoris	415 eius qui Reipu. causa abest 417 furiosi. ibi. pupilli 416
tributi exactiois euentus	538	de Venditionis bonorum emptore	420. 421
de Tributis transmittendis ac transuehendis	539	uenditor diuersi fori ab emptore ubi conueniendus	167
res Tributariæ ab Imperatore & ecclesia emptæ, ijs manent obnoxia	534	de Venditoris officio in bonorum uenditione	421
criuiri capitales 30 monetales. ibid. nocturni	35	ueneficij pœna	112
Turpitude quæ post admissa est, non aboletur	97	uestis militaris nomine à quibus & quantum conferendum	565
tutor, qui se falso testatoris filio adscripsit, quo modo fiat	141	uestium militarium cano quando tradendus.	ibid.
uel curatorem suo nomine excusare debet	48	de Vestitu Cæsaris	552
de Tutore & curatore cõdemnato	393	de Vestitu & ornatu ciuium	613
de Tyronibus	556	de Veteranis	556
V		uiduæ, pupilli & aliæ personæ debiles ubi conueniendæ	161
V Acantes post administratores uenientes quo ordine	26	uiles infamesq; personæ de ui facta conuictæ quomodo puniantur	109

tim

I N D E X.

<p>him facere quis non uideatur 108 id ui repellere quid sit. ibid. ui eximi quis non uideatur 213 de Vi publica qui teneantur 106 de Vindicationis priuilegio 429 uiri non compelluntur uxores lugere 95 Voluntas legis uel testatoris uel contrahentium scripto præferenda 337</p>	<p>uoluntatem mutatam quid dicit, hoc probare debet 272 de Usurarum usuris uetitatis 395 de Usuris sententia 372 de Usu aquæ 549 extra ordinem ius dicitur 442 Vxor quomodo in ius uocanda 209</p> <p style="text-align: center;">X</p> <p>D E Xenodochijs 517</p> <p style="text-align: center;">Z</p> <p>Z Ooras, hzreticus 516</p>
--	---

F I N I S.

Österreichische Nationalbibliothek



magis quae in puritate eorum offerimus. hinc
assime. et ut illorum non sit verum uotum. nec uerum
postulatio pia. ut quod fideliter petimus efficaciter
consequamur. **¶** *Complenda.*

Qua famulis et famularibus tuis quod domine in tua fide
sinceritate constantiam. ut in caritate diuini
matris. nullis temptationibus ab eius integritate
lancetur. **¶** *Item alia generalis.*

Retende domine famulis tuis et omnibus